

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI PROFESSORIS,

DE CRVCE CHRISTI
Tomus Tertius

Quinque libris comprehensus: quorum PRIMVS *est de nummis Crucigeris.* SECVNDVS, *de Cruciatis expeditionibus, cum Apologia pro iisdem.* TERTIVS, *de vsu & cultu Crucis aduersus Hæreticos.* QVARTVS, *Hymnos & Encomia Græcorum & Latinorum in S. Crucem continet:* QVINTVS, *Paralipomena Tomi primi.*

AD

SERENIS.^{MVM} VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCEM, &c. MAXIMILIANVM.




Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.

INGOLSTADII,

EX TYPOGRAPHIA ADAMI SARTORII.

ANNO DOMINI M. DCV.

[illegible]



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. MAXIMILIANO, COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, &c.

IACOBVS GRETSERVS SOCIETATIS IESV GRATIAM ET FELICITATEM A DEO PRECATVR.



PRODITVM eſt, SERENISSIME PRINCEPS, in Concilio octauo œcumenico, quod quartum locū inter Constantinopolitana obtinet, iuſſu Imperatoris Baſilij, totiusq; Synodi, Theodorum, cognomēto Crithinum, Exarchum, Iconomachorum ſecta infectum ad Patres conſeſſus illius per legatos accerſitum fuiſſe, vt peruerſæ opinionis ſuæ rationem palàm redderet: cumque induci non potuiſſet, vt veniret, Baa- *Act. VIII.*

nem, vnum ex legatis, nummum Cæsaris imagine insignitum illi dedisse, cum hoc mandato: *Accipe hoc numisma*: Theodorum autem respondisse: *ego verò accipio, & vt par est, Imperatoris numisma coli, colo*: His auditis, Baanem quæsisse: *si mortalis Imperatoris os venerantur diuinam in humanitate Christi imaginem & sanctißimæ eius genitricis, omniumque Sanctorum iconas contemnis?* Mox Iconoclastam quęstioni in hunc modum occurrisse: *Numisma, quod mihi exhibuisti, certum Imperatoris mihi noti vultum refert expressum: Iubes vt & Christi, quam exprimimus, imaginem, venerer: sed ignoro, vbi hoc Christus præceperit, & an illi gratum sit futurum*.

Strophas huius veteris nouatoris imitantur noui sectarij: quibus, si numisma offeras Cæsaris aut alterius Principis effigie conspicuum; venerari se aiunt imaginem Cæsaris aut Principis, eo, quo decet, cultu, & obsequio. At si Crucem, aut numisma Crucis typo aut Redemptoris imagine pictum signatumque ostentes; vultum auertunt, frontem in rugas contrahunt; hono-

rémque

remque deferre perti... ...ter abnuunt. Si caussam scisciteris detrec... officij; respõdent, Christum nusquam p... cepisse, vt colatur in imagine aut Cruce i... Imagines fieri idola, si religioso cultu affic... ...ur; idola autem non esse adoranda; idq; mo... solenni, conglobatis, nec tamẽ intellectis ...crarum literarum testimoniis confirmare ... tuntur; quibus nos intrepidè feralia illa e... Synodo octaua carmina accinimus: *Sacras imagines* (& Cruces) *non colentibus, anathema. Sacras imagines* (& Cruces) *idola appellãtibus,* anathema. *Qui sacris literis idola detestãtibus ad venerandas imagines* (& Cruces) *oppugnandas abutuntur, anathema.* Illis qui asserunt, nihil quod ad cultum spectet, agendum esse; nisi scriptura id expresse præcipiat, anathema. Impiæ sectæ veterum & recentium Iconomachorum adhuc furenti anathema. quia, vt in eâdem Synodo præclarè dicitur, *par est, vt maiorum nostrorum decreta inuiolata custodiamus;* inter quæ non postremum illud de crucis Dominicę cultu & vsu, ab omnibus Christianis, omnibus à Christo passo

sæculis celebrato, & frequentato; ita vt satis demirari nequeam eorum impietatem; qui Crucis imagines non modò non venerantur; sed Turcicum in modum exterminãt, comminuunt, flammisque exurunt; longè deteriores nonnullis superioris memoriæ Iconoclastis; qui licet imagines Christi, Cœlitumque non tolerarent; Crucem tamen non tantùm patienter ferebant; sed & honorabant; vt sæpius testatur Theodorus Studita, qui eruditione & sanctitate illustris aduersus Iconomachos, eorumque coryphæos Leonem Armenum & Michaëlem Balbum pro imaginum veneratione viriliter dimicauit: qui & in has threnodias & lamentationibus Hieremiæ similes questus prorupit. *O horribilem auditionem. veneranda imago Saluatoris nostri Dei, quam & Dæmones perhorrescunt, contumeliis affecta & ludibrio habita est, non solùm in regia vrbe, verùm etiam in omni regione & oppido. Altaria deleta sunt, templa destructa, sacra profanata, effusus est sanguis, & effunditur eorum, qui adhuc retinent Euangelium. Lupi graues irruperunt in caulam Domi-*

In epist. ad Paschalem Rom. Pontif.

Domini, portæ inferi, vt olim, ruptæ sunt in ipsam. Quid hoc? persecutionem patitur Christus cum matre & ministris: quia contra imaginem incursus, prototypi est persecutio.

Similia idem Theodorus in epistolis ad Patriarcham Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum, aduersus illos Hæreticos, qui Crucem Domini non abolebant, dummodo superaddita humana Christi effigie careret. Quid diceret hic sanctus Pater, si Caluinistas videret; qui vt alias imagines, sic & crucem ferro & igne persequuntur. Crucem, inquam, cuius laudem, & gloriam, præconia & miracula vniuersa orthodoxorum vetustas vno plenoq; ore decantat; omnibusque, qui Christiano nomine verè censeri volunt, tanquam Christianæ militiæ symbolum & tesseram commendat.

Nec meliores Caluinistis Lutherani existimari debent: qui imagines & crucem rebus adiaphoris annumerant; quas siue retinueris, siue abieceris, bene feceris. Itaque, qui Crucem in fanis suis retinent, id ea

cautio-

cautione faciunt, ne honorent: vt impietate vincant Iconoclastas, de quibus paulò antè sermo erat; qui Crucem & retinebant, & colebant, sicut & illi in Occidente Iconomachorum stolones & surculi, qui imagines retinẽdas docebant; sed memoriæ duntaxat, & ornatus; Crucem etiam cultus gratia. At isti nostri cultum omnem repudiant; contenti memoria & historia, hac tamen lege, vt hæc ipsa memoriæ adminicula; planè omnibus sint libera; quam libertatem, vt testatam faciant, decentissimè scilicet & mundissimè imagines & cruces in synagogis suis constituunt. *Certò per fide dignos homines cõperimus*, inquit Zuvinglius, scribens aduersus Lutherum, *apud Saxones & alias vicinas his gentes in templis quibusdam imagines diuersimodè locatas esse. sic nimirum, vt aliæ quidem facie ad parietem versa, tergum spectantibus offerant: aliæ verò capiti insistentes, pedes sursum erigant. At quid aliud, quàm insigniter eos stultescere dicemus? Si enim retineri debent vel possunt, cur non sic locantur, vt ritè locari debent?* Et in margine libri addit Zvvinglius verbis

Zuuinglius in Resp. ad Lutheri librum de Sacramento. Tom. 2. operum Zuuinglij.

verbis Germanicis, das heist gut Närrisch sein. Testimonium hoc verũ est: dummodo ipsis etiã Zvvinglianis & Caluinianis pari veritatis decoro tribui posse confiteamur. Æquè enim stultum est; si non stultius, imagines & Cruces funditus exstirpare; quàm ritu Lutherano tractare, hoc est, risui & ludibrio exponere.

Sed mitto istos in præsenti; ad quos sæpius redeundum erit in ipso decursu huius nostri operis; quod tomum tertium de sancta Cruce complectitur: quem Serenitati vestræ, SERENISSIME PRINCEPS MAXIMILIANE, sacrum dicatumque esse volui. primùm quidem Societatis nostræ nomine, quam quanta beneuolentia S. V. complectatur; fama accipiunt socij nostri, qui aliis in regionibus operam nauant Christianæ Reipublicæ; nos, qui in Bauaria viuimus; quotidiana experientia discimus. *Parua quidem, fateor, pro magnis munera reddi: Sed qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abundè est. Et finem pietas contigit illa suum.*

** Deinde

Deinde videbam, meo etiam priuato nomine, S. V. hoc literarium seu officium seu munusculum deberi: pleraq; enim numismata *Staurophora*, in quorum explicatione totus primus liber consumitur, reperi inter Cimelia *Serenitatis Vestræ*. quorum lustrandorum & excutiendorum copiam mihi benignissimè fecit; vt taceam, instructissimam Bibliothecam; quæ mihi aliisq; de Ecclesia Catholica bene mereri cupientibus, *Serenitatis V.* concessu, semper patet: de quo insigni thesauro prolata iam sunt non semel; indiesq; magis ad orthodoxæ fidei stabilimentum proferentur noua & vetera: quod ab erudito scriba seu scriptore præstandum esse, iam olim Seruator noster monuit.

Accedit argumentũ secũdi libri: qui est de *Cruciatis* in Palæstinam expeditionibus: atq; adeò de tropheis, quę pręsidio sacratissimę Crucis in Syria & terra sancta erexerunt cum alij sempiternę memorię Principes; tũ inclytus ille & inuictissimus *Lotharingiæ*

ringiæ Dux GODEFRIDVS BVLLIONIVS. neque solùm in his Deo Crucíq; dicatis agminibus, Lotharingos *Serenitas V.* inueniet; sed & *Bauariæ* tam incolas, quàm moderatores. vix enim vlla est in Germania stirps Principum; quę non ad hanc sacram militiam, diuersis temporibus, miserit de domo sua aliquem militem, contra nefariam Saracenorum natione, pro Crucis & Crucifixi gloria pugnaturum. Nil simile, si quid iudico, Christian⁹ orbis vidit: nescio num simile aliquando visurus: nolo malè ominari. Certè dum hæresibus omnia perstrepunt, dumque illi tubicines, quos in Apologia ad librum secundum adiuncta refello, tubam illam suam pro Mahometanis inflant; nil simile sperare licet; qui ex Euangelio euincere insipienter contēdunt; non esse vllo modo diuinæ voluntatis, vt Hierosolyma sit in Christianorum potestate; sacrisq; Christianis subdita. Quapropter sic delirat Zvvinglius verè commētitiè in illa Domini verba commentans: *Cùm videritis* *Zuuinglius in cap. 24. Matth. Tom. 4. operum Zuuinglij.*
 abomi-

abominationem desolationis, &c. Prædixit Propheta cessaturas umbras legis veteris, idq́; ad finem vsque mundi. Cum igitur hæc desolatio ad finem mundi duratura sit, & Hierusalem à gentibus calcanda, stultum est propositum Regum & Principum Christianorum, qui sibi Hierusalem subiicere tentant, nisi & ipsi gentes sint futuri. Hæc Sectarius ille.

Ex quo quærere oportet; vbi Christus dixerit Hierosolymam vsq; ad finem mundi à gentibus à vera fide alienis, calcandam & inhabitandã esse? Intellexerit, vt Zvvinglius nugatur, per *desolationis abominationem* legalium desitionem ad terminum vniuersi huius duraturam; at nunquam dixit, imò neque tacitè innuit Saluator, Infideles ideò perpetuos fore huius vrbis inquilinos: & si hoc Dominus affirmasset; vtique id iuxta ipsius veritatis oraculum euenisset. At quis nescit post hãc Christi de desolatione præmonitionem & prædictionem aliquot sæculis à Constantino Magno, vsq; ad Heraclium Imperatorem Hierosolymã in Christiano-

ſtianorum Principũ ditione fuiſſe, veramque religionem ibi excellenter floruiſſe; quod & poſtea per octoginta & aliquot annos factum, recuperata ab Occidentalibus copiis Palęſtina; quę profectò fieri non potuiſſent, ſi Chriſtus prædictione ſua ſignificaſſet; paganos, fore huius ciuitatis dominos, & indigenas à legis abolitione vſq; ad illud tempus, *quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.*

Verùm Hęreſiarchę iſti parũ penſi habent, quid dicant, aut ſcribant, dummodo dicendo & ſcribendo ſuum in Crucem & in Crucis Victorias ſtomachum effundãt, fortiſsimosq; Principes, Heroas incomparabiles, inuictos Crucis aſſertores & vindices, ſtultitiæ accuſent. quorum vanitatem ſimul ac impudentiam ſatis perſpicuè, vt opinor, ſecundus huius operis liber vnà cum appendice ſua depingit.

Nec plura addo; ne ſi longiore ſermone S. V. morer, in publica commoda pec-

cem. Tantùm demisse ac suppliciter S. V. rogo; vt volumen hoc, & his à me commemoratis, & alijs non paucis titulis sibi debitum, *Serenissimo* suo nomine illustratum, & commendatum, in lucem exire clementer patiatur, vt quam alioquin, à Cruce tanquã ab illustri materia, claritatẽ habet; eandem maximi *Principis* splẽdore magnis incrementis adaugeat. Ingolstadij. Ipso Redemptoris nostri Natali. Anno M. DCIV.





AD LECTOREM.

PRODIT tandem tertius de S. Cruce tomus, promissus olim, sed nunc bona fide repræsentatus: in quo idem mihi finis, qui in tomis præcedentibus; gloria nimirum Crucis, eiusq́ ab aduersariorum calumniis, criminationibus & ludibriis vindicatio. Excreuit opus præter exspectationem sub manu, ad eam, quã vides, magnitudinem; cùm initiò longè minus futurum arbitrarer. At quid agerem, materia scribendi vltro quasi affluente, & in chartam influente? An breuitatis studio decora Crucis obscurarem; vel obscurata iam in tenebris relinquerem? potius quàm isthoc committere, ternos adhuc de sanctißima Domini Cruce tomos conficerem. Quocirca, blandiente argumento, maximè stylo & calamo indulsi in secundo operis huius libro secutus potißimum veterum annales; quorum conditores, vel pares ætate, vel suppares expeditionibus Cruciatis fuerũt; quod indicare visum; ne si qui recẽtiorum aliter narrent; miretur lector mea ab illis discrepare: antiquiorum enim vestigia insistere studium fuit.

De Andrea Rege Hungariæ quã diuersa ab aliis memo-

memorat Bonfinius. Quàm omnia ad laudem Regis illius facta sunt ac composita: cùm tamen vetustiores, & ipse etiā Ioannes Thuuroczius in Chronicis Pannoniis disertè scribant, tres duntaxat menses Andream Regem in Palæstina mansisse; annalesq; huic Regi palàm vitio vertant, quòd cum reliquis Christianorum copiis in Ægyptum ad obsidionem Damiatæ descendere noluerit; suóque intempestiuo in patriam reditu, non parum detrimenti expeditioni Ægyptiacæ procrearit.

Illud verisimilius censeo, quod idem Bonfinius, vt & Tuuroczius, prodidit; Ladislao Regi sanctitatis opinione celeberrimo oblatum fuisse à Cruce signatis Principibus imperium & principatum in vniuersas copias Hierosolymam profecturas. Neque enim ignorabant inclyti illi Heroes quanti ad felices exoptatosq; successus susceptæ vel suscipiendæ expeditionis referret, habere ducem & moderatorem Ladislaum, regni tam ampli & potentis; fortiumq; virorum tam feracis Regem. Audiamus ipsum Thuuroczium. Cùm Ladislaus Rex celebrasset Pascha Domini in Bodrog, ecce nuntij de Francia, & de Hispania, de Anglia, & de Britannia ad eum venerunt, & præcipuè de VVillermo fratre Regis Francorum, & ei omnipotentis Dei iniuriam se vlcisci maniefestauerunt,

runt,& sanctam ciuitatem,& sanctissimum sepulchrum de manu Saracenorum liberare pensauerunt: vnde gloriosum Regem rogauerunt, vt eis rector & gubernator in exercitu Iesu Christi existeret. Rex autem hoc audiens, gauisus est gaudio magno, & in eâdem festiuitate à nobilibus Hungariæ licentiatus est, tristabaturque tota Hungaria propter eum, sed ipse quod inceperat, nullo modo dimittebat. Misitque nuntium ad Conradum Ducem Bohemorum, filium Othonis, & petiit ab illo ac præcepit, vt secum vltra mare ire pro iniuria Iesu Christi *(vindicanda)* properaret. *Hæc Chronographus ille. Sed salutare Regis consilium turbarunt paulò post exorti motus Bohemici, & ineuitatilis fati necessitas.* cumque peregrini audissent de morte gloriosi Regis Ladislai, valde condoluerunt, ac inde miserunt nuntios ad Regem Colomannum, vt quemadmodum gloriosum Ladislaum rogauerant, ita & de ipso petierant, putantes ipsum esse de eâdem pietate, quia ipse de eodem sanguine fuerat. *At spe sua falsi sunt. Longè enim alia mens Colomanno erat, quàm Ladislao; nec vt in regno, sic & in studio pietatis successerat. Hæc quæ Hungaricis monumentis consignata legimus, longè plus verisimilitudinis habent, quàm*

quæ Bonfinius literis mandauit de Andrea Rege; captaq́ ab illo Damiata; quia Principes primæ expeditionis in id vehementer incumbebant, vt Regem quempiam viribus opibusq́ præpollentem suã in societatem adsciscerent. Ea de caussa Constantinopolin delati, ipsi etiam Alexio Græcorum Imperatori ius & moderamen totius exercitus liberaliter detulerunt; etsi vulpes illa Græcanica, odio Latinorum, abnuit, oblatasq́ habenas respuit.

Cùm autem Ladislaus Rex vita functus fuerit anno Christi M. XC V. 3. Kalend. Augusti; vt scribit Bonfinius, oportet, totum, quod Annales Hungarici memorant, accidisse ante Concilium Claromontanum, quod eodem anno in Nouembri demum coactum & celebratum est. Et forsan is, qui ad Ladislaum Regem legatus venit, Petrus Eremita fuit. Hic enim omnia propè occidentis regna obiit excitandorum gratia Principum, donec tandem in synodo Claromontana, sacra hæc Deoq́ deuota militia in vnum coaluit, fœdere cum Deo & inter se icto.

Gom. lib. 3. de rebus gestis Ximen.

Testatur Aluarus Gomezius, Franciscum Ximenium, Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum præstantissimum multum operæ studiique insumpsisse, vt pro recuperatione Dominici sepulchri fœdus feriretur inter Ferdinandum Hispanum, &

Emma-

Emmanuelem Lusitanum, & Henricum Britanniæ Reges, idq́; liquere ex epistola quadam Emmanuelis ad Ximenium vbi hæc Emmanuel Rex: Ferdinādi soceri prudentia cū excellenti animi magnitudine coniuncta, nosterq́; itē & Henrici Leuiri ad hanc rem ardor & propensio, concorsq́; animorū affectus, diuino inprimis pauore adiuuante, sine quo nunquam in terris aliquid pręclarè geritur, facilè me in spem ingentem erigunt, vota tua suum finem habitura. Quæ quantum ex literis tuis intelleximus, semper eò tendunt, vt Mahometana secta deleatur, & omnes qui extra cætum Christianorum sunt Dominico gregi tandem coniungantur, fiatq́ue vnum ouile, & vnus pastor. Id autem fausta hac & felici expeditione ita commulatè euenturum speramus, vt propediem victoriis exultantes, sanctissimum Christi corpus, te ad sepulchrum Dominicum sacra faciente, è tuis manibus, socer & duo generi, magna lætitia & voluptate perfusi, genibus flexis sumpturi simus. Crede enim mihi, quod post Ferdinandi Regis ad hanc rem paratam voluntatem, cuius auspiciis mirificè confidimus, nihil meum animum magis confirmauit, nec confirmauit modò, sed altero tanto etiam adauxit, quàm tuum ad hanc rem feruorem, di-

 ligen-

ligentiam, curamque intueri, sine quibus nihil eorum, quæ à te prudenter singulis in rebus animaduertuntur, potuissent ad me perscribi, quæ mihi maximo argumento sunt, Deo annuente, prouinciam hanc assumi. Quare id tibi vnum persuadeas velim, multò magis mihi preciosum & charum esse, te nobiscum huius expeditionis participem venire, quàm si Rex quispiam potentissimus sese nobis socium adiungeret. Neque enim solùm opibus tuis & auctoritate, quæ neutiquã contemnenda sunt, præsidio nobis & vsui eris, sed augurij fortunatissimi spem præsentia tua semper suggeret: nam id ex tua pietate, &, quam perpetuò colis, morum, sanctimonia pro certo habemus, nihil vnquam aduersum aut triste eis, quibus cum verseris, accidere posse, &c. In iis verò, quæ ex longa consideratione, quam in legẽdis historiis adhibuisti, vbi de simili expeditione agitur, prudentissimè differis, permulta sanè exempla recensentur, quæ parum alioquin animatos deterrerent, & promptos & paratos commonefaciunt, & cautiores reddunt. Ea etsi nos quoque iam perspexeramus, abs te tamẽ admoneri grato & lubenti animo suscepimus. Nam & sententia nostra tuo calculo confirmata fuit, & ampliorem de

ea re

ea re cogitandi materiam nobis obtulisti, vt quando coram de eis agendum sit, ea, quæ nobis vsui sunt futura; accuratè expendere valeamus. Esset enim omni culpa dignus, qui ex aliorum periculis non saperet. At tu, Antistes optime, planè curam non vulgarem præ te fers, ingentisque tuę sollicitudinis non mediocre mihi testimonium præstas, cùm eorum omnium, quæ ad hanc rem conficiendam conducunt, tanta sis cognitione instructus, &c.

Hæc & alia in eandem sententiam Emmanuel Rex inclytus, ad Cardinalem Ximenium, ex quibus vtriusque ad sacram hanc militiam constituendam & ineundam cupiditas liquidò declaratur. Hæc tamen tam præclarè cogitata in irritum ceciderunt, fatali quadam æui nostri infelicitate, cui familiare, intestinis dißidiis Saracenorum Tyrannidem non modò stabilire, sed & propagare. Nec plura hìc de expeditionibus Cruciatis, quia plurima liber secundus huius operis lectori suppeditabit.

Cur numismata Crucigera collegerim, ac in primum librum coniecerim, nihil aliud caussæ habui, quàm cultum & honorem sanctißimæ Crucis, quem hoc etiam argumenti genere demonstrare planumque facere placuit. Edita sunt hominum eruditorum diligentia non pauca volumina plena Ethnicorum

 numi-

numiſmatis, quorum ſigna, typos, figuras, inſcriptiones, incredibili ſtudio & ſolertia accuratiſſimè explanant; nihilque intactum relinquunt, quod non eruant; aut eruere non tentent. An non decebat, vt pari cura numiſmata ſtaurophora *in lucem proferremus, aut iam antea prolata in vnum colligeremus? & quid Crux in nummis toties rutilans ſibi velit, patefaceremus, & vel ex moneta Crucis hoſtes & exterminatores redargueremus?*

Encomia & hymnos S. Crucis ipſumque quartum librum locupletare licebat ex opere Rhabani *Mauri de S. Cruce. Sed cùm liber ille, quantus, quantus, nihil aliud ſit, quàm præconium & encomium Crucis, nihil inde excerpſi, ratus, me maius operæ pretium facturum, ſi aliquot calamo exaratos codices adeptus, integrum Rhabanum aliquando ad Crucis gloriam magis illuſtrandam & amplificandam cum notis & explicationibus euulgem, tresque tomos de S. Cruce hac quaſi coronide coronem.*

Vnum adhuc adiicio, & finio. Quid illud? Mihi ſemper probatum eſſe conſilium Auguſti Cæſaris, qui teſte Suetonio, præcipuam curam duxit *in ſcribendo*, ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, *vt ipſe nominare ſolebat*, fœtoribus: *cuius eſt*

&

& illud ad Neptem suam Agrippinam: opus est, dare te operam, ne molestè scribas, aut loquaris. *Egregiè Fauorinus Philosophus apud Gellium, iuuenem quendam antiquitatis & obscuritatis in loquendo affectatorem increpans*; Tu, *aiebat*, perinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito vteris, quod scire atque intelligere neminem vis, quæ dicas. Nonne, homo inepte, vt quod vis abundè consequaris, taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quòd honesta, & bona, & sobria & modesta sit. Viue ergò moribus præteritis: loquere verbis præsentibus. *Semper insuper obseruandum existimaui illud Diogenis Apolloniatæ apud Laërtium.* λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκεῖ μοι χρεὼν εἶναι Gell.lib.1.c.10.

τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι, τὴν δὲ ἑρμηνείαν ἁπλῆν καὶ σεμνήν.

Vale.



In



In Tertium Tomum de S. Cruce

Carmen

CLARISSIMI VIRI PHILIPPI MENZELII. P. L. MEDICINÆ DOCTORIS, EIVSDEMQVE PROFESSORIS ORDINARII IN ACADEMIA Ingolstadiensi.

HOc curæ duc esse tuæ, propriique laboris,
Huic te serua operi, palmarum victor athleta
Multarum, GRETSERE, DEI pro gente, domoq;
Veridicũ vt stringas calamũ: stes murus, obexq;
Ferreus, hinc atq; hinc dum tam discordibus armis,
Ardua sacratæ quatiuntur tecta Sionis.
Iam dudum tacitis ruere illius ima cuniclis
Fundamenta parant, nouitas quibus impia cordi est,
Gens inuisa DEO; iam dudum vineæ aguntur
Innumeræ circum; turres, tabulataq; surgunt
Contrà inimica: genus teli nec omittitur vllum;
Nullaq; sacrilegis non machina quæritur ausis,
Millena dirus quam repperit arte Sathanas
Territat amentes, furiisq; accendit, & ira
Crux Erebi victrix, Tharsensis gloria Pauli,
Quam propugnaclis ostentat ab omnibus vnam
Inconcussa Sion: rutili quam syderis instar,
Supremo veniente die, claudenteq; secla,
Fulsuram cœlo, vatum prædicta loquuntur.
Heu pietas, quò prisca patrum, bene fidaq; cessit
Relligio? quam nunc odiis fatalibus isti
Turgentes immane execranturque, premuntque.
Tempus erat, quum Christiadæ, melioribus annis,
Hoc signo partæ memores, gratiq; salutis,

Prote-

Protegerent sese, & quæcunque pericula adirent
Intrepidi, & casus tuti aggrederentur ad omnes.
Quis veterum nummis inscriptam nescit, & auro
Christiferæ effigiem sacram Crucis, alma cruentos
Desiit vt primum pietas sentire tyrannos?
Hæc galearum apices, hæc scuta regentia corpus,
Pugnaces capulos hæc insignibat, & hastas,
Quæq; triumphandum signa inferrentur in hostem,
Et sceptra imperij, & fasces, regumque coronas.
Vna pios animos ea cura coquebat, & vnus
Omnibus ardor erat, coràm, penitusque tueri
Ad viuum lustrando oculis, quánam edita sylua,
Colleq; quo depacta arbos veneranda stetisset,
Vndiq; diuino satura illa, rubensq; cruore.
Huic genibus niti flexis, huic figere terræ
Oscula suppliciter prisci gaudere parentes:
Et loca mirari, & gratanti pectore obire,
Hospite sacra DEO, patriis deuotus vt iris,
Humana tacitum claudens in imagine numen,
Ipse redemit oues niueo spectabilis Agnus
Vellere, sed roseis interlitus vndiq; guttis.
Impetus is quondam Solymas prouexit ad arces,
Te duce, Bullioni, tot coniurata piorum
Agmina Christiadûm, totiq; sacra induit arma
Europæ, comitante ducum, regumque caterua.
Ingens quippe nefas visum tibi iure, profanos
Id calcare solum, pede quod calcauerat olim
Maximus Emmanuel, mundi Seruator IESVS,
Omnia prodigiis latè cœlestibus implens.
Præcipuè illius si fors sine honore iaceret
Funerei marmor tumuli, venerabile marmor,
Cælicolis augustum ipsis, sublime, verendum.
Quam vellem tua me Dux inclyte secla tulissent
Postremos inter comites, turbamue ministram.
Tædia nulla viæ, moles me nulla laborum
Fregisset. Tecum sanctas delatus in oras,
Pronus adorassem nascentis conscia CHRISTI
**** Antra

Antra, & Dauidicæ casta incunabula Bethlæ,
Impositamq; iugis altricem numinis vrbem
Nazaream, & montem, multa qui pinguis oliua,
Impendet Solymis, atque huic qui proximus, hortum,
Sanguine rorantem sudato, ante omnia & ipsum
Diuinum, iacuit quo mortua vita, sepulchrum.
Hanc mihi sortem fatorum arcana negarunt,
Nec vires anniq; sinunt, tardante senecta,
Ire Palæstinæ procul ad sacraria Terræ:
Tu votis adeunda meis, spectandaq; saltem
Corporis effracto totus dum carcere liber,
In sancto Domini Sabaothis monte quiescam,
Sis animo præsens, æternum tu mihi salue,
O Solyme felix, ô terque beata, quaterque,
Cœlestis Solyme, Diuûm domus, aula tonantis,
Cui solidi fulgent hyacintho, & iaspide muri,
Chrysolithus sternit plateas, gemmæ omnia, & aurum.
In te plena quies, paxq; inuiolabilis: in te
Nullus lætitiæ modus, intemerata voluptas,
Mille anni velut vna dies: nec terminus æui.

Fortunati equidem, quibus huc euadere cura est
Prima, introgresſis angustæ limina portæ:
Quam triuere viam, & prisci docuêre parentes,
Pectora plena DEO, nobis, GRETSERE, terendam.
Tecum hic esto labor, sanctæ, fortissime vindex,
Assertorq; Crucis, ne quà vestigia vulgus
Incautum malefida, obliqua, & deuia fallant,
Luciferam præferre facem: tum tramite recto
Sistere ad optatæ currentes præmia palmæ.



APPRO-

APPROBATIO ET PRIVILEGIVM.

Hunc tertium Tomum de S. Cruce à P. IACOBO GRETSERO Societatis nostræ Theologo compositum, & à designatis patribus lectum & probatum, ego GREGORIVS ROSEFFIVS Societatis IESV per superiorem Germaniam præpositus Prouincialis potestate mihi ab admodum R. P. N. Generali CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis excudi permitto, & quidem ab ADAMO SARTORIO, Typographo Ingolstadiensi, iuxta Sacræ Cæsareæ Maiestatis priuilegium, Societati nostræ, in suorum librorum editione concessum. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, sigilloq; munitas dedimus. Ingolstadij. Sexto die Septembris. M. DCIV.

GREGORIVS ROSEFFIVS Prouincialis.

Approbatio Facultatis Theologicæ in Academia Ingolstadiensi.

Tertium hunc Tomum pro sacrosanctę Crucis gloria à collega nostro P. IACOBO GRETSERO conscriptum, magno lectoris fructu in lucem edi posse iudico.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, SS. Theologiæ Doctor, Professor, Parochus Mauricianus: Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & pro tempore RECTOR.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

XXIX. Num-

LIBER SECVNDVS.

APOLOGIÆ PRO CRVCIATIS EXPEDITIONIBVS.

VII. Vix

LIBER TERTIVS.

APPENDIC. I.

Aduersus calumnias Caluiniani Danæi.

APPENDIC. II.

Aduersus Marbachium Prædicantem Lutheranum.

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.



IACOBI.

IACOBI GRET-
SERI SOCIETATIS
IESV THEOLOGI

Tomi Tertij

DE CRVCE CHRISTI

LIBER PRIMVS.

DE NVMISMATIS
CRVCIGERIS.

***** PRÆ-



PRAEFATIO IN PRIMVM LIBRVM.



VÆRIT Plutarchus in Quæstionibus Romanis: *cur antiquum numisma ab vna parte Iani bifrontis imaginem; ab altera nauis, aut puppim, aut proram inscriptam habeat? An, qua multorum est opinio, in honorem hoc fit Saturni, nauigio in Italiam aduecti?* Non placet hæc sententia Plutarcho *quia hoc ei cum multis aliis est commune,* inquit Plutarchus: *nam Ianus quoque & Aeneas mari in Italiam appulerunt.* Sed placuit non ignobili Poëtæ Ouidio, qui libro primo Fastorum inter alia hoc etiam ex Iano percontatus est, *cur naualis in ære altera signata est, altera forma biceps?* cui Ianus:

Talem nummũ edidit Sambucus. Exstat apud Theod.Cãterũ lib.2. Var. lect.cap.23.

Noscere me duplici posses in imagine, dixit,
Ni vetus ipsa dies extenuasset opus:
Caussa ratis superest: Tuscũ rate venit in amnẽ
Ante pererrato falcifer orbe Deus, &c.
At bona posteritas puppim formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Saturnum errantem atque inopem excepit, inquit Lactantius, recitans hos ipsos Nasonis versus: *Cuius rei argumenta sunt & nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis.* Honoris igitur & memoriæ caussa Saturnum & Ianum nummis inciderunt antiqui ex sententia Nasonis & Lactantij. *Lact.lib.1.Instit.*

Quod etiam testatur Athenæus, licet aliam caussam reddat his verbis: *coronas Ianum aiunt reperisse, nauigia, rates, num-* *Athen.lib.15.*

mum areum ab illo primo signatum. Quamobrem ciuitates in Græcia multæ, Italiæ & Siciliæ monetam cudunt, impressa bicipiti facie; & ex altera parte vel rate, vel nauigio, vel corona.

At cùm caussa Iani & Saturni in numismatis additi ab Ouidio reddita Plutarcho non arrideat; audiamus, num quàm ipse adducit, plus verisimilitudinis habeat. Ita ergo ille. *ἐκεῖνο δὲ ἄν τις μᾶλλον εἰκάσειεν, ὅτι τὰ μὲν καλὰ ταῖς πόλεσίν ἐστι, τὰ δ' ἀναγκαῖα, καὶ μέγιστον τῶν μὲν καλῶν ἡ εὐνομία, τῶν δὲ ἀναγκαίων ἡ εὐπορία. ἐπεὶ τοίνυν εὐκοσμίαν μὲν Ἰανὸς κατέστησεν αὐτοῖς, ἐξημερώσας τὸν βίον, ἀφθονίαν δὲ παρέχει τῶν ἀναγκαίων ὁ ποταμὸς πλώϊμος ὤν, καὶ τὰ μὲν ἐκ θαλάττης, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς χώρας κατακομίζων, σύμβολον ἔσχε τὸ νόμισμα τοῦ μὲν νομοθέτου τὸ δίμορφον διὰ τὴν μεταβολήν, τοῦ δὲ ποταμοῦ, πορθμεῖον. Illud fortè probabilius quis affirmauerit, cùm vrbibus quædam ornamento sint; quædam necessaria: ex ornamentis autem primas teneat bona legum constitutio: ex necessariis autem, rerum abundantia: Ianus verò antiquis ordinatam vitæ rationem tradiderit, moribus ad ciuilem placidamque vitæ societatem redactis; at copiam rerum necessariarum fluuius* (Tiberis) *suppeditarit, eas partim ex mari, partim ex vicina regione conuehens, ideo numisma habuit legislatoris quidem bicipitem faciem, ob mutationem in melius factam; & fluuij gratia, nauigium.* Ita Plutarchus.

Verum enimuero siue hæc caussa huius rei fuerit; siue prior illa; siue, vt ego arbitror, vtraque, siue quæ alia; parum interest; hoc dico, veteres Christianos meritissimò numismatis adiecisse, tanquam *παράσημον* & insigne, sanctissimæ Crucis symbolum: tum vt hoc reuerentiæ argumento Christum, eiusque Crucem colerent; tum vt Redemptionis & salutis acceptæ beneficium, palàm in nummis quoque testarentur. Impium enim fuerit vel solùm cogitare, ab aduentu Christi in mundum maiora commoda, & potiorem *εὐκοσμίαν*, rerumque omnium copiam nobis non exstitisse; quam priscis illis ab aduentu Saturni aut Iani in Italiam. Impium item fuerit cogitare, præstantiora per Crucem emolumenta ad nos non redundasse; quam ad Cascos illos per Tiberim aut nauium inuentionem.

Quocirca iure optimo antiquos laudamus, quòd Seruatoris nostri in nos per Crucem cumulatissimè collatam gratiam, in nummis itidem, Crucis typo effictо, profiteri & prædicare voluerint.

Quam Crucis numismatibus addendæ originem & caussam, vtinam accuratius secum perpenderent, aliisque perpendendam proponerent illi, qui hodie *Antiquarij* audiunt, & veterum numismata tractant. qui, cùm ad Ethnica ventum est, vix quidquam intactum relinquunt: cùm Christiana & Crucis trophæo insignita occurrunt, paucis res transigitur, aut etiam tota silentio præteruolatur.

Ridebat olim Anacharsis Græcos, teste Plutarcho, quos *numismatis non ad aliam rem vti dictitabat, quàm ad numerandū.* Idem istis planissimè accidit; qui contenti, si publicè gloriari possint, se tot & tot Constantini Magni, Theodosiorum, Valentinianorum, & similium nummos possidere, minimè solliciti sunt, quid sibi velit Crux in istis nummis rutilans; quid Crux in Imperatorum diadematis resplendens: Quid Crux in vexillis, & hastis, clypeisque militaribus fulgescens. Eleganter Plutarchus. *Qui Platonis aut Xenophōtis libros propter dictionem, nullaq; alia de caussa legunt, quàm vt Atticam illam munditièm inde veluti rorem colligant; quid aliud diceres, illos facere, quàm fragrantiam, & floridum medicamenti calorem amplecti, vim verò expurgandi corporis aut sedandi doloris neque nosse, neque admittere.* Idem non iniuria de istis dicas; qui Crucigeros nummos alio fine & consilio non versant & reuersant, quàm vt Antiquitatis amantes & studiosi videantur. Nihil pro scitis & decretis nostræ, & priscæ religionis inde eruunt: mente & cogitatione ex errorum cœno, in quo volutantur, non assurgunt; neque hunc in modum secum ratiocinantur. Fierine potest, vt Imperatores & Principes, quorum Crucigera numismata video & reuideo, propiusque iterum ac iterum contemplor: Crucem non coluerint: Crucem fregerint; conculcarint; & ex vsu communi exterminarint, Crucisque signum fronti totique cor-

pori non inscripserint; cùm ne nummos quidem huius salutaris symboli expertes esse voluerint? An credibile est, veteres istos approbaturos, & suo calculo confirmaturos fuisse duas istas Theses, quas non ita pridem Caluinista quidam, Prędicans Basileensis, (qui se per antiphrasin aut ironiam, vt arbitror, *Amandum* vocat,) in disputatiuncula quadam de Iconolatria effutiuit? I. *Crux Christi non est adoranda, nec imagines eius.* *II. Signum Crucis, quod vel in fronte vel in aëre pingitur, vel super quascunque res digito exprimitur, superstitiosum est.* Imò non tantùm Constantinus Magnus, Theodosius, & alij orthodoxi Principes Sectarium istum cum suis profanis assertionibus multùm valere, vel potius plorare iussissent; sed & idem fecisset Theophilus, Leo Armenus; & alij quantumuis acerrimi Iconomachi. Scribit Suetonius Caligulam *vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademisse: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompeio stirpis antiquæ, Magni cognomen.* Quanta voluptate, Caligulæ ad exemplum, adimerent Nouatores nummis, nec his tantùm, sed & maximis Principibus, vetustissimum Crucis insigne & digma. Quò enim aliò tendunt suis in Crucem criminationibus? quibus profectò insigni indignos sese efficiunt.

Scribit Plutarchus vetustissimos illos Latij incolas alia numismatis specie vsos, cui insigne fuerit *bos*, & *ouis*, & *sus*. Huius symboli postremam partem merentur Porcij & Suillij isti, quandoquidem nolunt ferre Crucem; quæ priscis summo in precio perpetim fuit.

Sed hæc paucis, vt ostenderem verum, legitimum & Christianum crucigerorum numismatum vsum, & fructum, quem etiam toto hoc primo libro patefacere conatus sum. *Sicut enim in floribus versari Simonides ait, apem, flauum mel meditantem, cum alij colorem eorum vel odorem, & nihil aliud quærant, aut percipiant: ita alius poëmata* (crucigera numismata) *voluptatis, iocique caussa versantibus, tu aliquid inueniens ac colligens serium, videberis iam consuetudine & amore pulchritudinis, & eo-*

Ex Plutar. lib. de profect. Virt. sentiendo.

rum,


rum, quæ Philoſophi (Chriſtiani) *ſunt propria, horum cognoſcendi facultatem tibi parauiſſe.*

Quod nam hoc ſerium ex numiſmatum inſpectione, & tractatione colligendum? Verbo dicam: Crucis vſus, cultus, amor: vſurparunt maiores noſtri, coluerunt, amarunt: Tu eur cum nouitiis iſtis terræ filiis rideas, contemnas, degener factus à pia vetuſtate? Noli laudem coryphæis ſectariorum debitam tibi aſſerere; quę eſt, vt in Cruce perſequenda & abolenda ipſos Ethnicos longo interuallo poſt ſe relinquant. Choſroæ maiori, Perſarum Regi, cùm Sergiopolim obſideret, data eſt aurea ſummi precij crux ex templo celeberrimi Martyris Sergij, vt obſidionem ſolueret. Num more huius ęui Harpyiarum, crucem conflauit? Num comminuit? Num vendidit? Nullo modo; ſed in theſauro ſuo inter ſibi chariſſima & exoptatiſſima cimelia aſſeruauit, vt ſcribit Euagrius. Quid Choſroes iunior? Hanc ipſam Crucem Baſilicæ S. Sergij reſtituit. nam cùm ab hoſtibus propius vrgeretur, & propemodum in deſperationem coniectus eſſet; *tandem religioſe*, inquit Theophylactus Simocates, *in cuiuſdam pietatis cogitationem ingreditur, iterumque ad Deum, principem rerum omnium ſeſe conuertit: ac venerandum Sergium Martyrem, quem colere etiam barbaræ nationes conſueuerant, ſuppliciter rogitat, vti laboribus ac miſeriis ſuis ne deſit:* ἀπαρχάς τι προπαίων καθυπισχνεῖ τὸ προσφέρεσθαι τῶ κυριακῶ πάθους τὸ ἐπίσημον σήμαντρον, σαυρὸς δὲ τοῦτο ἀναγορεύεται. πικτονδέεσθαι δὲ τοῦτον, χρυσήλατον, μαργαρίτιν δὲ περιβαλεῖν αὐτῷ, καὶ τῶν ἰνδικῶν λίθων σὺν διαυγεῖς. *Se illi victoriæ ſuæ primitias oblaturum pollicebatur, nimirum Dominicæ paſſionis illuſtre ſignum, (Crucem nominant) ex auro confectum, & margaritis, pellucidiſque ex India lapillis diſtinctum.* Nec promiſit tantùm, ſed & promiſſa fecit, vt idem Theophylactus ſcribit, remiſſa ad ædem Martyris Sergij Cruce, quam Choſroes ſenior abſtulerat. ἐν τούτῳ γοῦν τῷ σαυρῷ ἕτερον χοσρόης ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξ ἀπέφθου χρυσοῦ σαυρὸν ἐπικτλώσατο τὴν αἰτίαν ἐντυπώσας ἐν αὐτῷ τοῦ ἀναθήματος. *In apice Crucis huius Choſroes ex auro obryzo Crucem aliam conficiendam, in eáque cauſſam anathematis ſeu dedicationis inſcribendam*

Theoph. lib. 5. cap. 1.

dam curauit. Num simile quid à nostris Euangelicis in tot templorum direptione & sacrilega expilatione vnquam factum est? Nescio num aliis aliquid huius generis compertum sit? ego ignorantiam meam liberè hîc confiteor. Hoc scire mihi videor, istos vngulis miluinis esse, & more Antiochi illius agere, cùm in templa nostra vi aditum sibi patefaciunt. *Intrauit in sanctificationem cum superbia*, inquit scriptura de Antiocho, *& accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia.* Idem genius est istis Pseudochristianis. Sed iam ad ipsam numismatum σταυροφόρων explicationem accedamus.

1. Machab. ca. 1.



LIBER



LIBER PRIMVS DE S. CRVCE, QVI EST DE NVMISMATIS CRVCIGERIS.

CAPVT I.

De etymo nummi, & numismatis.

NVMMI seu Numi (vtraque enim scriptura doctis probatur, & vsurpatur) *à Numa Romanorum Rege vocati sunt*, inquit Isidorus lib.16. Etymolog. cap.17. *qui eos primùm apud Latinos imaginibus notauit, & titulo nominis sui præscripsit*. Cedrenus. κεράτια δὲ αἱ ιβ φόλλεις ὠνομάσθησαν, ἤτοι νοῦμμι, ἀπὸ Νόμυ (ita habet editio Cedreni) βασιλέως ῥώμης, ὃς καὶ πρῶτος τοὺς ὀβολοὺς τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ἐχάραξε, καὶ νούμμους αὐτοὺς κατὰ τὸ ἴδιον ὄνομα ἐκάλεσεν. *Ceratia appellantur duodecim folles, seu nummi à Numa Romanorum Rege, qui primus obolos sua effigie insigniuit; & ex proprio nomine nummos nominauit.*

Alibi idem Cedrenus de Numa. καὶ ἀσσάρια δὲ ἀπὸ ἀσημίου, καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος ῥωμαίοις ἐχαρίσατο, πρὶν διὰ σκυτίνων, καὶ ξυλίνων, καὶ ὀστρακίνων, τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμία ἐκάλεσεν. Vbi interpres. *Primus Romanis asses areos litera A. signatos largitus est. Conieci*, inquit, *scriptum fuisse*, ἀπὸ Α σημείου. At malè. Vna enim vox est ἀσήμιος, Cedreno, recentiori, & mixobarbaro Græco, idem significans, quod ἄσημος *carens signo, & nota*. Verte igitur: *Numa primus Assaria ex non signata, eaq; area materia confecta, Romanis elargitus est, cùm prius coriaceis, ligneis, testaceisq; ad res necessarias comparandas vterentur.* eaque ex proprio nomine *Nummos* appellauit. S. Epiphanius libro de mensuris, & ponder. τὸ δὲ νουμίον τετύπωται ἀπὸ τοῦ νουμᾶ τινος βασιλέως τῶν ῥωμαίων. *Nummus signatus est à Numa quodam Romanorum Rege.*

Occurrit & apud alios posteriores Græcos numero multitudinis vox νουμία, seu νουμμία, vt & φλωρία, pro *florenis*. Cæterũ, quod ad Cedreni locum attinet, pro ἀσημίου legendum videtur ἀπὸ σιδήρου. Ita enim Suidas

de Numa Rege. V. ἀσσάρια. ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα (ἀσσάρια) πρῶτος ἐχαρίσατο ῥωμαίοις, &c. ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμμία. ὥς φησι Τραγκύλλος. *Facta ex ferro & ære assaria primus Romanis largitus est, quæ proprio de nomine nominauit Nummos.* Ex Suida ergò reparetur Cedreni lectio, cuius, vt ex Isidori, etymologiam in medio relinquo. neque enim ad disputationem nostram admodum facit, siue approbetur, siue improbetur. Longè profectò magis ad veritatē accedere videtur, quàm illa quorundam opinio, qui *nummum à Numero* deriuant; quippe *cum nummi functio non minus numero constet, quàm pondere.* Nec absterrentur diuersa vtriusque vocis quantitate; quæ breuis in prima syllaba *Numeri*; longa in *Nummi*; quia & *molestus à mole* est; vt Seruio placet: & *laterna à latendo*; & *lucerna à lucendo*, quantitate dissimili.

Alij *nummum* rectè deducunt à *Nomo*, quod Græcis, præter alia, *lex.* Νόμος autem descendit à νέμω, quod *est, diuido, distribuo.* Nec opus fusius persequi, quàm aptè νόμος παρὰ τὸ νέμειν formetur. Nobis satis est ex Græco vocabulo νόμος, cusum esse Latinum *numus* seu *Nummus.* ῥωμαῖοι παρεστρέψαντες νοῦμμον λέγουσι. *Romani* vocem νόμον nonnihil inflectentes, *Nummum* appellant. quia Nummus νόμῳ seu lege constat, fit, cuditur, & signatur. Eiusdemque notionis est νόμισμα, *Numisma*, à νομίζω, quod est, *lege sancio, moribus instituo.* Hinc νομίζεσθαι, *moris esse, in more positum esse, solenne esse.* Hinc νόμισμα. διὰ τοῦτο δὲ ὄνομα ἔχει νόμισμα, inquit Aristoteles, lib. 5. Ethic. cap. 5. ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. *Inde verò numisma nomen habet, quia non subsistit natura, sed νόμῳ seu lege; nam penes nos est illud mutare, & inutile efficere.* Lycurgus enim aureos & argenteos nummos Lacedæmoniis prorsus inutiles reddidit, cùm instituit, vt ferreo tantùm nummo vterentur, vt inquit Muretus in lib. 5. Ethic. Arist. ad Nicomachum. *Non igitur naturalis est vis, ac potestas nummi. Nam quæ naturalia sunt, hominum voluntate neque tolli, neque mutari possunt. Videmus etiam aureos nummos aut edicto principum, aut tacito populi consensu modò pluris, modò minoris esse:* quia νόμῳ seu lege introducti, & precio definiti sunt.

Quæ numismatis originatio multò aptior est, quàm illa Isidori. *Numisma est solidus aureus vel argenteus, siue æreus, qui ideo numisma dicitur, quia nominibus principum, effigiebusq; signabatur.* Verum quidem est, hæc addi solita Numismatis; sed negamus νόμισμα inde notionem suam accipere; quia & illa numismata sunt, quæ principum nominibus & imaginibus carent.

Notant autem aliqui, neque immeritò, Aristotelem cum νόμισμα à νόμος deducit, respicere nō ad proximam, sed ad remotam originem. nam à νόμος fit νομίζω, cuius pass. νομίζομαι, ab huius autem præteriti

prima

prima persona νενόμισμαι, formatur νόμισμα. Quod Grçcis tritum & vsitatum, sicut nobis nummus: non autem illud νόμος in hac quidem pecuniæ significatione. Neque enim locum apud Græcos scriptores reperias, vbi νόμος idem sit quod νόμισμα: apud Græcos, inquam, communes. Nam Δωριεῖς ἐπὶ νομίσματος χρῶνται τῇ λέξει. *Dores voce νόμυ vtuntur pro voce numismatis.* Alij tamen non νόμον, sed νοῦμμον à Doribus, qui in Italia & Sicilia habitabant, vsurpatum dicunt, notione prorsus Latina. Nam Aristoteles in Tarentinorum Republica scribit apud eos numisma quoddam vocari νοῦμμον. & in eo Tarantis, Neptuni filij, equo marino insidentis impressam esse imaginem. Epicharmus. εὑρήσοντι δέ μοι καὶ νούμμους. *Reperient mihi nummos.* Rursus. κῆρυξ ἰὼν εὐθὺς πρίω μοι δέκα νούμμων μόσχον καλάν. *Præco; recta. & eme mihi decem nummis pulchram vitulam.* Non sum nescius, esse quendam, cui νοῦμμος, geminato μ, videatur primigenium, nec à *nomo* formatum, quique inter *numum*, & *Nummum* discrimen statuat. Sed quam verè, ipse viderit. Tam *Numum*, quàm *Nummum* Latinos à Græcis accepisse, longè credibilius est; vt & illud, *nummum* geminato, & à Latinis ad Dores migrasse, non vice versa. nam geminatio illa literæ planè est arbitraria; & in cuiusuis potestate sita.

CAPVT II.

De figura Nummorum.

IN *Numismate*, inquit Isidorus lib. 16. orig. *tria requiruntur, metallum, figura, & pondus.* Adduntalij, auctoritatem, siue æstimationem lege publica nummo attributam. Nos hîc de sola figura agemus, omissis cæteris, quæ ab instituta disputatione longius abeunt. Figura (quæ & *forma*, & *calatura*, & *signum*, & *effigies*, imago, & character appellatur) dici solet id, quo impressa nummi cuiusque auctoritas designatur. ὁ γὰρ χαρακτὴρ τοῦ ποσοῦ σημεῖον, *character quanti nota est*, inquit Aristoteles lib. 6. Politicorum: qui etiam ait: *primò quidem nummum definitum fuisse magnitudine, & pondere; tandem verò characterem adiunctum esse, vt homines à ponderandi labore liberarentur.*

Figuræ vocabulo non simplex quiddam intelligendum est; sed hæc quatuor. Effigies auctoris, cuius auctoritate nummus ille percussus, vel alicuius alterius: Secundò, nomen auctoris. Tertiò, scriptio; denique, signum aliquod, siue nota, eaque vel certa, vel arbitraria. Omnia ista ad figuram nummi pertinent: nec tamen omnia in quouis nummo aut continebantur olim, aut etiamnum continentur; vt per se liquet. Sæpe enim in nummis & eius, cuius nutu cusi sunt, &

aliorum imagines cernuntur: sæpè, præter nomen Auctoris, & titulos dignitatis, nulla alia inscriptio apparet. Itaque in nummis antiquis, qui indies eruuntur, & iam olim quoque ex latebris eruti sunt, videre licet, ait quidam, qui de re nummaria scripsit, interdum Martis aut Veneris, aut Mercurij, aut alterius Dei: Deæue effigiem: interdum Romam galeatam, lupam vbera lactentibus infantibus præbentem, aquilam legionariam, fulmen duplex, taurum cornupetam, secespitam, aspergillum, guttum, lituum, capedunculam, coronam, Delphinum, bigas, quadrigas, stellas, & quiduis denique. imo & variarum animalium formas, vt leonem, leporem, equum, murem, noctuam, ouem, bouem. Hinc prouerbium: *Bos in lingua*; in illos, qui nummis, quibus bouis effigies impressa, acceptis, crimina non accusabant, sed silentio obtegebant.

Verum enim vero nihil in nummis olim venerabilius, Imperatotorum, Regum & Principum imaginibus. De more quidem has imagines imprimendi nummis constat ex sacra Euangeliorum historia: vbi Saluator de sibi demonstrato numismate census: *Cuius est hæc imago & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.* Iuuencus Presbyter.

Adspicite en nummum, sculptiq; numismatis æra,
Cæsaris expressum facilè est ibi cernere vultum.

Prudentius in S. Laurentium:

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum, &c.
Augustus arcem poßidens
Cui nummus omnis scribitur.

Respexit ad hunc ipsum morem S. Irenęus, cùm lib. 1. aduersus hęreses cap. 1. dicit, eum qui benè institutus sit, gratiamq; baptismi conseruet, facilè vitaturum prauas & peruersas interpretationes, quas scripturis hæretici adhibent; *Etenim si gemmas agnoscet, sed vulpem pro regali imagine non recipiet.* Tametsi locus iste Irenæi propriè tantùm de imagine Regia gemmis indita accipientibus videatur. Sed non est, quod quis de more dubitet. Exstant nimis clara testimonia; nã vt primùm nouus Imperator creatus erat, continuo eius effigie insigniti noui nummi signabantur. Hinc illud Ammiani lib. 26. *Aureos scilicet nummos in vultum noui principis, aliaq; ad illecebras aptantes.*

Theodoricus Rex apud Cassiodorum variarum lib. 6. epist. 7. *Vt figura vultus nostri metallis vsualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere;* vbi alludit ad illud, quod à nonnullis affertur, etymon monetæ. *Moneta appellata est, quia monet.* Subdit seu Theodoricus, seu Cassiodorus. *O magna inuenta prudentum, ô laudabilia instituta*

instituta maiorum, vt & imago Principum subiectos videretur pascere per commercium, quorum consilia vigilare non desinunt pro salute cunctorum. Idem lib. 7. epist. 32. ex persona Theodorici Regis: *Omninò moneta debet integritas quæri, vbi & vultus noster imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur.* Qui vultus, tãtum auctoritatis numismatibus addebat, vt etiam antiqua eodem precio cum nouis censerentur, dummodo in pondere nihil deesset. Ex quo manauit illud Imperatorũ edictum lib. 11. Cod. Iustin. tit. 11. L. 1. *Solidos veterum Principum veneratione formatos ita tradi ac suscipi ab ementibus & distrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur: modò, vt debiti ponderis sint, & speciei probæ: scituris vniuersis, qui aliter fecerint, haud leuiter in se vindicandum.*

Quocirca malè audit apud Historicos Nicephorus Phocas, qui legem hanc violare & nummos imagine sua insignitos omnibus præponere ausus fuit. Cedrenus. *Cum lex & consuetudo esset, vt nummorum omnium, qui Imperatoris effigie formati essent, nisi quid eis in pondere deesset, par eademq́ue potestas esset, statuit, vt nummi formâ suâ insigniti, deminutis aliorum precijs, omnibus præualerent; qua in re ciuibus ac subiectis suis in permutationibus non leue dispendium attulit. Eadem Zonaras.* Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius capitale supplicium statuerunt ei, qui *obryzatorum omnium solidorum vniforme precium* admittere nollet; quod *æternales vultus, fraudibus studens, duceret viliores.*

Ob hos vultus Imperatorum nummis impressos nefas erat, eiusmodi nummos in rerum permutationibus oblatos, repudiare. Arrian. lib. 3. *τὸ τοῦ καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει οὐ θέλει προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. Imperatori numisma non licet Trapezitæ respuere; neque etiam olerum venditori: sed si monstraueris, velit nolit, loco illius mercem dare cogitur.* Testatur etiam Paulus Iureconsultus tit. 5. sentent. lib. 25. lege Cornelia de falsis teneri eum, qui *monetam Principum vultu signatam reprobauerit.* Eadem lege multò magis tenebitur, qui nummum Principis effigie conspicuum adulterauerit ac vitiarit. *Quidnam erit tutum*, inquit Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 7. epist. 32. *si in nostra peccetur effigie? & quàm subiectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet?*

Cæterùm Christiani fidem suam & pietatem ipsa etiam pecuniæ forma profiteri volentes, præter imagines Principum, addiderunt nummis imagines Cœlitum; vt Angelorum: cuius moris testis Theodoretus in Historia Religiosa, vbi de Simeone Stelite: Et sanctorum; quæ consuetudo ad hæc nostra tempora durauit. solent enim multis locis patroni locorum in nummis signari. Et si quis vetera numismata studiosius inuestigare velit, videbit non in nullis ef-

figiem S. VVolffgangi Epiſcopi Ratisbonenſis cum hac epigraphe: ORA PRO NOBIS. Etiam Saluatoris imago nummis addita eſt à Ioanne Zemiſce Imperatore Conſtantinopolitano, poſt inſignem illam victoriam à Bulgaris reportatam. Teſtis Ioannes Curopalata, cuius ſunt hæc in ſua hiſtoria. *Imperauit* (Imperator) *in muniſmate, aureo ſcilicet ſolido, atq; in obolo ſculpi Saluatoris imaginem, quod antea factum non fuerat, in cuius altera parte hæ literæ inſcribebantur:* CHRISTVS REX REGVM. *Et hoc ſubſequentes obſeruarunt Imperatores.* Hæc Curopalata.

Vide Ant. Anguſt. Dial. 1. &c. huiuſmodi zemiſca numiſmata profert.

Quæ tamen num vera ſint, dubito, præſertim ſi velit, hunc Imperatorem ſimpliciter fuiſſe primum, qui nummis imaginem Saluatoris adiecerit. Exſtat enim Nummus Criſpi Cæſaris, Conſtantini Magni F. in quo Saluatoris imago conſpicitur, de quo ſuo loco; vt alios huius generis nunc taceam.

Hunc morem addendi nummis imaginem Saluatoris, cùm Iſaacus Comnenus Imperium adeptus, non obſeruaſſet; ſuamque effigiem ſtrictum gladium tenentem addidiſſet: vitio id illi datum eſt ab Hiſtoricis, quaſi imperium in acceptis referret non Deo; ſed enſi ſuo. Zonaras. ὁ δὲ κομνηνὸς τῇ βασιλείᾳ ἐγκατεστὰς ἑαυτῷ τὴν ταύτης ἐπιτυχίαν, καὶ οὐ τῷ θεῷ ἀπεχάψατο, καὶ τοῦτο δῆλον, ὅτι τῷ νομίσματι ξιφήρη ἑαυτὸν ἐνεχάραξε, μόνον οὐχὶ βοῶν, ὅτι τοῦτό μοι τὴν βασιλείαν, καὶ οὐχ ἕτερόν τι προυξένησε. *Comnenũ imperio firmato, adeptionem eius non Deo, ſed ſibi adſcripſiſſe, inde apparet, quod in nummis ſuam imaginem ſtricto enſe inſculpendam curauit, tantum non clamitans, eum ſibi, nec quidquam aliud, regnũ peperiſſe!* Eadem Ioannes Curopalata in ſua Hiſtoria. *Comnenus adeptus imperium, ſtatim in regio numiſmate Spathaphorus imprimitur, non omnia accepta Deo referens; ſed propriæ virtuti, & rei militaris peritiæ.*

Porrò inter cætera religionis noſtræ ſymbola admodum libenter & frequenter nummis addita ſunt à Chriſtianis ſacroſanctæ Crucis ſtemmata, de quo more paulò copioſius agendum eſt; cùm eius illuſtrandi gratia omnis hæc ſeu diſputatio, ſeu lucubratio ſuſcepta ſit.

CAPVT III.

De nummis Crucigeris.

NVMMOS Cruce inſignitos nominemus licet *Crucigeros*, ſeu *cruciferos* Græcè σαυροφόρους. Huiuſmodi nummos olim cuſos fuiſſe; & etiamnum cudi ac publicè circumferri, ſi quis aut dubitet, aut neget, is omnium profectò rerum rudis ac imperitus non iniuria cenſeri queat. Quid enim hac re magis obuium, vel in vſu quotidiano, & foro, vel in eorum libris, qui veterum numiſmata nobis deſcripſerunt, & depinxerunt?

Non

Non repetimus ea, quæ iam scripsimus lib. 2. de S. Cruce cap. 56. Contenti hic sumus testimonio Anastasij Abbatis, scriptoris antiqui, & Græci à Turriano nostro Latinitate donati, qui in libro suo aduersus Iudæos; inter argumenta, quibus veritatem fidei nostræ confirmare licet, hoc etiam numerat: quòd tot hostes, & oppugnatores Religionis Christianæ *imaginem ac signum crucis tollere non potuerint ex numismate Christianorum, quamuis id non pauci conati fuerint*, inquit Anastasius. qui addit, *fidem nostram æternam & inuictam esse, designari per signum Christi, quod ex nummo deleri nunquam potuit*. Imò, *si nummi cruce careant*, inquit Anastasius, *Iudæi improbant, ac reiiciunt*.

Eadem fermè leguntur in libro ad Antiochum Principem inter opera S. Athanasij: vbi proponitur hæc quæstio, & est 42. *Quomodo manifestum est, quòd meliorem omnibus sub cœlo fidem nos Christiani credimus? omnis enim fides, seipsam esse aliis diuiniorem, & magis piam existimat.* Ad hanc quæstionem, præter cætera, datur hoc responsum. *Quod Barbari & hostes Christiani nominis, imaginem Imperatoris cum cruce de nummis delere nequiuerint*, ὁ δὲ τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐκ τοῦ νομίσματος καταργῆσαι σὺν τῷ σταυρῷ ἴσχυσαν, καίπερ πολλῶν τυράννων τοῦτο δοκιμασάντων, *quamuis tyranni quidam hoc moliti sint*. Vbi pro vocabulum, ἑαυτοῦ, referri debet ad Imperatorem, cuius imago cruce spectabilis in nomismatibus visebatur, id quod perspicuè liquet ex Auctoris, quisquis ille fuit, verbis: quæ eadem propè cum verbis Anastasij Abbatis, vt proinde necesse sit alterum ab altero accepisse: & potius crediderim Anastasium expilatum, quam expilasse. Quis enim non videt multa aliena & exotica in Quæstiones illas ad Antiochum illata esse?

Nisi quis existimet, quod quibusdam placere video, opus illud non prodiisse ex officina Magni & celeberrimi illius Athanasij Alexandrini, manuq; aliena interpolatum non esse: sed ita, vt exstat, auctorem habere alium quendam Athanasium D. Cyrillo Alexandrino Synchronum; & Antiochum illum, ἄρχοντα, cui liber inscriptus, fuisse Theodosij Iunioris Imperatoris præfectum: sic enim reddendum esse ἄρχοντα, non *Principem*, vt vulgò.

Nomine autem Tyrannorum, quos dicit conatos, vt Crucem ex nummis expungerent, designare videtur, Iulianum Apostatam; qui id vano nisu tentauit: sublato Labaro; quem postea imitatus est Attalus Tyrannus ab Honorio Imperatore domitus, quos similiter numismatis Crucigeris non pepercisse, ob odium aduersus Crucem, admodum fit credibile: quamuis verisimilius arbitrer Athanasium & Anastasium præcipuè respexisse ad barbaros, eorumq; duces & principes,

cipes, qui sæpius in Romanum Imperium, & in ipsam Romam validis copiis impresſiones fecerunt.

De more ergo Crucis in numiſmatibus ſignandę conſtat;magisq; conſtabit, cum ipſa numiſmata lectoris adſpectui ſubiicientur. Addita eſt Crux nummis tam vſualibus iis nimirũ, qui in contractibus vſurpati, quàm aliis, qui eo fine duntaxat cuſi, vt dono darentur illis, quos Princeps eximiè cohoneſtatos vellet. Germani non incommodè appellant Gnadenpfenning: quaſi dicas, *nummos gratiæ & beneuolentiæ*. de qua re alibi fuſius dictum. Et addita eſt non vno modo. Interdum enim apparet in Regum & Imperatorum imaginibus, quæ nummis impreſſæ; vt in corona, diademate; ſæpe in manu; aliquando in globo, quem manu tenent: Item in clypeo, ſæpe in vexillis ſeu ſignis. Non raro ſupra ſigna. Eſt, cum in haſtis & contis. Eſt, cùm pura Crux abſq; alicuius alterius adiectione; eſt, cùm non vna, ſed gemina, imò & tergemina.

Nec Crucis vna ſpecies: Interdum enim effingitur vt commiſſa; interdum vt immiſſa; aliquando inſtar litteræ X. aliquando inſtar ☧, aliiſq; modis, quos ipſa nummorũ inſpectio tibi monſtrabit. Primus, qui Crucem nummis addidit, Conſtantinus Magnus, fuit, quod litteris quidem proditum ſit. neque enim exſtant numiſmata *Crucigera* Imperio Conſtantini antiquiora. Occurrit quidem in longè vetuſtioribus nummis figura X, & in quodam Ptolemæi nummo etiam ☧. vt lib. 2. de S. Cruce c. 38. oſtendi; ſed inter doctos non conuenit; quid ſibi iſtæ notæ in nummis velint. Ego, vt inter litteras Hieroglyphicas Crucem præſignificatam ſcio, ita numiſmata Ethnicorum ſpecie X aut ☧ conſpicua; noſtrorum, quæ Cruce inſigniuntur typos fuiſſe, & vmbras quaſdam, facilè mihi perſuadeo. nam vt alia ad Crucis gloriam pertinentia Deus olim prædemonſtrauit non modò apud Iudæos, ſed & apud Ethnicos; vt lib. 1. de S. Cruce copioſè oſtenſum, ita & futuram Crucis gloriam in pecunia Chriſtianorum iam olim quaſi prædelineare, & obſcuris quibuſdam coloribus adumbrare voluit.

Ex Muſeo Ortelij 1573. Inter Iconas *Deorum Dearumq;*, quas Antuerpia ante aliquot annos vulgauit, viſitur imago *Felicitatis*, quæ *Cruciculam* ex aure dependentem geſtat. Qua de cauſſa verò? An quia Chriſtianorum felicitas Crux? Quapropter eſt in nummis: *Romanorum, Auguſtorum, Exercitus gloria & victoria* crebro nominatur: Ita loquor: licet augurer non defuturos Antiquarios, qui hoc rideant. quaſi illa elogia, aliò quàm ad Crucem pertineant. Sed vt ipſi cauſſam habent cur ad Crucem non referant, Crucis nimirum odium; ſic ego cauſſam habeo cur referam, Crucis ſcilicet amorem.

Quod

Quod attinet ad Felicitatis typum, fieri quidē poteſt, vt qui olim eum expreſſerunt, id quod dixi, non cogitarint; at ſufficit, vt ad hanc metam conſilium ſuum retulerit ille, qui iam olim futuram Crucis maieſtatem in æternitatis, vt ſic loquar, adyto, prædeſtinarat.

Inter Nummos Ethnicos deſcribitur quidem à Nummographo in Galieno, in quo *figura ſtolata cum cruce & victoria ſuper baſim.* Profert idem alium nummum Romuli Auguſti filij Maxentij, in cuius auerſa parte eſt victoria ſtans, dextra crucem tenens: cum hac inſcriptione: VICTORIA AVG. quod pluſquam mirum, in Tyranni adeo ſcelerati & impij filio. Dices: Si duo iſti nummi germani ſunt ac ſinceri, non ergo primus Conſtantinus Magnus, qui Cruce nummos inſigniuit; vt paulò ante dictum. Reſpondeo, primum fuiſſe, qui Crucis honorandæ & illuſtrandæ gratia addiderit. Nam hac mente nec Galieni, nec Romuli nummo additam fuiſſe certum eſt. Deinde non abſq; myſterio Romuli nummus Crucem ferebat. Portendebatur enim, quo vexillo, quaque armatura Maxentius parens, infenſiſsimus Crucis hoſtis, interiturus eſſet. Cruce enim poſtea à Conſtantino profligatus, Imperio ſimul & vita truculentus Tyrannus priuatus eſt: Nam vt Nicephorus canit in ſuis Iambis, & hunc & alios Tyrannos vicit Conſtantinus, σταυρῦ πεποιθὼς ἀῤῥαγεῖ πανοπλίᾳ. *Inuicta Crucis armatura fretus.*

Cauſſa Crucis numiſmatibus inditæ alia non eſt, quàm Crucis honos ac veneratio. Sozomenus de Conſtantino Magno lib. 1. cap. 8. *Sanctæ Cruci plurimum tribuit honoris tum propter ſubſidia in bello contra hoſtes gerendo ex eius virtute ſibi collata, tum propter diuinam ſibi de ea oblatam viſionem.* Qua erga Crucem reuerentia permotus *Crucis ſupplicium lege ſuſtulit,* vt idem Hiſtoricus ſcribit: *ſuamq; imaginem, ſeu in nummis expreſſam, ſeu depictam in tabulis, iuſſit ſemper hoc quoque diuino ſigno inſcribi conſignariq; cuius rei etiamnum teſtimonio ſunt imagines eius hac figura deſcriptæ,* inquit Sozomenus.

Qua igitur mente Conſtantinus olim Crucem nummis adiecit; eadem adiecerunt illam cæteri Imperatores, Reges, ac Principes, vt proinde aduerſus Crucis hoſtes & euerſores ex pecunia quoque non infirmum argumentum ducatur pro cultu & veneratione ſacroſanctæ Crucis; quæ pecuniam verè efficit *Monetam.* Monet enim, quando *Vide lib. 1. de*
Crucis ſignum gerit, quis nos emerit, ac redemerit; & quo precio, ni- *S. Cruce ca. 36.*
mirum, *non corruptibilibus auro, & argento, ſed precioſo ſanguine Agni immacu-* *1. Pet. 1.*
lati empti eſtis precio magno, clamat Apoſtolus; *glorificate, & portate Deum* *1. Cor. 6.*
in corpore veſtro.

Monet insuper moneta crucifera; quam longè recedant à veterum pietate, qui Crucis signa & imagines demoliuntur, & exterminant, neque vllo pacto in templis, vsuque communi ferunt. Si enim veteres posuerunt Crucis typos in nummis, quanto promptius id fecisse censendi sunt in templis. *Crucis signum nemo bonus vituperat*, inquit Simo meus Missenus Caluinista. Non ergo *boni* sunt Caluinistæ; qui Crucis signum nec in templis, nec in synagogis suis ferunt: nec eo frontem suam inscribunt; nisi fortè laudādi, quod vitale hoc signum tolerant in pecunia; quam non ideo abiiciunt, quòd crucis signo consignata sit; similes in hoc Iudæis, qui & ipsi nullas patiebantur imagines intra prouinciam suam; templum, aut synagogas: in loculis tamen imaginiferos nummos æquò animo ferebant; & eò æquiore, quo plures erant. Nam numisma illud Christo ab Herodianis ostensum, Cæsaris effigie notatum fuisse; patet ex quęstione Domini, & ex responso Herodianorum. *Cuius est hæc imago & superscriptio. Dicunt ei: Cæsaris:* neque solummodo Cæsaris imagine insignitum erat; sed fortè hanc quoque inscriptionem præferebat: TI. CAESAR. AVGVSTI F. IMPERATOR; Fortè ex altera etiam parte imaginem habebat, cum aliqua inscriptione; hac nimirum vel simili: PONTIFEX MAXIMVS. Cuiusmodi Nummus Tiberij Cęsaris exstat: & plerumque nummis respondet ab altera parte effigies aliqua, tametsi non vna, sed varia.

At quod quidam scribit, *credibile esse, eo grauius fuisse Iudæis tributum Romanis pendere, quod vltra dispendium argenti, Cæsaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeo illi afferre cogerentur, cum memores ipsi diuinæ legis omne pictum sculptumq́ summæ execrationi haberent*: id meo iudicio, planè incredibile est; Arbitror enim illis tam graue fuisse Cæsaris effigie spectabiles nummos accipere, habere, possidere, & in crumena circumferre; quam graue id accidit horum Iudæorum posteris, qui tempore Anastasij Abbatis, & Auctoris quæstionum ad Antiochum, nummos repudiabant, tanquam suspectos & adulterinos, nisi cruce insigniti essent: & quam graue hodie accidit Iudæis, vt conquirant, & accumulent nummos illos, qui à Cruce vocantur *cruciferi*, aut illos aureos & argenteos, in quibus Imperator globo crucigero visendus conspicitur. Admodum scilicet cruciantur si huius generis moneta abundent, eamque tractent, & in thesauris suis conseruent; vt & Caluinistæ, Iudæorum, quod ad imaginum detestationem attinet, fratres: & Turcę; quibus nummos crucigeros vel tetigisse, immensum scilicet scelus ducitur. Hinc si in auream, eamque cruce collucentem prædam nummariam incidant; pedem nimirum referunt; *improuisum asprìs veluti qui sentibus anguem pressit humi nitens*, homines planè religiosi, qui,

si, qui, vt cum doctrina sua sese conforment; ipsam pecuniam Cruce notatam, non sine notabili fortunarum iactura aspernantur. Scilicet. Vbi auditum vnquam Iudæum, Turcam, Caluinistam huiusmodi monetam per publicam auctoritatem Cruce consignatam respuisse, aut obuiis vlnis, non amplexum esse? Videlicet, amor nummi vincit & nonnihil tegit odium crucis; vt in Iudæis olim odium imaginum vniuersim. Et tamen, si Iudæi, Turcæ, Caluinistæ, omnesque Iconomachi sibi constare vellent; Crucem, vt in templis, ita & in nummis ferre non deberent. Idem enim crucis typus est in numismatis, qui in Ecclesiis, & alibi; & eandem ob caussam; saltem ex parte, nimirum ob cultum & venerationem; nec solam crucem ex pecunia tollere deberent; sed & Sanctorum imagines, quæ multis tam aureis, quàm argenteis nummis imprimuntur: quæ impresio nihil aliud est, quàm veneratio; nam Sancti honorandi caussa, additur imago Sancti ab illis, qui ius feriendi monetam habent. Et tamen quis Iudæus, quis Turca, quis Caluinista, ad hunc vsque diem repertus est, qui *Ducatum*, vt vocant, *Vngaricum* reiecerit, quod altera ex parte imagine D. Virginis puerum Iesum in vlnis gestantis decoratus sit, cum hac epigraphe: PATRONA VNGARIAE? Quis Iudæorum, Turcarum, Caluinistarum se non prædicat beatum, si marsupium hac splendescente moneta turgeat? Quis ex horum tribu aureos *Iuuauienses* vnquam aspernatus est, quòd effigie D. Ruperti aut D. Virgilij niteant? Nempe, *Crucis signum nemo bonus vituperat*, ait de Caluinistis, par Caluinistarum Gulielmus Toocker & Missenus; sed in nummis, non extra; & amore nummorum, non Crucis.

Si nemo bonus signum Crucis vituperat, multò certè minus vastat, exterminat, opprobriisque dehonestat. Quis igitur ille, & quinam illi, de quibus cum alij alia; tum Antonius Demochares præfatione in librum de Missa ad Nouiomensem ciuitatem isthæc? *Ex composito ignotos & exteros, nescio quos nequam homines in vestram ciuitatem clandestinè immisit* (Caluinus) *vt quam flammis ignis elementaris, & scintillis suæ hæreseos perdere nequirent, saltem summo dedecore & extrema in Deum blasphemia perderent: quibus consilium dederat, vt nocte intempesta, & ex improuiso, diuersis temporum interuallis, cruces in cœmeteriis positas, in quibus Christi crucifixi imagines depictæ erant, frangerent, & fractas ad postem malefactorum in foro publico ignominiosè suspenderent. Quoties namque cruces & Christi imagines ab his contritas vidistis? Quoties cum summo diluculo surgeretis, fractas cruces inuenistis ad ignominiosum perditorum postem suspensas? Quoties crucifixi imagines inuerso capite deorsum, & pedibus sursum ad malefactorum postem ignominiosè in publico vestræ ciuitatis foro pendere oculis toruis & indignè ferentibus tam detestandam*

Christo Domino irrogari iniuriam ipsi conspexistis? Quis hæc talia patrauit, nisi Caluinus, consilio; Caluiniani emissarij, manu? Num viri *boni* isti? Nullo modo, si duos Caluinianos audimus, & cur non audiamus? *quia nemo bonus, crucis signum vituperat.*

Illud tamen fatendum est, si rerum summa penes Caluinianos foret, iam dudum pecunia, & ipse Imperatorius globus, crucis specie careret; & vt à templis, ita etiam à nummis omnes cœlitum imagines proscriptæ essent; Turcico more, qui quæ ipsi cudunt numismata; nulla imagine, sed nescio quo florum vel potius ductuum genere exornant. Crucis tamen honos adeò animis & nummis insedit, vt Ministri Caluiniani insanis suis clamoribus eum nequaquam penitus obliterare potuerint; etiam apud suos.

Vide libell. de Persecut. Anglicana. Ante paucos annos inter crimina læsæ maiestatis hoc quoq; vnum erat; si quis Crucem de collo suspensam ferret. Et tamen huius ipsius Reginæ, cuius auctoritate leges istæ perscriptæ & latæ sunt, imago in quibusdam argenteis nummis coronata cernitur; non sine Cruce in coronæ vertice, quam à Prædicantibus eradi vix crediderim, si quando huius generis moneta obtingat. Sed solenne & Hæreticis, vt tam factis, quàm verbis sibimet ipsi aduersentur, & in sua dogmata pugnent. Crucem imaginesque cœlitum euertunt, inque cineres redigunt; & tamen in nummis suspiciunt, & amplectuntur; Iudæorum & Turcarum ritu, vt pluribus antea demonstratum. Interogent isti maiores suos, an non Crucem nummis impresserint. *Polyd. lib. 16. Hist. Angl.* Polydorus. *Interea in concilio post multa ex Republica pariter acta atq; facta, cum bona pars nummorum argenteorum, quos vulgus grossos vocat, adulterataq; tonsaq; esset, decretum est, vt deinde iidem nummi certo pondere cuderentur, ac ex vna quidem parte regij capitis effigies, ex altera verò Crux imprimeretur, & eius crucis brachia producerentur vsq; ad extremas orbis partes ipsius nummi, de quibus si quid diminutum foret, tum nummi pro adulterinis haberentur, & corruptores pœna mortis afficerentur. durat etiamnum hæc forma monetæ argenteæ.* Hæc Polydorus de Anglis, qui crucem, monetę, tanquam sinceritatis & integritatis testem & custodem, addiderunt.

Num hoc fine tantùm? Nihil, minus. Certum enim exploratumq; est, tam hos, quàm alios veteres potissimum hac in re spectasse cultum & venerationem Crucis. Nam aliæ tuendæ & indicandæ integritatis rationes nequaquam deerant. imò hanc ideo præ cæteris elegerunt & adhibuerunt; quia putabant, vix quenquam vsque adeo impium & consceleratum fore, qui sub Crucis signo falsam monetam cudere, vel legitimè cusam mutilare, & circũcidere auderet. Præterea, quia vim, efficacitatem, gloriam & maiestatem Crucis omnibus ma-

nifestam

nifeſtam fieri peroptabant, commodiſsimum fore arbitrabantur, ſi Cruce inſignirent pecuniam; cui, vt vulgò dicitur, obediunt omnia; cui nullus interclufus aditus: quæ omniũ manibus teritur; fieri enim non poteſt, quin ex tot millibus, qui monetam crucigeram quotidie verſant ac reuerſant; qnærant aut ſecũ reputent, quid crux ſibi velit? Quale ſit ſymbolum? cuius myſterij myſterium? Quæ Crucis virtus, quæ potentia; & id genus alia. Et quamuis variæ eæque expeditæ rationes ſuppetant ſpargendi & diſſeminandi aliquid, quod quis ſparſum diſſeminatumque cupit; hæc tamen pecuniaria, vt ſic dicam, via expeditiſsima eſt; eò quòd pecunia & publicè & priuatim omnia peruadat ac penetret, & in intimos quoque penetralium receſſus admittatur.

Quod non ignorarunt noſtræ ætatis ſectarij, qui non contenti qnotidianis vociferationibus in templis & ſcholis; item libris, picturis, ſculpturisq; ad Pontificem Maximum, Cardinales, Epiſcopos, ſacerdotes, Monachos, Moniales, omnesq; Eccleſiaſtici ſtatus Ordines traducendos, irridendos & infamandos accommodatiſsimis; illud inſuper excogitarunt, vt hanc peſtilentem ſuam libidinem, impotentiam, & impudentiam ad ipſam quoque & in ipſam pecuniam deriuarent, quò latius manaret; ſtabiliusq; maneret, pluresq; & diuturnius inficeret, veneno tam latè diffuſo, quàm latè diffundi ſolet pecunia. Quid in hoc genere non auſi fuerunt Hæretici? Horreo in memoriam reuocare picturas, quas vidi. Meminiſſe non modò piget, ſed & pudet tanta æui noſtri probra & dehoneſtamenta.

Hæc ipſa dum ſcribo, manibus meis teneo, & oculis luſtro geminam monetam argenteam, quarum alteram anno M. D. X L I I I. in officina Diaboli, vt pium eſt credere, percuſſa; antica ex parte Cardinalem repræſentat, quem ſi inuertas; Lutheranus eſt; hoc eſt, ſtultus & morio, cum hac inſcriptione. Deß Babſts Gebott / iſt wider Gott. *Præceptum Papæ aduerſatur Deo*. Parte poſtica, Epiſcopus mitratus conſecrans calicem, inſidet muliercuIæ: ſi inuertas, meretricula, (quam Hæreſin Lutheranam interpreteris licet) inſidet Epiſcopo librum tenens, & gladium vibrans: libro ſignificante biblia; gladio, verbum Dei; fortè verius, illum gladium, quem paulò poſt in Carolum V. Imperatorem inuictiſsimum exſeruerunt: nam illum ſpiritualem perpetuo ictant; hunc, quando ipſis opportunum eſt, vibrant. Additur hęc rhythmica Epigraphe. Falſche Lehr / gilt nicht mehr. *Falſa doctrina, non valet amplius*: Inſcriptio vera erit, mutato vnico vocabulo in hunc modum: Falſche Lehr gilt nie mehr. Nunquam enim falſa doctrina in Germania maiore in precio & honore fuit; quàm poſt-

quam Apoſtatæ nouam doctrinam, nouamque monetam paracharactæ noui nobis procuderunt.

Alter quoq; nummus altera ex parte continet Cardinalem: quem ſi inuertas, Lutheranus aut Caluinianus eſt; hoc eſt, ſtultus cũ illo Dauidico: *Et ſtulti aliquando ſapite.* Altera pars repræſentat ſummum Pontificem, triplici corona redimitum: ſi inuertas, ex ouo prodit Diabolus, hoc eſt, nummi huius conditor & fuſor, ſeu conflator; quiſquis ille fuit, Dæmon fuit; qui aptiſsimum ſibi adiecit elogium: *Mali corui malum ouum.* Nil verius. Aſſentior, aſſentior. Peſsimi corui peſsimum ouum es, imò & peſtilens pullus, dignus, qui pullis coruorum eſca fias: Etſi, niſi reſipuiſti, iam dudum coruos Tartareos pauiſti, & adhuc Tityi inſtar, paſcis. Vtrunq; nummum adeptus ſum dono & beneficio nobilis & ornatiſsimi Domini *Friderici Bechleri*, Auguſtani, ab eo tempore, quo in hac Academia, Philoſophiæ, me duce, operam dedit, conſtantis amici mei.

Vt igitur ad propoſitum me referam, ſicut Hæretici nequitiam nefariamq; ſuam improbitatem per nummos, tanquam per appoſitiſsimum medium propagare ſtuduerunt, & ad huc ſtudent (vt docet commentariolus meus in duo numiſmata de colloquio Ratisbonenſi, & in laudẽ Lutheri, Huſsi, & Rabi cuſa & ſparſa) ita veteres Crucis venerationem & gloriam augere, propalare, & amplificare volentes, ſtudio laudabili, & ab omnibus imitãdo, Crucis trophæum cum alibi paſsim; tum etiam in nummis fulgere iuſſerunt.

Sed nunc tempus eſt, vt ad ipſa numiſmata accedamus, ducto exordio à feliciſsimo Conſtantini Magni Imperio; vt tot & tam variorum numiſmatum Cruce nitefcentium repræſentatione, honorem quoque Crucis aſſeramus, & à capitalium hoſtium iniuriis pro virili vindicemus. Neq; enim aliud ſunt hæc Crucigera numiſmata, quam honoris Cruci olim delati luculenta teſtimonia.

CAPVT IV.

Forma Labari Conſtantiniani, & corona Labaro impoſita.



INIIT Conſtantinus Magnus imperium anno Chriſti CCC. VI. vitam finiit anno Domini CCC. XXXVII. Maxentium Tyrannum virtute Crucis debellauit anno Chriſti CCC. XII. Imperij ſui ſeptimo; eodemque mirifica illa viſione crucis in aëre diuinitùs donatus, Crucis amorem ita imbibit; vt altè in pectus deſcenderet; neque vnquam inde amplius expungeretur, Labaro in Crucis ſpeciem conuerſo; ipſaque Cruce

Vide lib. 2 de S. Cruce, ca. 36. 37. & ſeq.

cœlitus

cœlitus sibi obiecta, accuratissimè effigiata, gemmisque & auro sumptuosissimè & magnificentissimè decorata; vt testatur oculatus testis Eusebius; ex cuius descriptione sunt, qui primum illud Constantini Labarum ita depingant, vt imagines Constantini & liberorum eius sint in ipso velo proximè sub ligno transuerso: corona in vertice sita; & in medio eius cruce seu ☧.



Verùm aut ego Eusebium non capio, aut Labari forma, ex Eusebij designatione aliter effingenda erit. Imagines enim Imperatoris & filiorum non fuisse in ipso velo seu supparo, quod Eusebius vocat ὀθόνην & φάρος, sed infra velum, in ipso hastili, quo gerebatur Labarum, manifestũ fit ex verbis Eusebij, quę sunt ista. τὸ δ' ὄρθιον δόρυ τῆς κάτω ἀρχῆς ἐπὶ πολὺ μηκυνόμενον, ἄνω μετέωρον, ὑπὸ τῷ τοῦ σταυροῦ τροπαίῳ πρὸς αὐτοῖς ἄκροις τοῦ διαγράφοντος ὑφάσματος τὴν τοῦ θεοφιλοῦς βασιλέως εἰκόνα χρυσῆν, μέχρι στέρνων, τῶν τ' αὐτοῦ παίδων ὁμοίως ἔφερε. Vbi expressè dicit, in erecto hastili fuisse has imagines, non in ὑφάσματι, seu in illo textili, & sub crucis trophæo; ad ipsas extremitates τοῦ ὑφάσματος, seu veli. nam ἄκρα *fines, extremitates*, seu *fimbrias* hic significant. *Euseb. lib. 1. de vita Constant. cap. 25.*

Existimo igitur imagines Imperatoris & liberorum fuisse in ipsa hasta; sub ipso velo; ea forma, quæ adhuc visitur in vetustis nummis, etiam Constantini, qui nobis passim repræsentant orbiculos quosdam seu clypeolos, qui infra crucem, & velum hastæ annexi. Quid fuerunt? quærit clarissimus Lipsius. Ex argento vel auro imagines deorum primò, deinde & Imperatorum. Tertullianus. *Omnes illi imaginum suggestus in signis* (ita legimus) *monilia crucium sunt.* Trahit ad nostræ & sanctę Crucis gloriam. Et omnes illi adtextus & structura imaginum, inquit, in manipularibus signis, quid nisi ornamenta crucis? Dixi Deorum primò fuisse, nec ambigo, quin Martis, Romuli, & talium innexa olim, qui scilicet militares Dij, & conspiciuntur in nummis ante Principum æuum. Sed ab hoc exemplo, ipsorum deinde Imperatorum: quod ostendit Lipsius ex Tacito, Suetonio, Arriano, & aliis. *Lips. lib. 4. de Milit. Rom.*

Nec obstat nobis ille Eusebij locus: *Etiam in ipsis armis salutaris trophæi signum insculpi, armatoq; exercitui præferri fecit* (Constantinus) *& vt* *Euseb. lib. 4. cap. 21.*

solum

solum hoc salutare trophæum, non vllam, vt antè consueuerāt, inauratam statuam sequerentur. nam si quis nos hoc testimonio oppugnare cogitaret; is æquè eo vti posset aduersus eos, qui Imperatoris imagines ponunt in ipso velo. nam imagines in velo; vtiq; imagines sunt; ergo ne Eusebius sibi ipse aduersetur, dicendum erit; eum locutum de agalmatis, statuis seu imaginibus Deorum Romanorum; item Aquilarum, Draconum, & id genus similium, quorum imagines signis additæ, & exercitui prælatæ; in quorum vicem substituit Constantinus venerandæ Crucis signum; non exclusis tamen sua & liberorum imaginibus; visebantur enim in ipso Labaro, præcipuo vexillo; Quis dubitet; quin & in aliis?

Vide lib. 2. de S. Cruce ca. 37. in fine.

Tollendum est autem obiter mendum ex Grȩco Eusebij contextu, in quo vitiosè legitur σαυρῷ, cum legendum sit σρατῷ, τῦτι ὲνδεῖλυ σρατῷ σϑοπομπεύειν, quam lectionem agnouit & reddidit quoque Latinus Interpres.

Nec illud satis liquet, vtrum ☧ inclusum fuerit μέσῳ τῷ σεφάνῳ, in fastigio Labari posito; an verò peripheriæ eius & orbi insertum; quo pacto non semel in nummis apparet; quia Eusebij verba tam perspicua non sunt, vt omnem scrupulum eximant.

Nec illud exploratum satis, vtrum σέφανος ille fuerit conformatus in modum diadematis seu redimiculi, seu, vt generali vocabulo appellare possumus, *laurea*, etiamsi non ex lauro, sed ex auro alioue metallo esset: an verò in modum huiusmodi coronæ, qualis visitur in Nummo Heraclij apud Lipsium: qua coronæ forma hodie etiam Imperatores ac Reges vtuntur, & quā *radiatam* nominare possumus, Ethnicis quoque olim vsurpatam, vt ex nummis Seueri, Titi, & aliorum apud Nummographum & Antonium Augustinum liquet.

Lips. lib. 3. de Cruce cap. 16.

Certè posteriores Græci σέφανον seu σέμμα & διάδημα tanquam diuersa distinxerunt. σέφανον enim seu σέμμα appellarunt coronam ea specie efformatam, quæ hodie omnibus nota, & in omnium regum Cæsarumque capitibus eminet. Diadema verò, inquit Codinus Curopalata, ἦν βλατίον μετὰ λίθων καὶ μαργαρέων κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως μέτωπον κείμενον μὲν, δεδεμένον δὲ ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον (διὸ καὶ ἐκαλεῖτο διάδημα) ὅπερ ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν ἐμμεταχθὲν ἐφύετο οἷον ὁρᾶται τὸ στέμμα, καὶ ὀνομάζεται σέμμα. *Diadema erat textum quodam ex preciosis lapillis & margaritis fronti imperatoris incumbens quidem; sed retro circa cerebrum vel sinciput ligatum, vnde & diadema vocabatur à ligando scilicet, quod temporis successu paululum mutatum, in eam formam euasit, qua hodie visitur, & appellatur stemma.* Quæ descriptio ex amussim repræsentat nobis illam Diadematis speciem, quȩ passim in nummis, etiam Constantini, conspicitur.

Curopal. de off. Aula Constantinop.

Addit

Addit tamen Codinus ſua ætate vocabulum diadema aliam ſignificationem induiſſe: *ὃ δὲ νῦν καλοῦσι διάδημα, ἐλέγετο πάλαι ζώνη στρατιωτικὴ δηλοῦσα τιμήν. Quod nunc diadema, id olim nominabatur zona militaris, inſigne honoris.* Imo idem Codinus inter *στέμμα* & *στέφανον* diſcrimen ſtatuit. Agens enim de noua Imperatrice coronanda, deque præſente Imperatoris matre. *ἡ μὲν ὢν προεστεμμένη καὶ μήτηρ τοῦ ἀναγορευομένου φορεῖ, καὶ τὸ ἑαυτῆς στέμμα, ἡ δὲ νέα βασιλὶς φοροῦσα στέφανον. Mater renunciati Imperatoris iam olim coronata fert ſuum ſtemma; Noua autem Imperatrix geſtat στέφανον;* qui corona Imperatoria eſſe nequit; alioquin coronam ante coronationem geſtaſſet.

Aliud diſcrimen inter *στέμμα* & *στέφανον* ponit Achmet in Onirecriticis; quod ſi onirocriticum, hoc eſt, friuolum & inane, voces, forſan à vero nil deflectes. Verba Achmetis hæc ſunt. *τὸ στέμμα εἰς πρόσωπον βασιλέως καθόλου κρίνεται. ὁ δὲ στέφανος εἰς δεύτερον, ἀπὸ τοῦ βασιλέως, ἢ εἰς πιστοῦ ἀνδρὸς μαρτύριον τῆς πίστεως. Stemma Regis ad perſonam pertinet. Stephanus ad alterum à Rege, vel ad hominis fidelis de fide teſtimonium.*

Narrat Nicetas Choniates lib. 2. de Imperio Andronici Comneni, Conſtantini Magni Coronam, (*στέφος* ipſe vocat) adhuc tempore Andronici Conſtantinopoli publicè in Magna Eccleſia ſupra altare pependiſſe; eaq; coronatum eſſe in tumultu populari Iſaacium Angelum. Ex quo confici videtur Conſtantinum Magnum vſum etiam coronam radiata; qualis hodie & eo ſeculo, de quo ſcribit Nicetas, Regibus & Imperatoribus in vſu.

Suſpendit & Mauricius Imperator ſupra eandem aram, ſeu, vt Græci vocant, *ἁγίαν τράπεζαν, ſacram menſam, (στέμμα)* coronam precioſiſsimam ſibi à Sophia Auguſta vxore Iuſtini iunioris & à Conſtantina coniuge ſua oblatam, teſtibus Cedreno & Zonara: vt non incredibile videri debeat, ſi eadem in loco Conſtantini Magni corona dedicata fuiſſe prodatur.


Scribit Zonaras hanc coronam à Mauricio conſecratam Deo, ablatam fuiſſe à Leone Imperatore, filio Copronymi; ſed ſtatim pœnas ſacrilegij perſoluiſſe. nam cùm capiti ſuo eam impoſuiſſet; mox vehementi febri correptum, & exſtinctum eſſe. Eadem Cedrenus; niſi quod non Mauricij, ſed Heraclij coronam vocat; neſcio num ſua, an exſcriptoris vel editoris oſcitantia. Hanc tamen coronam mortuo Leone, reſtituit templo Irene, vxor eius, non paucis gemmis à ſe ornatam, vt teſtatur Cedrenus.

Verùm hæc paucis occaſione Codini. Quod ſi quis contẽdat tempore Conſtantini Magni ſolùm illud diadematis genus Romanis Principibus in vſu fuiſſe, quod plerumque in numiſmatis repræſen-

tatur, non autem coronam in hodiernum, & superioris æui morem effigiatam; (etsi morem hunc satis antiquum esse oportet, quippe iam Heraclij temporibus vsitatum, imò ipse Constantinus in nummo quodam apud Nummographum, caput corona radiata cinctum habet) is Labarum Constantini huiusmodi diademate seu corona coronet. Vt ergo verbis compendium fiat, veram Labari formam arbitror fuisse istam.



Aut, si quod discrimen fuit, in sola corona fuit; quæ vel ☧ in vertice gestabat, vel radiata erat; vt in his typis vides.





Eligat, lector, de corona Labari, quidquid arriserit. Mihi quidé corona *radiata non admodum arridet*: quamuis cœlestibus tribui soleat corona radiata; hęc autem tota visio cœlestis fuerit. Hęc ergò forma Labari est, quod semper exercitui præferebatur, Constátini iussu; tutelæ, & subsidij gratia; vt alibi fusius explicatū; cuius vicem apud posteriores Græcos obtinuisse videtur signum illud, quod vocatur à Codino *δι-βίλλιον* semper Imperatori præferri consuetum; aut certè flammula illa, quæ eidem præportabantur: de quibus plura in Notis ad Codinū.

Apud Gallos Labari locum tenebat vexillum illud, quod ipsi *Oriflambe* nominabant; apud S. Dionysium asseruari solitum; In Gestis Ludouici Regis Franciæ filij Ludouici Crassi. *Anno ab Incarnatione Domini*

mini M. CXLVII. in hebdomada secunda post festum Pentecostes, prius ordinatis rebus ad iter(Hierosolymitanæ) *peregrinationis tantæ necessitatis, venit Rex, vt moris est, ad Ecclesiam beati Dionysij à Martyribus licentiam accepturus; & ibi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis & vexillum B. Dionysij, quod Oriflambe Gallicè dicitur, valde reuerenter accepit; sicut moris est antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere.*

Rigordus in gestis Philippi Augusti Francorum Regis. *Anno Domini M C X C. in festo S. Ioannis Baptistæ, Philippus Rex ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysij cum maximo comitatu venit, caussa licentiam accipiendi. Consueuerant enim antiquitus Reges Francorum, quod quandocunque contra hostes arma mouebant, vexillum desuper altare B. Dionysij pro tutela seu custodia secum portabant, & in prima acie pugnatorum ponebant.* (nimirum, sicut Constantinus Magnus Labarum) *Quod videntes aduersarij, & cognoscentes multotiens terga dederunt.*

In gestis Ludouici paulò antè citatis. *Illa die faciebat Antegardam Gaufridus de Ranconio vnus de nobilioribus Baronibus prouinciæ Pictauensis, qui gerebat Regis Baneriam, quam præcedebant prout moris est, vexillum beati Dionysij, quod Gallicè dicitur Oriflambe.* Ecce vt *Labarum* apud Constantinum; & *Diuellium* apud recentiores Græcos vbique primas tenet, sic *Oriflambe* apud Francos. Magna in veneratione Christianis fuerunt vexilla quędam, militiæ, & aliquando etiam domi, Regibus præferri solita; idque propter imagines cœlitum, quibus insigniebantur. De Flamulis Imperatori Constantinopolitano præportari consuetis, quid Curopalata scribat in libello de Officiis Aulæ, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ, iam in vulgus notum est. Inter ea vnum erat, cui nomen *ἀρχιστράτηγος Archistrategus*, ab impressa effigie D. Michaëlis Archangeli: qua ex suis etiam non infimum vexillum tutelæ gratia, decorauit Longobardorum Rex Cunibertus, cum quo Alachis Tyrannus singulari certamine congredi renuit; caussam rogatus, hanc reddidit: teste Paulo Diacono lib. 5. de gestis Longobardorum: *Hoc facere ego non possum, quia inter contos suos* (signa bellica) *sancti Archangeli Michaëlis, vbi ego illi iuraui, imaginem conspicio.* En quàm vehementer impius ille reformidarit vexillum S. Michaëlis icone conspicuum: ad quam quoque Cuniberto tanquam Domino suo, iuramentum præstiterat: licet eius, quod præstitisset, postea parum memor fuerit. Habuit & Henricus Germaniæ Rex, Ottonis primi parens, vexillum cui nomen *Angelo*, in quo & ipse Rex, & milites multum fiduciæ ponebant; non vanis ad id inducti euentis, Regem perpetuò antecedebat in præliis. VVitichindus lib. 1. *Imperatorem in primis, medijs, & vltimis versantem videntes, coramque eo Ange-*

lum. hoc enim vocabulo effigieq́, signum maximum (hoc eſt Imperatorium &regium)*insignitum erat, acceperunt fiduciam, magnamq́, constantiam.* Idem de Ottone Henrici filio cum Vngaris congreſſuro. *In quinta(*legione*) quae erat maxima, quae & dicebatur regia, ipſe princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacriq́, iuuentute, coramq́, eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine, circumſeptus.* Et fortè imago hæc Angeli, vt apud Græcos, ſic & apud noſtros Archangeli Michaëlis erat, tanquam copiarum cæleſtium ſimul & terreſtrium archiducis. Sed hæc occaſione Labari Conſtantiniani dixiſſe ſufficiat.

CAPVT V.

De eximio Constantini Magni nummo, in quo Labarum Cruce & Christi nomine conſpicuum Draconi infixum conſpicitur.



IAM ad Conſtãtini Optimi & Maximi Imperatoris Crucifera numiſmata accedamus, ex quorum numero primus locus non iniuria tribuitur iſti:



Sada in Append. ad Dial. Ant. Aug. *O come bella Medaglia*; exclamat Octauianus Sada; *Quàm pulchrum numiſma: & quam clarè oſtendit Victoriam Conſtantino Magno aduerſus mundum, & Diabolum diuinitus conceſſam.* Huius generis figuras & imagines Conſtantino amatas fuiſſe, teſtatur Euſebius; cuius verba, ſi adſcripſero, ratio conſtabit, cur Conſtantinus Draconem Cruce Chriſti transfixum cùm alibi, tum in nummis voluerit exprimi. *Quin etiam in tabula* Euſeb. lib. 3. cap. 3. *depicta*, inquit Euſebius, *quam in ſublimi ante Palatij veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit: ſalutareq́, paſsionis inſigne, ſupra caput ipſius locatum, in pictura exprimendum.* (Notent hæc Iconomachi noſtri; quibus Crux, & imagines tam inuiſæ) *Inimicam autem illam & hoſtilem belluam, quæ Eccleſiam Dei, impiorum tyrannide oppugnaſſet, in altum demerſam draconis ſpecie & figura deſcribendam curauit. Sacra enim oracula in Dei Prophetarum*

tarum libris eum draconem & tortuosum serpentem nuncupant. Et propterea Imperator, quo occultum humani generis hostem Diabolum (quem ipsius salutoris trophai capiti eius imminentis virtute ad extremum exitum prolapsum significauit) tum sub suis, tum suorum pedibus conculcatum perspicuè indicaret, Draconem medio ventre transfixum, & in profundos maris fluctus præcipitatum, subtili & artificiosa pictura sub omnium adspectu contemplandum subiecit. Hæc de Constantino Eusebius; quæ, ænigma illud & symbolum Crucis in ventre Draconis fixæ exponunt perquam dilucidè, vt alia glossa non sit opus. Similem nummum Imp. Maioriani suo loco exhibebimus.

In vertice Labari fulget crux simul, ac nomen Christi ☧, de quo nihil addo, quia iam omnia lib. 2. de S. Cruce explanauimus.

In supparo tres pilæ, seu globi apparent. Quid sibi volunt? Disseruimus de his seu pilis, seu globis lib. 2. de Cruce cap. 54. Quò lectorem remitto. Hîc tantum illud dixerim, tres globos in supparo, tres mundi partes Christiano Imperatori & nomini subiectas denotare. Alij, sat scio, alia coniicient; & ad imagines Imperatoris, & filiorum trahent. Meo animo hæc potissimum persuasio insedit: vt & illa de adiecto elogio: *Spes publica*, nimirum ad Crucem referendam esse; quę iure suo *Spes publica* Christianorum audit. Erunt, qui reclament; sed illi vel inimici Crucis sunt, vel aliarum rerum, quàm Crucis honorandæ studiosiores.

Iam verò ex altera parte nummi videmus *Constantinum Maximum Augustum*, & quidem laureatum; sic enim nummum hunc Sada reprę-sentat. Eundem effigiatum reperies apud Baronium; in quo tamen Constantinus non lauru, sed diademate decoratur. Vtrum ex fide? Vtrumq;, arbitror; quia in nummis Imperatores modò laurea, modò diademate cinguntur. Nam quod aiunt, lauream in diadema à Constantino mutatam, religionis caussa, ne quid cum Ethnicis haberet commune; id dictu procliuius est, quàm creditu. Nam si diadema à Constantino excogitatum, primoque vsurpatum fuisset, tanquam quid Christianæ fidei conuenientius; vtique Iulianus Apostata, & Christi & Constantini osor maximus, diadematis vsum non retinuisset; sed vnà cum Labaro, aliisque à Constantino introductis stemmatis, ac insignibus absque mora exterminasset. Et tamen in singulis propè nummis suis apparet Iulianus diademate redimitus; id quod hac ipsa de re disputans Octauianus Sada rectè obseruauit.

Anno Christi CCC.XXV.

Deinde verisimile non videtur, successores Constantini; aliosque Christianos statim ad vsum laureę regressuros fuisse; si laurea à Constantino, tanto Imperatore, abdicata & abrogata fuisset. Et tamen

 passim

passim in nummis & marmoribus offertur nobis laurea, aliquando quidem capitibus Imperatorum imposita; aliquando seorsim ex auersa Numismatis parte, non sine figura ☧ laureæ medio vel inclusa, vel extremo inserta; cuius generis multa numismata postea proferemus; & profert etiam Sada. Et hoc ipso, tanquam symbolo, indicabant, laurum iam non falsis Diis, sed vero Deo Christo consecratam esse.

Testatur Cardinalis Baronius anno Christi CCC.XXXVII. se vidisse numismata, in quibus filij Constantini, Constantinus iunior & Constantius *laureati*; & talem Constantini nummum ibidem typis expressum lectori spectandum proponit. Quis credat filios Constantini lauream admissuros fuisse, si pater repudiasset?

Accedit, quod Constantinus Magnus laurum & lauream adeò auersatus non est, vt etiam Daphnen illam Antiochenam Apollinis memoriæ dedicatam voluerit appellari *Constantinianam Daphnen*, abolito Apollinis nomine; cui confirmando Numisma profert Cardinalis Baronius, cuius inscriptio: CONSTANTINVS MAX. AVG. Auersa parte: CONSTANTINIANA DAPHNE. Frustra enim sunt; qui vocem *Constantiniana* discerpunt, & illud *ana* cum Daphne coniungunt: quos meritò sibi non sequendos existimat Baronius: qui & hæc adiungit. *Quod igitur non amplius ab Apolline Imperatores ipsi, atque milites cum iis triumphantes, coronas acciperent, sed à Christo, qui victoriæ auctor fuerat; inde accidit, vt cùm laureas exercitus victor in corona gestaret; ad omnem superstitionis memoriam abolendam, eandem Christi nomine insigniret.* Non est ergò verisimile Constantinum *Constantinianæ Daphnes* nomenclaturam expetentem, laureæ vsum sustulisse: longè propius vero est, vt alia, ita & lauream Christo dedicasse; inscripto eius nomine per literas ☧, cuius rei præclarum specimen Baronius profert; de quo iam dicemus, ex Octauiano Sada, qui eandem lauream coloribus efformatam in lectoris gratiam publicauit.

Bar. anno Christi CCC.XL I.

Laureæ autem nomine non tantùm intelligimus sertum ex lauru, à qua laureæ nomen, sed & ex óliua, palma, hedera; & id genus aliis; omnia enim hæc *laureæ* vocabulo veniunt. Nec refert, quòd olim hæc sacra erant Diis gentium. Non enim omnia ab Ethnicis vsurpata reiecerunt Christiani; sed multa in melius commutarunt & reformarunt; & inter hæc hunc ipsum laureæ vsum: quem amplexi sunt, vt spiritalem pugnam & victoriam contra Dæmones insinuarent; nec contra hos duntaxat inaspectabiles, sed & aduersus adspectabiles hostes. nam hostibus domitis laurea plerumque insigniebantur; at insigni illo nec Palladem, nec Apollinem, nec Martem, nec quenquam alium fictitio-

fictitiorum Deorum venerabantur; sed illum, in cuius manu omnis victoria sita est. Quod vt omnibus palam fieret, crebrò nomine Christi per ☧ expresso, ipsas laureas exornabant, vt videre licet in nummis; & exstat apud Sadam huius generis gemina laurea, elegantissimum profectò antiquitatis monumentum.

Scimus Tertullianum proprio libello *de Corona Militis* improbasse morem gestandæ coronæ. Verùm hoc etiam scimus, Tertullianum ea iam spiritu Montani afflatum effudisse, odio potius Catholicorum, (quos ipse *Psychicos* appellat) quàm veritatis amore. Secũdo; Tertulliano, & illi ipsi, quem tuetur, militi, ab orthodoxis & sanioribus statim contradictum fuisse; multoq; magis postea; & etiamnum hodie. Neque enim vllo argumento euincit Tertullianus laurea coronari per se malum, ac illicitum esse; aut militem illum, qui coronam capiti imponere nolebat, bene egisse: malè autẽ commilitones eius, itidem Christianos, qui *donatiuum*, quod ab Imperatoribus erogabatur, laureati accepêre. Quis enim nescit, gestare coronam, rem adiaphoram, & non tam ex facto, quàm ex facientis animo metiendam esse? Quocirca Constantinum Magnum auctoritate Tertulliani *Montanizantis* permotum, & inductum fuisse, vt lauream in diadema converteret, fidem vix inueniet. Adde, quod diadema antiquius est Constantini æuo, vt notum ex nummis, & statuis: & æquè vsurpatum Ethnicis ac laurea. Quæ ergò ratio erat abiiciendæ laureæ, & non abiiciendi diadematis, si vtraque alienis à fide nostra in more.

Nec omittendi alij Constantini nummi, in quibus ipse laureatus. Respondent cusos aut ab Ethnicis, aut quando ipse adhuc erat inter Ethnicos. Sed vnde primum illud constat? Nam si quis numisma, de Sarmatica victoriâ, in quo Constantinus laureatus, & alterũ de victoria Gothica; & similia neget ab Ethnicis percussa; quomodo tu refelles? Aut quo argumento euinces id ita, vt tu asseris, esse? Multò credibilius est, Ethnicos Cõstãtini capiti lauream appicturos non fuisse; si eum laureæ vsum sustulisse sciuissent; neque eo, quo certum erat, offensum iri, honorare, vel potius onerare voluisse: præsertim anno decimo quarto sui Imperij, quo Sarmaticam, & vigesimo quinto, quo Gothicam victoriam obtinuit, quando in religionis Christianæ studio multum processerat; & Labarum in Crucis speciem diu antea conformarat. *Exstat apud Sadam & Baron. anno CCC. XIX. & anno CCC.XXX.*

Iam verò ꝙ Iulianus Apostata Cõstantinum carpit, tanq̃ comę decorandæ æquo studiosiorẽ, quodq; Aurelius Victor scribit, eum *caput exornasse perpetuo diademate*: id sentẽtiæ nostræ non officit; nõ enim ideo in nummis nunquã lureataus effictus est, aut effingi potuit, Imperator *Victor. in Constant.*

tor, tot laureas adeptus; & omni etiam lauru ob præclarissima facinora dignissimus. An non & laurea capitis ornamentum? Nec terreor *perpetuo diademate*: quia enim sæpius gerebat diadema, quàm aliud φόρεμα, vt recentiores Græci vocant, hoc est, *gestamen*, ideo scilicet *perpetuum diadema* ferebat. Quæso, an nunquam galeam? An non & hac conspicuus in nummis conspicitur? An non corona radiata, quæ, vt ex Niceta diximus, adhuc tempore Andronici Comneni asseruabatur Constantinopoli? Exornauerit diadema auro & vnionibus, & eiusmodi quodammodo textum inde confecerit, quale est monile illud, quod hodie *vellus aureum* nuncupamus; an ideo laureæ vsum penitus aboleuit? An ideo capiti suo, nummis, picturis & statuis lauream imponi vetuit; An ideo diadematis primus repertor & vsurpator, quod his verbis Cedrenus adstruit; φασὶ δὲ αὐτὸν πρῶτον πάντων τῶν βασιλέων διαδήματι χρήσασθαι, καὶ μαργαρίταις καὶ ἄλλοις λίθοις περιεργότερον κοσμηθῆναι. *Ferunt eum primum omnium Imperatorum diademate vsum, margaritisq; & gemmis superbius fuisse ornatum.*

Quæ, num vera sint, accuratius dispicere oportet: lampadem preferente præstantissimo Domino *Marco Velsero*, cuius de Cedreni loco iudicium expetij; & impetraui, his ad me perscriptis. De Romanorum Imperatorum diademate, questio sit paulò intricatior, si quis ad viuum resecare velit. Iulium, oblatum repulisse, cùm Ciceronis, tum innumeris historicorum testimoniis constat. Caligulam sumpturum fuisse Suetonius ca. 22. ait, nisi amici monuissent, illum Principum, & Regum fastigium excessisse. Idem Suetonius cap. 5. Titum in consecrando apud Memphim boue Apide, diadema gestasse scribit, quamuis nondum Imperatorem; sed addit, id factum de more, & ritu priscæ religionis, etsi non defuerint, qui secius interpretarentur. De Heliogabalo Lampridius: *Voluit vti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad feminarum vultum aptus: quo & vsus est domi.* Non ausus prodire in publicum hoc ornatu, vt videtur. De Aureliano autem Epitome Victoris apertè: *Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit.* De Zenobia, tum Imperium affectante Trebellius Pollio: *Imperiali sagulo, perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto.* Iornandes, nescio quem auctorem sequutus, primò omnium Imperatorum Diocletiano diadema tribuit, verbis, quæ corrupta esse, satis apparet: *gemmas vestibus, calceamentisq; inseruit, diademataq; in capite ante eum omnes cum chlamyde tantum purpurea, vt à priuatis discernerentur, habebant.*

Quid igitur in Constantino nouum? Opinor, perpetuus vsus diadematis, quem Victor notauit. Et hoc sensu Cedrenum accipiendum esse,

esse, etsi is vniuersè scripsit. In antiquioribus nummis ego diadema adhuc nullum obseruaui: Imperatorum inquam: nam, de barbaris regibus notum. Neque Augustarum item. nam mitra fastigiata illa, aut si quo alio nomine appellare placet, quæ in plerisque cernitur, diadema certè non est. Loca, de diademate Imperatorum post Constantinum, obseruare nihil attinet.

Hæc clarissimus Velserus. Vbi vides vsum diadematis ante Constantinum nonnullis Imperatoribus Romanis duntaxat tentatum; aliis vsurpatum quidem, sed quasi obiter, si cum Constantino conferatur. In Dialogis eruditissimi Antistitis Antonij Augustini repræsentatur Nummus Vespasiani Imperatoris, in quo, aut omnes sensus me fallunt; aut Imperator diadematus cernitur. Similis nummus apud eundem reperitur Domitiæ Augustæ, siue id sit ex vero, siue ex artificis lapsu. *Dial. 2. fol. 42.* *Dial. 2. fol 33.*

Obiicies. Etsi diadematis notio à cingendo nota est, simul tamen notum est, non omnia, quæ caput cingerent, fuisse, quæ nunc quærimus, propriè diademata, sed antiquitus puras putas fascias, quibus postea luxus gemmas addidit. Itaq; Monima Mithridatis, vt est apud Plutarchum in Lucullo, mori iussa, cùm collum diademati innexuisset, eo disrupto, in terram decidens, *ô execrandum diadema, inquiebat, neque in tam tristi ministerio mihi profuisti.* Et disertè Seneca: *Vides illum Scythiæ Sarmatiæue Regem insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, totumq; scire qualis sit, fasciam solue, multum mali sub illa latet:* Sic Antonius Augustinus, quem ego maximi facio; *Diadema,* inquit, *voco fasciam seu Bendam* (ligaturam) (Germanicè, binden) *tres, aut quatuor digitos longam, quam Reges supra frontem ligatam gestarunt, certa parte à dextris dependente.* Non diffiteor, diadema latiore interdū notione vsurpatum pro quauis capitis cinctura, tęnias retrò dependentes habente, quibus necterentur; attamen in supradictis Vespasiani, & Domitiæ nummis, fasciæ illæ tam sunt similes his, quę propriè appellantur diademata in Constantini, eiusque successorum numismatibus, vt nec lac lacti sit similius. *Dial. sext. init.*

Græcis recentioribus est fascia ampliore significatione φακιώλις, seu φακιώλιον: Vtrobique enim sunt fasciæ; seu, vt ampliore vtar vocabulo, cincturæ capitis gemmatæ. Huiusmodi autem fascia seu cinctura, quid aliud est quàm propriè dictum diadema? Quod Iornandes omnibus Imperatoribus antè Constantinum tribuere videtur; verbis, quæ paulò ante recitata sunt; si tamen non cubant in mendo, quod suspicatur Velserus: nisi quis dicat, Iornandem latè accepisse, nomen diadematis pro *fascia,* hoc sensu; omnes Imperatores ante

Diocletianum fasciis tantùm vsos cum chlamyde purpurea; Diocletianum autem primum omnium gemmas vestibus & calceamentis intexuisse, atque adeò etiam fasciæ; ex eaq; additis gemmis diadema propriè dictum effecisse. Notat etiam nouus Lampridij Scholiastes, Diocletianum primum perfecisse, quod alij de diademate tentarunt: aitque hoc tradi ab Historicis in Diocletiani rebus: nullum tamen nominatim adducit; & Victor Aureliano id tribuit; & sic accipitur apud Georgium Curopalatam in libello de Officiis Aulæ Constantinopolitanę; & alioquin idem est cum eo, quod nos Germani vocamus ein Fatzenetle: hoc est, sudarium, seu, vt aliqui vocant, *facietergium*. A facie enim latino vocabulo Germanicum, & Græcum, imò & Italicum fazzuolo, vel fazzuoletto ducit originem: & ex Phaceolio capiti circumligato, retroque connexo efficitur fascia; eo modo, quo videmus nonnullos strophiola seu sudaria seu *phaceolia* fronti circumligare, vel æstus leuandi gratia, vel alio fine; retro ad occiput nodo facto. In hoc *phaceolij* vocabulo aliquot errores commisit Caluinianus Iunius. Nam primò ineptè vbique vertit *tiaram*: cùm prorsus nihil aliud sit, quàm fascia, fronti eo modo, quo iam diximus, circumligata. II. Vt non tantùm sit ineptus interpres, sed & imperitus paraphrastes; ita scribit in scholiis; *φακιόλιον triaram sonat vel tegmen capitis speciosum ex conuoluto, & quasi in fasces complicato linteo; quali hoc tempore Turci vti solent.* Speciosæ profectò nugæ; quæ tamen augentur aliis. III. *Origo vocis Italica est:* imò latina, à voce *facies*: à qua & Italicum Fazzolo & Fazzoleto: Item quod Germanis, Fatzennetle. Nam quod ad nescio quæ *nugaa* seu *nugalia* originis repetendę caussa diuertit, verè nugatur: Quam parum enim Germanicum vocabulum Fatzmann cùm *phaceolio* commercij habet; tam parum habent Italica; quæ simile quiddam significant. Testatur Curopalata, Iudices apud Medos fascias huiusmodi tulisse; indeque ad sinistram aurem dependisse μαργίλλιον συρματῖνον, τὸ ἕτερον τοῦ φοροῦντος τῶν ὤτων καλύπτον, δηλοῦν, ὡς τὸ μὲν ἀσκεπὲς τῶν ἐγκαλούντων δεῖ, τὸ δὲ σκεπόμενον εἰς τῶν κατηγορουμένων μὲν, μὴ παρόντων δέ. *textum quoddam ex margaritis alteram gestantis aurem obtegens; quo significabatur aurem apertam accusatoribus dari, rectam verò accusatis, sed absentibus reseruari.*



CAPVT

CAPVT VI.

Tres alij Crucigeri nummi Constantini Magni.



EXSTAT idem nummus apud Ant. Augustinum Dialogo primo, & Cardinalem Baronium anno Christi CCC. XII. Vide quæ scripsimus lib. 2. de S. Cruce, cap. 51. vbi & illud ostensum, insigne Crucis in galeis non solius Constantini fuisse, sed & commune militum; & Prudentium id asseuerantem, nō tantùm ad suam ætatem; sed & ad id, quod in exercitu Constantini acciderat, respexisse. Neq; dicit Eusebius, *ipsum Constantinum tantum eiusmodi signa gestare consueuisse:* Legatur Eusebius, & num quod affirmo, veritati cōcinat, iudicium fiat: neq; enim cultus Crucis propagandi cupidissimus Cōstātinus ita comparatus erat, vt decus Crucis cæteris inuideret. An non ipse Eusebius de Cōstātino? *Etiam in ipsis armis salutaris trophæi signū insculpi fecit*. Inter quæ arma etiam galeæ erant. Nec Eusebio sermo duntaxat est de armis Constantini, sed totius exercitus; quod etiam ex Græco lemmate huic capiti præfixo liquet. *ἐν τοῖς τῶν στρατιωτῶν ὅπλοις σημεῖα τοῦ σταυροῦ τοῦ Σωτῆρος. In armis militum signa crucis Saluatoris nostri.* Prohibuit olim Leo Imperator, *ne quis in frenis, & equestribus sellis, vel in balteis suis margaritas & smaragdos, & hyacinthos aptaret vel insereret:* at caussæ nihil erat, cur Constantinus, margaritam, vt sic vocem, Crucis in galeis militum, tutelæ gratia, ferre nollet; quandoquidem nihil illi gratius accidere poterat, quam vt exercitus ab omni periculo tutissimus redderetur. Alius Cōstātini nummus;

Euseb. lib. 1. de vita Constant. cap. 25.

Euseb. lib. 4. cap. 21.

Lib. 11. Cod. Iustin. tit. 12.



Ant. August. Dial.1. Baron. anno Christi CCC.XII.

Exstat apud Ant. August. & Baronium. In quo vides ☧ in ipso supparo, quod valdè frequens in nummis, vt fusè ostensum lib.2. de S. Cruce cap.37. Habet & in hasta sub supparo suggestum illum imaginum, de quo Tertullianus; & *orbiculos* seu *clypeolos*, vt Lipsius appellat; qui nihil aliud, quàm imagines Imperatoris, & filiorum: & huius Labari species parte inferiore, refert veram speciem Labari primi; Etsi parte supera, ab ea deflectit; vt ex his, quæ suprà diximus, intelligi potest.

Inscriptio. CONSTANTINVS MAX. AVG. sed pertinet ad partem aduersam, quæ hîc non expressa: nam in auersa parte, quam hîc expressimus, hæc legitur epigraphe. GLORIA EXERCITVS. Quod elogium verè in Crucem conuenit; nec hoc Constantinus ignorauit, in hoc signo vincere iussus; & vt iussus, summa cum gloria vincere consuetus; quamuis errore factum sit, vt inscriptio partis anterioris, transferretur in partem posticam nummi.

Euseb. lib 4. cap.74.

Antonius Aug Dial.1. Baron. anno CCC. XXXVII.

Inter honores Constantino vita functo passim habitos, recenset Eusebius, quòd in nummis *exsculpta forma, ab vna parte obuoluto capite repræsentatus sit; altera parte quadrigis instar aurigæ insidens, demissáque illi cælitus manu dextera exceptus.* Edidit huiusmodi nummum Antonius Augustinus, & Baronius: qui etiam explicant, quid capitis illud velamentum, & totum hoc schema significet. Sed nihil ad institutum nostrum; quia nihil in nummo hoc de Cruce: nec de X aut ☧; nam figura quæ hanc litteram exprimere videtur, huc non pertinet; pertinet enim ad rotam currus, cui Constantinus insidet. Publicauit quoque

In Append. ad Ant. August.

Sada eiusdem Constantini numisma, in cuius altera parte quatuor signa, antiquo more, absq; ☧ & cruce, nisi quà omne huiusmodi signum quadantenus crux est; sub velo tres sunt *orbiculi* seu *clypeoli*: alius item in ipso velo; qui quid sibi velint; iam antea explicatum est, Ex hoc numismate apparet, quàm verum sit illud Tertulliani: *Omnes illi imaginum suggestus in signis, monilia crucium sunt.* Quia signa hæc effici, & fabrefieri non poterant, nisi per cruces, & cum crucibus.

Quartus

Quartus Constantini nummus.



Hunc nummũ Constantini iam lectori spectandum dedimus Tom. I. de S. Cruce. Auersa eius pars est hęc, quam vides. Quid pila seu *orbiculus* innuat; in eodem opere explicauimus. Vbi etiam dictum, veteres in summa hasta pilas seu globos collocasse. Hoc genus signorum arbitratur Lipsius esse illud, quod Beda ait à Romanis appellari *Tufam*, vbi de Eduino Rege. *Nec non & incedente illo vbilibet per plateas, illud genus vexilli quod Romani Tufam, Angli appellant Tuuf, ante eum ferri solebat.* Ex quo Bedæ loco medicinam facit Vegetio, in signorum enumeratione: *Aquilæ, dracones, vexilla, flamulæ, Tufæ,* (vulgo perperam *rufæ*) *primæ.*

Lib. 2. cap 39. & 54.

Beda li. 2. Hist. cap 16.

Veget. lib. 3. c. 5

Monuimus tamen iam olim hunc nummum fortaſsis non esse insignitum effigie Constantini, sed Constãtinopoleos; quia antica eius pars est ista.



Vbi vides Constantinopolin inscriptam esse; quasi imago sit ipsius Constantinopoleos, non Constantini. Nec aduersabor ei, qui ita senserit. Non incommodè tamen, opinor, nummus filiæ collocatur inter numismata parentis.

Mirari porrò hic subit, cur ille, qui nuper magno studio à Pompeio Magno vsq; ad Heracliũ vetera numismata descripsit, ac iterata editione vulgauit; nullam penitus vnquã Crucis aut literę ☧ in Constantinianis nummis mentionem fecerit; cùm alioquin studiosè &

 curiosè

curiosè *globos, hastas, aras, noctuas super aras, aquilas, corollas, secespitas, astergilla, guttos, lituos, capedunculas, patellas, cornucopiæ*, literas solitarias; & quidquid huius generis in numismatibus occurrit, enotet. An nullum Crucigerum Constantini numisma vidit? Vix credo, cùm tot millia numismatum viderit, & triuerit, & inter illa, tam multa & varia Constantini: cumq; ex Baronio describit illud, cui inter Constantini nummos primum locum dedimus. Describat, inquam, sed breuiter. quia *gaudent breuitate Lacones: Draco per medium ventrem Labari transfixus*. Quæso, cur nulla expressa mentio de Cruce? Cur nulla de ☧ splendidissimè in vertice Labari relucente? An putabat Labari nomine dicto, ac audito, omnia dicta & audita esse? Atqui non omne Labarum figura hac ☧ insignitum est: nec omne Labarum, Crux (si vox *Labarum* Constantino vetustior) ex institutione quidem & proposito; etsi ex necessitate; quia Labarum nullum confici potest, nisi Crux interueniat. Sic eundem nummum ex Antonio Augustino, vel potius Octauiano Sada referens; his pauculis se expedit. *Labarum insistens serpenti*. Rursus nulla de Cruce & ☧ mentio. Si Victoriola lauream tenens in nummo fuisset; silentio vtique non præteriisset. Nunc de sacratissimis fidei nostræ mysteriis, & stemmatis, ne mutit quidem, quando de illo Imperatore sermo est, qui primus hęc talia ornamenta ad nummos transtulit. Nescio, qua caussa hoc factum, nisi fortè quis id spiritui Lutherano adscribendum existimet; cui Crucis mentio, & veneratio parum grata, ac iucunda.

CAPVT VII.

De alio quodam Constantini Magni nummo.





IN alium Constantini Magni nummum, qui, vt inquit Marcus Velserus IIVir Augustanus, *hactenus peritissimos harum rerum fatigauit, ferè frustra*. Fuerè, qui Constantinianam Crucem interpretarentur; sed nemo vnquam hac forma descripsit, illam quidem Crucem, quæ Constantino in Maxentium castra mouenti apparuit: quamque ipse postea ad speciem eius, quam conspexerat, Labarum efformauit. neque enim solum X. aut ☧ Constantino apparuit; vt quidam sentire visi, quos refutauimus in Notis ad secundum Tomum de S. Cruce, non paucis argumentis, quibus itidem efficitur, Constantino non apparuisse decussatam illam literam ea forma, qua in hoc numismate exprimitur.

Quidam ad decussationem in limitatione agrorum referunt. At alij rectè respondent, nihil hîc de conditæ vrbis alicuius, aut agri designa-

ſignatione agi, cùm inſcriptio diſertè præ ſe ferat; VIRTVTEM EXERCITVS, quod argumenti ſatis eſt de bello potius ibi, quàm de pacis artibus fuiſſe cogitatum.

Alij referunt ad Docana, quorum Plutarchus lib. de *amore fraterno* meminit. At obiiciunt alij, Docana planè alio ſchemate à Plutarcho deſcribi, nimirum iſto:  Alij ſuſpicantur ad vota XXXX. referri poſſe, vt ſcilicet interior decuſſatio viginti; exteriores quatuor quinarij totidẽ ſignificent. Hæc quantumuis ingenioſa cõiectio, ait quidã antiquitatis ſcientiſsimus, mihi fidem nullam facit: quia innumeræ coronę cum votis XXX. in nummis Conſtantini Magni apparent, XXXX. tantùm in nummis filiorum poſteriorumq; Imperatorum, quantum adhuc obſeruaui. Et quis vnquam notas illas pro quinario poſuit?

Alij arbitrantur decuſſationem iſtam interiorem tanquam fortitudinis & victoriæ ſignum effictam eſſe, eiq; hos vncinos quatuor, quaſi ſigna quatuor centuriarum, vel quatuor centurionum, qui quæue in prælio præ cæteris egregiam operam nauaſſent, adiunctos fuiſſe.  Verùm hæc coniectura non habet plus veriſimilitudinis, quam prior illa de votis Quadragenalibus. Et ſi huic commentationum rationi ſemel aditus pateſiat, nullus commentandi finis erit.

Ego, vt paucis me expediã, exiſtimo, iſtud duplicatũ eſſe id, quod eſt, nempe ſignum Crucis. Quomodocũque enim & vndecunque ſchema hoc aſpicias, nihil aliud videbis, quam nouâ formâ efformatum, & bene firmiterque compactum & coagmentatum X. nec vno  eoque tenui latere, ſed pluribus firmatum; vt qui ſuperinſiſtit lætus cum Dauide Rege canere queat. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* *Pſal. 26.* *Pes enim meus ſtetit in directo* : *Et ſtatuit ſupra petram pedes meos. Nec concluſiſti me in manibus inimici. ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* *Pſal 25.39.30.* Aio igitur eſſe ſignum Crucis, non eius definitè, quæ Conſtantino oblata, hæc enim non fuit decuſſata, vt alibi probatum, ſed abſolutè Crucis Chriſti; nam omnis Crux etiam decuſſata, quà Crux, refert Crucem Chriſti, quà & ipſa Crux: neque enim Conſtantinus in nummis ſemper expreſsit examuſsim illam Crucem, quam in ſublimi viderat: imò, ſi verba Euſebij accuratè perpendantur, nullam omninò vllo in nummo Conſtantiniano Crucem reperiemus; quæ cœleſti illi, diuinitusq; in aëre

oblatæ

oblatæ penitus respondeat. nam Constantino, postquam semel in Labaro Crucem illam expresserat; satis deinceps fuit, Crucem Christi, & illam itidem cælitus sibi demonstratam, quadantenus effigiare, ita vt in communi ratione Crucis, figuræ cum vtroq; prototypo conuenirēt; licet secundum speciales, & proprias quasdam rationes discreparent. Hinc tanta diuersitas Crucium in nummis, & alibi: vt & ipsius X. neque enim vno modo efformatur, siue Crucem, siue primam litteram nominis Christi; siue vtrunque, vt semper, significet. Dico, *vt semper.* quia perpetuò vtramque significationem subit, etiam non inserto P. semper enim æquiualet his duabus litteris, CH, quæ sunt primæ in nomine Christi: & in nummis Ludouici & Caroli, de quibus suo loco, littera



initium est in hac inscriptione: *Christiana religio.* Nec absternent me ab hàc sententia signa illa, quæ ab aliis vocātur *vncini*, ad vtrumque latus addita. nam vel nouitatis, vel venustatis, & decoris gratia adiecta sunt. Notum, quam pictores, fusores, sculptores, & cæteri huius tribus in his talibus luxuriare, sibiq; indulgere soleant. Quid mirabilius emblematis illius nūmi, qui recētioris cuiusdā Constantini nomen inscriptum præfert? de quo infrà. Si quis tamen mysterij insinuandi caussa addita putat, cum hoc non contendam, dummodo sit mysterium sacrum, non profanum. Et, qui allegoriarum interpretandarum cupidus est, is vberem hîc dicendi materiem inueniet. Quid enim, si signis illis auctor nummi indicare voluit, Crucis & nominis Christi immobilitatem & insolubilitatem nullis incursibus cedere gnaram. quippe quæ frangi nesciis quasi vectibus vtrimq; sint connexa, ac coagmentata: nam in iis, quæ se mutuò intersecant, vt fit in omnibus decussatis, multò firmior nexus efficitur, si vel aliquibus fulcris, fulciantur, vel ligamentis colligentur; Nec obstat, quod se mutuo non videtur contingere, id enim picturæ gratia fit; nam si se mutuò contingerent, iam vtrinq; vnum tantùm, non duo fulcimenta existimarentur; & si cum ipsis τῦ lineis coniungerentur; iam non apparerent distinctæ; & tamen debent tales apparere, vt eorum functio intelligatur; quam non assequeris, si cum lineis τῦ penitus vniantur. nec refert, quod nihil tranuersum cernitur, quod omnia copulet ac deuinciat; quia nummorum cusores non omnia semper oculis; sed & nonnulla interdum intellectui obiiciunt. Et certè multò hoc verisimilius asseritur, quàm significari signis illis VOTA, licet in toto numismate *voti* nomen nusquam





compa-

compareat. Dicunt, *subintelligi*. Idem & ego de lineola transuersa dicam; quæ aliquando ad hunc modum expresse effingitur, tanquam vtriusque lineæ sese intersecantis vinculum.



Figuram geminato X insistentem, putāt aliqui esse Apollinem, ac proinde nummum nihil ad Crucem pertinere. Sed magis audio eruditissimum Velserum, cuius hæc: *Imago quæ decussationi insistit, an Apollinis omnino sit, non asseuerem; amicus quidam meus, ait idem* Velserus, *orientem suspicatur*; cui magis aures præbeam vt hieroglyphicum Christi sit: *Oriens enim nomen eius*, vt est apud Prophetam. Quid si ipsius Constantini hieroglyphica imago sit; Cruci & sacratissimo Christi nomini, tanquam immobili petræ immobiliter insistentis, indeq; aduersus omnes hostiles copias tanquam ex firmissima arce depugnantis. *Turris fortissima nomen Domini*, inquit Salomon, *ad ipsam currit iustus, & exaltabitur*. Quantum enim spei collocarit Constantinus in præsidio Crucis & nominis Christi; nemini ignotum, nisi illis, qui Crucis decora & elogia cognoscere nolunt. Idem innuit inscriptio: VIRTVS EXERCITVS. Nam Crucem nomenque Christi Constantinus pro VIRTVTE exercitus habuit, vt notum ex Eusebio. Hæc mea de hoc nummo sententia. Si quis aliud mysterium latitare putat sub illis signis ad latera duplicati X adiūctis, is ita sentiat licet, dummodò concedat ipsam figuram esse nominis, & Crucis Christi symbolum; neque enim ideo desinit esse schema Crucis, aut nota nominis Christi, quòd geminatur, aut quod *vncinos* illos, vt aliqui appellant, adiunctos habet. Nec omittendum, quod vir quidam numismatum veterum callentissimus dixisse fertur, se *inter plus viginti millia nummum, quos manibus suis tractasset, similem huic nunquam vidisse*. Cuius inscriptio, ex antica parte: CONSTANTINVS AVG. A tergo VIRT. EXERCITI. Dicitur Lælius Pasqualinus, cuius crebra mentio in Annalibus Baronij, quando de nummis sermo, habere numisma simile propemodum à filio Constantini Magni profectum, cuius inscriptio à parte anteriore sit ista: CONSTANTINVS IVN. NOB. A tergo: VIRT. EXERC. T. S. B.

Prouerb. 18.

CAPVT VIII.

De Nummis Crucigeris Crispi Cæsaris & Delmatij.



CRISPVS Constantini Magni ex Mineruina filius, Cæsar creatus anno Christi CCC.XV. Constantini autem Imperij anno X. A parēte occisus, Faustæ nouercæ technis, anno Christi CCCXXIV. Christianum fuisse declarant cùm alia, tum hæc eius numismata.



Bar. Anno 314. De fide & sinceritate huius numismatis diu multumque inter doctos disceptatum fuisse, testatur Card. Baronius; qui tandem in Fuluij vrsini sententiam concessit, nummumq; istum pro legitimo agnouit, ac approbauit. In cuius vna parte ipse Crispus diademate cinctus, addita epigraphe CRISPVS NOB. CAES. Parte auersa Saluator noster Crucem tenens conspicitur, duas inter imagines, quas Constantini, & Crispi esse, non immeritò, ex Antiquariorum sententia, suspicatur Baronius. simul enim sacrum baptisma suscepêre parens & filius, teste Nicephoro: Et ex Damaso, seu Anastasio Bibliothecario constat, Constantinum Magnum Lateranensi templo imaginem Christi in throno sedentis obtulisse; quam in nummis quoque expressam esse, quis credere vetat? Turbauit etiam Antiquitatis peritos inscriptio partis auersæ, quæ talis. SALVS ET SPES X RPVBLICAE. Sed nulla turbationis caussa. Nam X. Christum denotat, quod vel ex desertore Christi Iuliano notum. Cur autem Christus non appellaretur à Christianis principibus *salus & spes Reipublicæ?* Etsi Iconographi mei manus in posticæ partis Epigraphe per incuriam bis omisit litteram S. in vocabulo SPES, quod monere visum, vt erratum corrigatur.

Secundum Crispi Numisma.



Numisma hoc iam vulgauimus lib. 2. de Cruce cap. 37. Nec suppetit, quod adiiciam. Crux in eo clara, & clarius adhuc in Crispi Nummis, quos aliquando vidi inter cimelia Doctoris *Alberti Hungeri*, qui nuper Academiæ nostræ ereptus, ad quietiores sedes migrauit. Idem nummus

nummus habetur Dial. 2. Ant. August. Sed hasta, ex qua pendet supparum supernè, finitur non in Crucis sed in sagittæ speciem.

Vidit vel similes vel adsimiles Crispi Nummos Nummographus, ille, de quo supra. Sed sola in eis Labari mentio: nulla Crucis: quam tamen omissam non oportuit ab illo, qui se Crucifixi disciplinam, & quidem admodum defecatam, profiteri censet.

Idem Licinij Iunioris, Cæsaris, qui cum Crispo trucidatus, nummum describit, in quo Labarum cum duobus captiuis assidentibus, eo modo, quo in Numismate Crispi. Etsi autem Numisma hoc non vidi; arbitror tamen simile Nummo Crispi; & Crucis trophæo insignitum, non secus ac Numisma Crispi: nam & Licinium Iuniorem ex sorore Constantini Magni progenitum, Christianam religionem amplexum esse, multa sunt, quæ suadeant; quæ adferre superuacaneum duxi.

Ad Delmatium. Ita vocamus, secuti Velium Longinum, qui hæc in orthographia. *Places, vt Delmatium, non Dalmatium pronunciemus, quoniam è Delminio maxima ciuitate tractum nomen existimetur.* Fuit Delmatius filius non Anaballiani; vt nonnulli volunt; sed Delmatij, qui Anaballiani frater, Cæsar creatus est à Constantino anno Christi CCC. XXXVI. occisus à militibus CCC. XXXVII. Inter Bauarica Cimelia hunc eius nummum reperimus. *Vide Bar. anno Christi CCC. XXXVI.*



In quo tamen nulla Crux expressa, præter illam, quæ necessariò exprimenda in omni signo; quod velum de ligno transuerso dependens habet. Describit etiam Nummographus duo Delmatij numismata; in quorum vtroque Labarum. Sed non exponit nobis, vtrum in illo Labaro Crux, aut Christi nomen per literas ☧. nisi forsan existimet Crucem satis exprimi, quando Labarum nominatur; Labarum enim Constantini inuentum nunquam Cruce caruisse: quod crederem; nisi ipse etiam in Ethnicorum nummis *Labari* vocem vsurparet; atque adeò eam Constantino antiquiorem censeret; ex qua opinione sequitur, non satis esse nominare Labarum; vt lector numisma cruce conspicuum intelligat; alioquin necesse foret; vt cum in Ethnico nummo Labarum inesse audit; illud etiam cruce ornatum fuisse existimaret; Etsi lib. 2. de S. Cruce cap. 39. probabilius arbitrabamur, *Labari* vocem Constantini æuo natam, illique vexillo crucifero significando

cando propriè impositam, quod Constantinus post mirificam crucis in cœlo visionem confecit: Vtcunque se res habeat; quando de Nummis eorum, qui post Constantinum Christiani aut reuera fuerunt, aut visi sunt, sermo est; tum si ex fide, & pro fide agere velimus, non sufficit nominare Labarum, ne qui Labarum Constantino antiquius existimat, illud vexillum animo concipiat, quod & Romanis vsurpatum; & ex horum sententia Labarum appellatum est; licet Christi nomine careret, imò & cruce; nisi qua ipsum artificialis quædam crux erat.

CAPVT IX.

Nummi trium filiorum & successorum Constantini Magni, nimirum Constantini, Constantij, & Constantis.

INIERVNT simul imperium ex testamento patris anno Christi CCC. XXXVII. quod Constantinus tenuit vsque ad annum Christi CCC. XL. quo occisus est. Constans vsque ad annum Redemptoris CCC. L. quo & ipse scelere Magnentij Tyranni periit. Constantius vsque ad annum salutis CCC. LXI. quo naturali morte sublatus est. Constantini nullum crucigerum nummũ vidi: Exstat apud Antonium Augustinũ quoddam numisma illius laureati, sed adhuc Cæsaris, & absq; Cruce. Similem habet Baronius parte saltem antica, anno Christi CCC.XXXVII. sed dissimilem parte postica: cuius inscriptio: *Alamannia deuicta*. Victoria coronata, alata, trophæum dextra, sinistra palmam ferens. Citat & Nummographus eiusdem nummum, in quo statua muliebris sedens, dextra tenens globum, & insidentem Victoriolam, sinistra veluti hastam aut Labarum. Adfert & alium nummum ex Ant. August. cui quatuor Labara. Sed cùm non explicet, qualia hæc sint Labara, num ad antiquum morem, an ad illum nouum & Christianum conformata, addita Cruce, aut Christi nomine; nihil de his nummis statuere possum.

Ant. August. Dialog. 2.

A Constante hunc nummum crucigerum accipe.



In cuius Labaro figura ☧ manifesta, ac clara. Paulò pòst similẽ Constantij

ſtantij videbis; ex cuius explicatione hic etiam clarior fiet. Recenſet Nummographus Conſtantis nummum, in cuius altera parte: TRIVMPHATOR GENTIVM BARBARARVM, miles ſtans, ſiniſtra pilum tenens, dextra Labarum cum ſigno ☧ Aliam, in quo tria Labara. Alium, *in quo Imperator paludatus ſtans, cum Labaro.*

Conſtantij aliquot numiſmata cruce inſignita reperimus: quorum primum hoc eſto.



Exſtat apud Cardinalem Baronium, qui cuſum putat Conſtantino Magno vita functo, idque eo fine, vt milites ſuam cum Conſtantio concordiam teſtarentur. Quod ſatis auerſæ partis inſcriptio indicat. in qua etiam duo Labara gemmata conſpicis cum Cruce in vertice, & ☧ in ſupparo. *Quem verò intueris hic Conſtantium Cæſarem tantum nuncupatum & abſque diademate*, inquit Baronius, *planè præſentis temporis indicat ſtatum*, quando nimirum Conſtantini mors adhuc recens erat; *nam paulò pòſt tum ipſi, tum fratres eius appellati ſunt Augusti.* Corrigendum autem inſcriptionis erratum, ſcribendumque. IVN. vt ſit *Iunior.* *Baronius anno Christi CCC. XXXVII.*

Secundus Conſtantij nummus ſit iſte.



Exſtat apud Antonium Auguſtinũ & Baronium; qui putat huius generis numiſmata à Conſtantio cuſa, cùm bellum aduerſus Magnentium Tyrannum moueret, quibus ſignificabat, ſe patris more, ſpem omnem in Crucis potentia collocatam habere; nec ſub alio, quàm ſub Crucis ſigno militare, & cum hoſtibus confligere. Cuius animi *Ant. August. Dialog. 1. Baron. anno CCC.LIII.*

index eſt ipſe Imperator Labarum Chriſti nomine inſignitū geſtans; cui Victoria alata, palmamque ferens coronam imponit; addita hac promiſsione; IN HOC SIGNO VICTOR ERIS. Quæ inſcriptio planè alludit ad cœleſtem illam viſionem; quando Crux Conſtantino oblata: cum hac parænetica epigraphe: IN HOC VINCE.

Tertius Conſtantij nummus.



Edidit Ant. Auguſt. Dial. I. inſigne profectò numiſma; vbi Imperator galeatus ſiniſtra Labarum nomine Chriſti decorum portans, Victoria alata remigante, ſecundo curſu per vndas fertur: planeque verum fuiſſet adſcriptum elogium: *Felicitatis temporum reparator* vel *reparatio*; niſi Ariana peſte infectus, hoc encomio ſeſe indignum effeciſſet. Similis eſt nummus Conſtantis, de quo paulò antè.

Sed iure quis quærat, quænam ſit auicula, quam dextra Imperatores Conſtans & Conſtantius in his duobus numiſmatis ferunt. Extat apud Antonium Auguſtinum numiſma, in quo virgo ſtans, auiculam globo inſiſtentem manu dextera tenet. Inſcriptio eſt: AETERNITAS. Arbitratur ergo auem illam eſſe Phœnicem, ſymbolum videlicet æternitatis & immortalitatis. Quod cur non etiam aſſeramus de auicula noſtrorum numiſmatum, cauſſæ nihil ſuppetit: qua nimirum, tanquam hieroglyphicâ notâ, perennitatem Romani Imperij vterque Imperator inſinuare voluit. nam vt mundum *auis incolit vnica Phœnix, vnica: Sed viuit morte refecta ſua:* ſic in mundo vnicum & perpetuum Romanum Imperium vigere & regnare per Phœnicis effigiem indicarunt; quo, vt canit Rutilius: *Omnia perpetuos, quæ ſeruant ſidera motus, nullum viderunt pulchrius imperium.* De quo idem Vates: *Illud te reparat, quod cætera regna reſoluit, Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.*

Dialog. 2.

Quod aptiſsimè ſignificatur per nobiliſsimam illam auem; *cui ſola eſt in morte voluptas. Vt poſſit naſci, hæc appetit ante mori. Ipſa quidem, ſed non eadem; quia & ipſa, nec ipſa eſt: æternam vitam mortis adepta bono:* vt canit

conditor

conditor carminis de Phœnice Lactãtij nomine diu lectitatum. Nec te crista absterreat, quò minus Phœnicem rearis. Nam & Phœnix cristatus est, cui coronæ loco crista. Auctor poëmatis de Phœnice.

Æquatur toti capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.

Apparet quoque rhabdo Crispi Cæsaris auicula insidens in nummo præcedente capite depicto, quam siue aquilam, siue Phœnicem esse velis parum interest.

Quartus Constantij nummus.



Inscriptio auersæ partis eadem est, quæ superioris numismatis, & forma Labari eadem; nec est, quod peculiari explicatione egeat; nisi fortè quis nosse velit; quid sibi velit gemina illa figura sub Labaro. Forsan à vero non aberrabit; qui captiuos virtute cruciferi Labari domitos affirmarit.

Habet Nummographus alium Constantij nummum; in cuius auersa parte hæc inscriptio: VICTOR OMNIVM GENTIVM; & figura stans, dextra Labarum, sinistra clypeum, & ante eam ἰϛυγίζοντες sublatis manibus.


En alium CONSTANTII nummum ex Bauarico thesaurophylacio.



In parte auersa duæ sunt figuræ tenentes Clypeum, quarum altera hastam, altera fert Crucem: nam si quis Crucem esse neget; is non tam ratione, quàm oculis eget.

Est

Est & iste ex eodem κειμηλίῳ depromptus.



Omnia huius nummi ex dictis liquent. Nec prætereundus iste.



Ne putes Tyrannos Magnentium & Decentium, de quibus cap. seq. fuisse primos, qui nummis & figuræ ☧ adiecerunt literas alpha & ω.

CAPVT X.

De nummis Magnentij & Decentij Tyrannorum, itemque Galli Cæsaris.

INVASIT Imperium Magnentius, occiso Constante, anno Christi CCC. L. & mox fratrem suum Decentium Imperatorem creauit. Victus simul atq; exstinctus est à Constantio, anno Christi CCC. LIII. quo primum tempore crux aduersus crucem, Labara aduersus Labara decertarunt: nam & Constantius & Magnentius Cruce armatus in aciem processerat: sed vicit Constantius non suo, quia Arianus erat; sed parentis optimi, & Constantis fratris tam immaniter trucidati merito. Sed ecce Magnentij numisma.



Exstat apud Antonium August. & Baronium. In quo vides egregiè expres-

expressum illud ☧, additis etiam literis α & ω, quę ante Magnentium & Constantium, vix in nummis reperias. Quid significent, diximus lib. 2. de S. Cruce, cap. 37. Hic solummodo illa Prudentij adiicimus; quæ totum mysterium patefaciunt. *Corde natus ex parentis ante mundi exordium, alpha & ω cognominatus, ipse fons & clausula, omnium, quæ sunt, fuerunt, quæq; post futura sunt.*

Inscriptio auersæ partis est. SALVS DD. NN. AVG. ET CAES. En quã dilucidè apparet, quantam spem in Cruce Christi etiam ipsi Tyranni habuerint: nam virtute *Crucis* & nomine Christi Magnẽtium sibi certam pollicitũ esse victoriam, inquit Baronius, illud numisma ipsius demonstrare videtur; cuius à tergo figura ipsius militaris stans, dextrâ Victoriolam, sinistrâ Labarum habet, in quo pariter illud salutiferum signum ☧ expressum habetur. Describit nummũ hunc Nummographus, cuius inscriptio: *Felicitas Reipublicæ.* Profert idem similem nummum eiusdem Magnentij, cuius ex parte auersa, inscriptio: *Gloria Romanorum:* Et Miles tenens Labarum sinistra, in quo ☧ dextra verò Victoriolam cum duobus captiuis.

Eadem fiducia horum tyrannorum elucet ex nummo Decentij fratris, in cuius anteriore parte imago ipsius Decentij cum hac inscriptione: DN. DECENTIVS FORT. CAES. in posteriore est ☧ cum alpha & ω, eademque inscriptione, qua in nummo Magnentij. Exstant apud Nummographum duo alij eiusdem Decentij, quorum alter. SALVS DD. NN. LVCET. A Ω. ☧ Alius. SALVS DD. NN. AVGG. ET CAES. A ☧ Ω. Vt proinde duos istos Romani Imperij inuasores multum fiduciæ in Cruce, & nomine Christi collocasse oportuerit; cùm adeò sedulo vtrunque in nummis, & proculdubio etiam in armis expresserint. Præter prædictos nummos accipe & hunc eiusdem Decentij. *Apud Lips. lib. 3. de Cruce, c. 15.*



Reperitur apud Antonium Augustinum, & Baronium: vbi auersæ

partis inſcriptio. VICTORIAE DD. NN. AVG. ET CAES. vt proinde in his paucis horum numiſmatis videas Crucem nominari; *Victoriam Auguſtorum. Salutem Auguſtorum. Felicitatem Reipublicæ, Gloriam Romanorum.* qui vt Tyranni fuerint; Lutherani tamen, ac Caluiniani non fuerunt, alioquin nulla crux, nullum ☧, nullum Crucis elogium in eorum numiſmatis appareret.

Apud clariſsimum Lipſium inueniet etiam Lector nummum in quo *α* ☧ *ω* ex vna parte; ex altera Victoriola dextra palmam, ſiniſtra corollam ferens; cum adſcriptione: VICT. AVG. Sed non additur cuius.

Nec ſilendus hoc loco Gallus Cæſar, Iuliani peſsimi optimus frater; qui & Cæſaris dignitate à Conſtantio auctus eſt, anno Chriſti CCC.L. eâdemq; ſimul cum vita ab eodem Conſtantio exutus, anno Chriſti CCC. LIV. Eius crucigerum numiſma nullum vidi. Sed vnū & alterum adducitur à Nummographo, & his verbis deſcribitur. IMP. C. GALLVS P. F. AVG. *Muliebris figura ſtans inter duo animalia, quorum alterum Leo.* FEL. TEMP. REPARATIO. T. R. S. *figura inſiſtens proræ nauis dextra victoriolam, ſiniſtra Labarum, cum alia figura ſedente ad tranſtra, & hoc ſigno.* ☧ Ex quo intelligis nummum hunc non eſſe abſimilem illi, Conſtantij, quem præcedente capite depinximus, niſi quod imago in noſtro non fert Victoriolam, ſed *auiculam.*

CAPVT XI.

De Nummis Crucigeris Iouiani ſeu Iouiniani Imperatoris.



EQVEBATVR Imperator Iulianus: ſed non eſt, quod apud hunc Crucem aut Chriſti nomen in nummis quæramus, quia Lutheranus, ſeu potius Caluinianus fuit; niſi mauis, vtrumque, cui nihil curæ & cordi, quam *Serapis, Latrator Anubis, Iſis,* & id genus alia portenta: qui ex ſignis militaribus, armis, clypeis, galeis, haſtis, ſacroſanctum Crucis trophæum exterminauit; & Labarū Chriſtianum ad Ethnicam ſpeciem reduxit. Hoc igitur monſtro omiſſò, ad Iouianum accedamus; qui Imperium anno Chriſti CCC.LXIII. capeſſens, altero ſtatim anno CCC.LXIV. morte abreptus Imperandi gloriam, & maieſtatem ſucceſſoribus reliquit; cuius tria numiſmata crucigera ex antiquitate promit Card. Baronius, quæ hîc ſubiecta vides, quorum primum eſt hoc, & quidem inprimis viſendum.

Bar. anno Chriſti CCC.LXIII.

Vides



Vides Crucem Christi in vertice Labari fulgentem: quæ Imperatori in equo sessitanti, vexillumque sinistra ferenti præportatur, ponè Victoriola subsequente, coronamque capiti Imperatoris imponente. Rarum certè, & spectabile Numisma, cuius simile in hoc quidem genere vix reperias Constantini, & filiorum eius æuo. Inscriptio: * ADVENTVS AVGVSTI; reducem ex Persia ad Antiochenos repræsentare videtur: & Romæ nomen, in vrbe Romana cusum fuisse significat, vt placet Baronio. *ADVENTVS

Elegans est & hoc eiusdem *Medaglion, Medalium*, cuius auersam partem tantùm expressimus; quia in præcipua nihil diuersi à primo.



Vides ☧ lucere in Labari supparo, & crucem in vertice assidentibus ad Labarum duobus captiuis. Tertium Iouiani numisma est istud:



De literis alpha & ω, iam dictum suprà. Cùm ergò Iouianus breui illò tempore, quo sceptra Romani Imperij moderatus est; Labaro vsus sit; eidem potius restitutionem Labari Christiani tribuendam cen-

ſemus, quàm Valentiniano, & Valenti, licet lib. 2. de S. Cruce, Baronium ſecuti aliter ſenſerimus. Sed cum Baronius priorem ſentẽtiam mutarit, viſis prædictis Numiſmatibus, nos quoque cauſſæ nihil habemus, vt in eâdem perſiſtamus.

CAPVT XII.

Nummi Crucigeri Valentiniani ſenioris & Valentis Imperatorum.



IMPERIVM adeptus eſt Valentinianus Anno Chriſti CCC. LXIV. Quo Collegam ſibi adſciuit Valentem fratrem. Obiit Valentinianus anno Domini CCC. LXXV. Imperij ſui XII. Valens anno Redẽptoris CCC. LXXVIII. Imperij XV. Valentiniani hoc accipe numiſma; quod & apud Baronium & Ant. Auguſtinum inuenies.

Bar. anno Chriſti CCC. LXIV. Ant. Auguſt. Dial 1.



In quo dilucida omnia, nec opus commentario. quis enim Labarum figura ☧ ſpectabile non videt? Quem Victoriola globo inſiſtens, & Imperatoris capiti coronam imponens præterit?

Eiuſdem Valentiniani ſunt tres ſequentes nummi, iiq; aurei; quorum auerſam duntaxat partem expreſsimus. Nam in præcipua, idem ſemper Imperator apparet. Nec diſcrimen, ſi quod eſt, tanti eſt, vt ſeparatim indicandum fuerit.







Prius illud numiſma non multum diſcrepat à primo, quod paulò antea dedimus. Secundum admodum elegans eſt; eò quod non tantum in Labaro cruce inſigniatur, ſed & ad latus Labari figura illa nominis Chriſti ☧.

Tertium

Tertium Victoriolam alatam cum corolla in dextra; globoque crucigero in sinistra exhibet. De quo globo plura diximus lib. 2. de S. Cruce cap. 54.

Præter hæc Numismata Valentiniani exstat inter Bauaricos nummo, eosque aureos, tres alij cum ☧ in Labaro; & duo, cum litera X super globulo. Neque verò Nummographus hîc nos sine nummis dimittit. Profert enim Valentiniani nummum, cuius epigraphe. VICTORIA AVGGG. *Figura stans, dextra crucem, sinistra Victoriolam.* Alium: in quo figuram stans, sinistrâ crucem gerit. Alium, in quo figura militaris stans, dextra captiuum crinibus trahens, sinistra Labarum, alius dextra clypeum. Alium à primo nostro non longè aberrantem: in quo Imperator stans dextra Labarum cum ☧. *Christianismi nota*, inquit ille. Bene perfectò, benè. Christianismi, non Caluinismi, aut Lutheranismi, aut si vel huius, vel illius, ostendatur exemplum. Quî verò factum, quod nunquam exprimitur ab hoc Nummographo ista figura, prout in nummis apparet, & ab Eusebio describitur? sed odiosæ sunt istæ quæstiones.

Pergamus ad Valentem; nisi fortè silentio transmittendus non est nummus à Lipsio descriptus: in cuius altera parte imago Valentiani; in altera, figura Labarum Cruce & Christi nomine insignitū portans. *Lips. lib. 3. de S. Cruce, ca. 15.* Vidit & descripsit eundē nummū Nummographus, sed leui brachio: *Labarū* nominasse contentus, de Christi cruce & nomine nihil. Nec de *Christianismi nota*: quæ quomodo illi paulò antea post tot Cruciferos nummos Constantini, Constantij, & aliorum exciderit, nescio. Etsi ita depingit, vt si quis notam, quam ipse lectori subiicit, conferre velit cū nummis, vix agniturus sit. Quod si ☧ *Christianismi* nota est; non ergo pertinent ad Christianismum, qui notam istam, quantum possunt, ex publico Christianorum vsu exterminant. At qui nam illi?

In Appendice ad Dialogos Ant. Augustini hoc Valentiniani verè scitæ ingeniosæque signaturæ numisma vulgauit Octauianus Sada, quod hîc tibi spectandum exhibui.



Quo enim potius quàm huc referendum fuerit, equidem non video; cùm nihil ſit vnde meritò colligas potius ad Valentinianum Iuniorem, aut tertium; quam ad magnum illum & primum pertinere, ſed ecce numiſmata Valentis, omnia aurea ex Theſauro ſereniſsimi Bauariæ DVCIS MAXIMILIANI, &c.



Primum numiſma vulgauit quoq; Lipſius: in quo corolla, cui Chriſti nomen eleganter inſertum. Duo alia exiguo diſcrimine inter ſe ſecernuntur. Vtrunque inuenies apud Baron: Anno Chriſti CCC. LXIV. prius etiam apud Ant. Auguſt. Dial. primo. Adfert Lipſius cætera ſimile; verùm hoc vno diſsimile; quod figura partis auerſæ manu dextera ſolum Labarum littera ☧ inſignitum geſtat abſque globo & Victoriola ſiniſtræ inſiſtente, & Imperatorem coronante. In vltimo nummo comprimis notabilis eſt Crux ad latus Crucigeri Labari. Quod nummorum genus meritò inter elegantiſsima numeratur.

Præter hos aureos Valentis nummos ſunt alij eiuſdem inter Bauaricos, quaterni quidem cum X ſuper globulo; vt vides in hoc:





Vnuſq; hac forma: Duo cum ✠ in Labaro, totidē cum ☧. Non ſum neſcius, fore; qui illud X ſuper globulo in numiſmatibus Valentis aliò trahant, & aut ſignum Monetarij, aut alterius eſſe contendant. Verum enim vero hos ego audio, non ſequor. quia ſi quid errandum, malo errare nimio pietatis affectu: quàm impietatis deſiderio, pia etiam à pietatis ſcopo abducere vel potius abſtrahere conſueto.



CAPVT

CAPVT XIII.

Nummi Crucigeri Gratiani & Valentiniani Iunioris.



CREATVS est Gratianus Augustus anno Christi CCC. LXVII. à Valentiniano patre suo. Vita simul & imperio exutus est anno Christi CCC. LXXXIII. Valentinianus Iunior Gratiani frater, Imperare cœpit anno Christi CCC. LXXVI. desiit anno Domini CCC. XCII. Gratiani duo vides hîc numismata Crucigera; quorum prius excudit quoque Baronius. Alterum aureum ex Bauarico Cimelio depromptum est. *Baron. CCC. LXXVIII.*







Exstant ibidem tria alia Gratiani numismata cum X super globulo. Citat insuper Marcus Velserus II Vir Augustanus numismata Gratiani Augustæ inuenta, quæ hanc inscriptionem præferunt. D.N. GRATIANVS AVG. A tergo. GLORIA NOVI SAECVLI: milite dextra litteras implexas, (nimirum) ☧ quæ Christi nomen denotant, sustollente. Valentiniani Iunioris quatuor hic cernis numismata. *Velf. lib. 7. rerum August.*





Quo-





Quorum primum euulgauit Illustrissimus Baronius Anno Domini CCC.LXXVIII. In cuius auersa parte conspicitur, vt vides, figura stans, Labarum gemimatum & ☧ decoratum sinistrâ tenens, dextramque Felicitati cornucopiæ tenenti & offerenti porrigens, tametsi pictoris vitio accidit, vt in hoc nummo pars auersa minor sit, quàm aduersa: sicut eâdem incuriâ in nummo Gratiani minor est aduersa, quàm auersa. Alterum elegantissimum est, vbi vides figuram hastâ Cruciferâ armatam, & sinistrâ globum, cui victoriola coronam imponens insistit, tenentem; pedibus calcare seu serpentem seu draconem; proculdubio cum allusione ad illud Prophetæ: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; idque virtute Crucis. Olim Draco supra signa erat; nunc Crucis potentia statione sua deiectus sub pedibus conculcantium & insultantium gemit. Quod tam hic nummus, quàm alius Constantini Magni, aliusque Maioriani insinuat, de quibus suo loco.

Dices. An non & Christianis sui sunt Dracones in signis; & qui hæc talia signa ferunt, *Draconarij*? An non Constantinopolitano Imperatori inter cætera flamula præferebatur Draconteum, & quidem geminum, sic à Draconis imagine dictum? Quod Cyrum Regem Persarũ ab Assyriis accepisse, & inde ad Romanos peruenisse tradit Georgius Codinus Curopalata in libello de Officiis Aulæ Constantinopolitanæ. Non ignoro, Christianis huius generis fuisse signa: Ita tamen, vt non sicut olim apud Ethnicos viuum regnantemq; sed iam enectum, & ad pellem & ossa redactum Draconem circumferrent ad ludibrium victi & victi, non ad gloriam crudeliter adhuc dominantis, & in miseros mortales sæuientis. Quod satis indicatum ab illis ipsis, quibus Draconteum flamulum in vsu. Nam cum hoc, licet gemino, coniunctum erat aliud itidem geminum insignitum effigie D. Michaëlis Archangeli, qui iam olim de Dracone triumphum egit. Geminum item sanctorum Præsulum & Episcoporum imaginibus exornatum. Geminum insuper vtriusque Martyris Theodori, Procopij & Demetrij Iconas continens, cui à Cruce nomen. Geminum, in quo imago S. Georgij, equitis habitu. Tot ergo sacris signis & flamulis cum Dracontico illo coniunctis, quid aliud significatum est; quàm

quàm Draconem iam imperio & poteſtate ſua exutum eſſe, nec iam locũ in vexillis tenere ad gloriam; ſed ad ignominiam: nec vt triumphet;ſed vt triumphetur:nec vt honoretur;ſed vt irrideatur;idemque ferat ſupernè, quod patitur infernè pedibus fidelium ſubſtratus.

Quamuis porrò nummus iſte parte anteriore vnius Valentiniani nomen præferat; inſcriptio tamen partis auerſæ ad plures Auguſtos pertinet. Eſt enim: VICTORIA AVGG. trium videlicet; Valentiniani Iunioris, Gratiani, & Valentis, vel certè Theodoſij; ſi fortè cuſus eſt poſt Valentis exitium, aſcito iam in communionem Imperij Theodoſio. Tertium nummum edidit Lipſius: in cuius parte poſtica viſitur Crux, ſcitè in corona quercea incluſa, vt proinde verè ſit Crux coronata, quippe corona in orbem cincta. Nec ideo arbitreris pertinere ad Valentinianum Tertium, quia apud Lipſium in epigraphe eſt FL. VALENTINIANVS: nam Flauij nomen ceteris Imperatoribus commune fuit. Quartus eſt ex Bauaricis: vbi literæ illæ ROM. *Romam* denotare videntur, ſicut & in ſecundo literæ illæ, RM.

Præter hos Valentiniani Iunioris nummos annotauit *P. Sebaſtianus Heiſſius*, Societatis noſtræ ſacerdos, cuius in his nummis colligendis, digerendis, recognoſcendis & examinandis induſtria magno mihi adiumento & leuamento fuit; inter Bauaricos nummos aſſeruari eiuſdem Imperatoris ſex cum ☩ in Labaro: duos cum ☩ in medio. Totidem cum X. ſuper globulo.

Ad iſta & ſimilia Gratiani & Valentiniani Labara, nomine & Cruce Chriſti conſpicua reſpexit S. Ambroſius, cum ad Gratianum iam in hoſtes iturum ſcribens inquit: *Non hic Aquilæ militares, neque volatus auium exercitum ducunt, ſed tuum Domine nomen & cultus.*

In ſecundo Valentiniani nummo, vt & in aliis non paucis, torquem intueris circa Imperatoris collum proprium olim inſigne militum. ὅθεν καὶ οἱ τύραννοι, inquit Codinus, πρῶτον ἀφῄρουν τῆς ζώνης (στρατιωτικῆς) καὶ τοῦ στρεπτοῦ τοὺς τῶν μαρτύρων ἐστίμους τὸν χριστὸν ὁμολογοῦντας, ἔπειτα παρεδίδουν τούτους βασανισταῖς. *Vnde etiam Tyranni primùm auferebant cingulum militare (ſeu baltheum) & torquem à Martyribus Chriſtum confitentibus, & ſic tradebant tortoribus.* στρεπτὸν δέ ἐστιν ἐληλαμένος χρυσὸς ἐκ τριῶν πεπλεγμένος καθάπερ σχοινίον, ὅπερ ἐφόρουν ἐπὶ τραχήλου. *Eſt autem* στρεπτὸν *ſeu torques aurum ductum, ex tribus quaſi funiculis nexum, quod geſtabant in collo.*

Idem Codinus de Medorum Iudicibus, ἐπὶ δὲ τραχήλου τῶν κριτῶν ἐκρέματο δύο τινὰ διὰ σηρικοῦ πλατίχια λεγόμενα, ἅπερ εἰσὶν μαργέλλια μετὰ σύρματος τὸ μὲν μῆκος ἀπὸ σπιθαμῆς ἔλαττον, τὸ δὲ πλάτος παλαμιαῖον; ἅτινα ὁ τῶν μήδων ἐφόρει βασιλεὺς ὁμοίως, καὶ οἱ κριταὶ ὥσπερ οὖν ἐφόρουν πάλαι οἱ στρατηγοὶ στρεπτά. τὴν τιμὴν τούτων ἐδήλουν. *De collo iudicum pendebant ex ſerico filo ſeu vinculo duo quædam pala-*

 ſiisa:

ticia margaritis distincta & ornata cum firmate, longitudine propemodum spithamam; latitudine palmum æquantia; quæ Rex Medorum gestabat, similiter & iudices; sicut olim muneris & honoris sui testandi gratia duces militares ferebant torques. Illud διὰ σηταρίων, vel rectius σιταρίων, veste ex *serico*. Nam Italis *seta* est *sericum*. Vnde nuperi Græci suum *setanium* seu *sitanium* procuderunt: nisi quis malit à Latino vocabulo *seta* deducere, quasi pilaticia illa de setis suspensa fuerint. Quid autem sint *pilaticia*, alibi nos docet Codinus, cùm de Protouestiario fol.97. agens sic ait. πιλατίκια ἤγουν σκῆπτρα κρατῶν ἀπῃωρημένα, ὄντα κατὰ τὴν δεξιὰν χεῖρα αὐτοῦ ἐκβαλὼν αὐτὰ ἀπὸ τοῦ προθύρου δείκνυσι πρὸς τὸν λαόν. Vbi illud ἤγουν σκῆπτρα est explicatio vocis πιλατίκια, cuiusmodi obscuriorum vocum explanationes sæpe in Codino occurrunt.

Erant ergo *pilaticia* sceptra quædam seu dicanicia potestatis & officij insigne; quę, vt apud Medos è collo suspensa gerebantur; sic Protouestiarius suspensa ferebat secundum manum dexteram; iisq́; acceptis & ostensis populo præsentiam Imperatoris ἐν τῇ προκύψει, seu in oratorio, significabat. Quam verò ineptè Iunius locum hunc Codini tractarit; vidimus in Notis & variis lectionibus ad Codini libellum: & partim ex hac eius interpretatione æstimari potest. *Pilaticia, &c. tenet, vt in altum'subuecta sunt, dextera manu sua. &c. educens ea è Prothyro ostendit populo, &c.* Longè adhuc imperitius assignat originem vocis πιλατίκια, πιλατίκια, inquit, *oneris magis, quàm honoris signa.* Imò & honoris; nisi fortè Regem Medorum fuisse, aut Iudicem, aut Protouestiarium non fuerit munus honoris, sed oneris. *Pileata enim Orientalibus est rerum ignotarum & obscurarum disquisitio & peruestigatio.* Nimirum ex oriente vocis huius incunabula accersenda erant, vt sæpe alias alioquin periculum erat, ne Iunius linguarum orientalium videretur indoctus. Sed quàm doctè nobis ex oriente originationes vocabulorum adducat; iam non semel vidimus alibi.

Pergit Caluinista. *Hinc pilaticium disquisitionis & accuratissimæ cognitionis monimentum, quam à iudice opus est adhiberi, antequam iudicet, aut ferat sententiam.* Ista verò accuratissimæ nugacitatis euidentia sunt argumenta. Mirum, non repetiisse originem *à Pontio Pilato*. Nam & hoc *orientale* fuisset. Sed absq; ioco, cur non à pilo, hoc est, telo; aut à voce pilatus; nam vt à gladio est gladiatus; sic à pilo pilatus & præpilatus. Quàm facile enim hinc formare *pilaticium?* Cur non ab oppilo? Cur non à Græco πιλέω. Nihil affirmo de vocis origine. Illud compertum habere videor, minus ineptum futurum fuisse Iunium, si horum aliquid affirmasset; quam cum ad vocem orientalem confugit.

CAPVT XIV.

Nummi Crucigeri Theodosij Magni, & Aeliæ Placillæ primæ, & Gallæ Placidiæ secundæ, vxoris eius.

IMPERATORIAM dignitatem, Gratiano conferente, adeptus est Theodosius Anno salutis CCC.LXXIX. Mortuus anno Christi CCC.XCV. quo Arcadius & Honorius soli imperare ingresi Imperij habenas rexerunt. Arcadius quidem vsque ad annun Redemptoris CCCC.VIII. quo hinc excesit. Honorius autem vsque ad annum Christi, CCCC.XXIII. quo & ipse mortalitatē expleuit. De Theodosio magno, postquam biduum cum Eugenio Tyranno pugnasset, exercitusque admodum fractus esset; hæc refert Theodoretus. *Ibi cùm duces dicerent nimis paucos ad prælium de integro ineundum superesse, hortarenturq́; vt bellum aliquandiu intermitterent, quò ineunte Vere, exercitu collecto, hostes multitudine superarent, Imperator fidelissimus, eorum consilium repudiauit: nam nō committendum est, inquit, vt salutaris Crux tanta arguatur imbecillitatis, Herculisq́; statuæ tantum virtutis nostro testimonio tribuatur. Quippe vt Crux nostrum exercitum, ita illa hostium antecedit. Qua oratione cum tanta in Deo fiducia habita, cum copiæ relictæ & paucæ admodum essent, & animis fractæ, sacra ade in vertice montis, vbi castra fecerat, reperta, totam noctem huius vniuersitatis gubernatorem precibus sollicitauit. sub tempus autem noctis, quo galli cantare solent, somnus eum oppressit. Qui humi stratus videre sibi visus est, duos viros candido vestitu amictos equis albis vehi, qui ipsum bono animo esse, timorem abiicere, prima luce arma capere, & exercitum in aciem educere iubent: nam se auxilares, & velut antesignanos ad eum missos esse, & alterum esse Ioannem Euangelistam, Philippum Apostolum alterum.* Eandem visionem ait Theodoretus etiam militi cuidam secundùm quietem oblatam esse; eumque hæc ad Præfectum retulisse. Præfectum ad Tribunum: hunc ad Ducem: Ducem ad Imperatorem. Tandem vnanimi consensu decretum, denuo belli fortunam experiri; idque factum, cæso cum copiis suis Tyranno. Totum hoc, quod à Theodoreto literis proditum est probabiliter arbitratur Cardinalis Baronius repræsentari hoc numismate.

Theod. hist. Eccles. lib. 5. ca. 24

Baronius anno Christi CCC. XCIV.



Vides, inquit Baronius, *Theodosij senioris veram certamq́; effigiem, eiusq́; manum dexteram volumine, nempe, vt puto, sacro Euangelio munitam, sinistram verò cruce armatam, quibus significetur his armis superatum esse confidentem Diis gentium exercitum. Ex aduersa verò numismatis facie intueris expressè sacerdotali decoros habitu geminos illos, quos in visu vidit Apostolos Ioannem atque Philippum, æquè dextrâ volumen sacrum, sinistrâ verò Crucem gestantes. Habes etiam ex his, lector, inter alia, vnde antiquum sacerdotalem habitum discas, simulq́; tonsuram intelligas, atque palliola humeros ac pectus decorè ambientia, votáque nuncupata atq; multiplicata.*

Quod attinet ad inuolucrum illud, quod Imperator manu dextra gerit: quidnam id fuerit, intelligi posse videtur ex Georgio Codino Curopalata, cuius sunt hæc. τὸν δέ γε σταυρὸν ἐν δεξιᾷ φέρει ἀεί. *Imperator semper fert Crucem in dextra:* licet in hoc nummo Crux sit in sinistra Imperatoris. ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ βλάπτιον καὶ δίκην ἐοικὸς δεδεμένον μετὰ μανδυλίου ὃ βλάπτιον ἔχει χῶμα ἐντὸς, καὶ καλεῖται ἀκακία, ὡς εἴπομεν, τὸ τὸν βασιλέα ταπεινὸν εἶναι, ὡς θνητὸν, καὶ μὴ διὰ τὸ τῆς βασιλείας ὕψος ἐπαίρεσθαι καὶ μεγαλαυχεῖν. διὰ τοῦ μανδυλίου τοῦ ταύτης ἄστατον, καὶ τὸ μεταβαίνειν ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον. Alibi idem Cod. φέρει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ σταυρὸν, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ τὸ μανδύλιον μετὰ τῆς ἀκακίας, ὡς ἔθος. *In sinistra fert* (βλάπτιον) (idem quod Germanis ein Blatt) *blatteam, simile codici*, (sed complicato, eo modo, quo olim complicari solebant: hinc & voluminis nomē ab *inuoluendo* seu *inuolucro*) *mantili* (Græcus Cod. Bauaricus μετὰ μαντυλίου.) *ligatum; quod blatium, seu blattea, quæ intus habet fossam, seu tumulum*, (nam χῶμα etiam sepulchrum significat; Et hoc modo vertendum esse, suadent sequentia) & vocatur ἀκακία, (lego, ἀκία, prout alter Cod. Bauaricus in marg. annotatum habet: est autem ἀκία, *infirmitas, imbecillitas*: hinc etiam Lexicographi tradunt, ἀκιδνότερον idem esse quod ἀσθενέστερον.) *vt indicetur, Imperatorem humilem, vilemq́; esse; tanquam mortalem; & ne propter imperij fastigium spiritus sumat & insolescat.*

Cod. lib. de offi.

Rectè ergo blation hoc, fossam seu sepulchrum intus habens, nomen ducit ab ἀκία, ab imbecillitate: quia imbecillitatis & humanæ sortis symbolum est; non ab acacia. *Per mantile autem insinuatur imperij instabilitas, quodque ab vno ad alium transeat.* Hinc & in alio Codini loco legendum μετὰ τῆς ἀκίας, non ἀκακίας.

Ex quibus emendari poterunt errores Iunij Caluiniani, interpretis, & scholiastæ Codini. primus est; cum βλάτιον interpretatur *textile aureum*. Nihil hic de *auro* vel *aureo* Codinus. nec omne βλάτιον *textile*. βλάτιον enim Græci recentiores vocant, quidquid est πλατὺ, ex quacunque materia constet: Hinc *blatium auri, argenti, ferri, panni; chartæ;* tamque latè patet; vt nec latinum *bractea*, nec Germanicum Blatt/ ei diffusione sui respondeat.

Secundus; cùm μανδύλιον, seu μαντύλιον interpretatur, *mantili paruulo*. Atqui μαντύλιον Græcorum non est ὑποκοριστικὸν, sed ipsissimum Latinum *mantile*, terminatione Græca auctum.

Tertius; quod χῶμα reddit *aggestum*; *fossa* seu *sepulchrum* est; vt Imperatorem conditionis caducæ commonefaciat.

Quartus; quòd ita loquitur, quasi ipsum χῶμα appelletur ἀκακία, cùm tamen nomen hoc tribuat Codinus τῷ βλατίῳ.

Quintus est in vocabulo ἀκακία, eiusque vana explicatione. Sed hęc obiter; quæ tamen lucem accendent inuolucro illi, quod imago Theodosij dextra manu gestat: Simile enim quid eius videtur fuisse, quod posteriores Græcorum Imperatores ferre consueuerant: non dextrâ: hanc enim ferendę Cruci dabant; sed sinistra; vt apparet etiam ex trium Imperatorum imaginibus, quæ initio Nicephori Gregoræ depictæ visuntur. Etsi imaginibus Apostolorum hæc inuolucra non sunt addita, huius mysterij, sed ornatus caussa. neque enim necesse est, vt quiduis quouis loco quiduis significet. Nummographus Lutheranus nummum hunc Theodosij non attigit; fortè, quia videbatur nimis Pontificius.

In hoc bello aduersus Eugenium non concurrit Crux cum Cruce, Labara cum Labaris, vt factum in bello, quod Constantius gessit aduersus Magnentium & Decentium Tyrannos. Nam Eugenius signa sui exercitus insignierat imaginibus Deorum, & in primis Herculis. In bello tamen Theodosij aduersus Maximum Tyrannũ anno Christi CCC. LXXXVIII. Crux cruci opposita videtur; nam Maximus Christianus erat: eiusque numisma quoddam describit Nummographus, in cuius auersa parte *figura militaris stans, dextrâ Labarum, sinistrâ globum cum Victoriola* tenens; addita Epigraphe: RESTITVTOR REIPVBLICAE. Satis de primò nummo. En alterum.

 Non



Figura galeata, quam ſedere vides, fortaſsis Roma eſt. Non enim abludit typus hic à deſcriptione Claudiani poëtæ, de qua libro ſecundo de S. Cruce, cap. 53. Et idem dicendum arbitror, quoties effigies hæc in nummis occurrit: occurrit autem perquam ſæpe; niſi quis velit eſſe Conſtantinopolim, quæ & ipſa non abſimili forma exprimitur in Tabula Itineraria peruetuſta; ex Bibliotheca Peutingeriana eruta, & non ita pridem Antuerpiæ æneis formis excuſa. Reſidet enim in ſolio, galeâ criſtatâ, exertâ mammâ, haſtam ſiniſtrâ tenens, non ſine clypeo. Dextram extendit ad pyramidem, in qua cernitur figura ſtans, dextrâ globum, ſiniſtrâ haſtam tenens: quæ ſine dubio imago Conſtantini eſt; ipſe enim Conſtantinus ſtatuam ſuam collocauit in Porphyretica columna, vt notum, dexterâ aureum malum oſtentans cruce infixa; quam mirum ab Auctore huius tabulæ itinerariæ omiſſam eſſe, ſi, vt editor non vanis coniecturis adductus, affirmat, Chriſtianus fuit.

In eadem tabula viſitur quoque Roma in throno, redimita coronâ, qualis hodie Regibus in vſu; aperto ſinu, globum dextrâ, ſed ſine Cruce; ſiniſtrâ ſceptrum tenens; ſcuto ad ſolij læuam. Vnde colligas ſpeciem hodiernam regalis coronę non tam nouam eſſe, quàm nonnulli volunt: & in nummis apud Antonium Auguſtinum reperire eſt non paucos Imperatores, etiam ante Conſtantinum coronâ radiata ſpectabiles. Trebellius Pollio de Galieno Imp. *Radiatus*, hoc eſt, radiata corona cinctus, *ſæpe proceſſit*. Nec eruditos fugit iam olim ab Erinna Lesbia Romam appellatam fuiſſe χρυσόμιτρον: quod ad coronam quoque radiatam non inſcitè referri poteſt.

Quid ſignificet globus Imperialis hîc, verſibus nos docet Viterbienſis.

Aureus ille globus, pomum vel palla vocatur,
Vnde figuratum mundum geſtare putatur:
Quando coronatur palla ferenda datur.
Significat mundum forma perbibere rotundum:
Intus habet plenum terreſtri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Vt foret imperij manibus geſtanda ſupernis,

Hac

Hac tulit Imperium Iulius arte suum.
Taliter hunc mundum gestat manus vna rotundum,
Regius includit sic omnia commata pugnus.
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

Videtur autem Viterbiensis vocabulo, *palla*, alludere ad Germanicum Ballen/ quo significamus pilam, seu omne illud, quod teres atq; rotundum pugno comprehendi vel vibrari potest: & illa ipsa Germanorum vox originem trahit à Græco *βάλλειν*, quod est *iacere*;

Quid verò Crux globo imposita insinuet, sic explicat idem Viterbiensis.

Crux superest pomo cœli super insita dono,
Suscipe corde bono Rex, quæ tibi mystica pomo,
Teq; sedente throno prospice quid sit homo.
Crux & palla simul pariter connexa tenentur.
Hæc magis, illa minus parte reuerenda videntur.
Hæc ferit, hæc sanat; hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata Crucis tibi sint reuerenter habenda.
Seruulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Etsi autem Cruciger hic globus Regum ac Imperatorum proprius est; in Originibus tamen Palatinis lego hunc eundem globum cum Cruce concessum fuisse à Carolo V. Imperatore, Illustrissimo Palatino Electori, vt suis in insignibus eo vti queat, tanquam digmate, sicut & vtitur. Libenter equidem ex Miseno meo Professore Heidelbergensi intelligerem, quibus oculis Caluiniani Prædicantes cruciferum hoc stemma intueantur. Nulla me dubitatio tenet, quin si tam impunè furere ac grassari possent in Cruces stemmatum Principalium, quam impunè bacchantur in Cruces templorum, iam dudum illustrissimum hoc & regium insigne ex insignibus Electoralibus exturbassent. Sed de globo Crucifero plura commodiore loco. Nunc ad nummos. Similem fermè nummum, nummo præcedenti describit Nummographus: nisi quod inscriptio eius est: CONCORDIA AVGG, quæ à nostro abest.

Tertij nummi pars auersa est isthæc.



Similem

Similem deſcribit Nummographus: in eo enim Imperator ſtans dextra tenet Labarum; ſiniſtra Victoriolam, pede captiuum proterens. Noſter ſiniſtra globum habet; licet cruce non inſignitum; quæ tamen & in Labaro & iuxta Labarum in literis ☧ & ℞ fulget.

Quarti numiſmatis ſpecies à tergo eſt iſta.



Inſcriptio. GLORIA ORVIS (pro ORBIS) TERRARVM. Vidit hunc nummum inter Bauaricos & exſcripſit Nummographus, vt & ſequentem.



Plures Theodoſij Magni nummos producit & deſcribit Nummographus: & quidem ſæpius expreſſa Crucis mentione facta; Vtinam pari fide id vbique pręſtitiſſet. Inter Bauarica numiſmata aurea reperiuntur eiuſdem Theodoſij nouem alia globo crucifero conſpicua, ſecundo ſuperius expreſſo prorſus ſimilia; & alterum, X ſuper globulo inſignitum.

Addamus numiſmatibus Magni Theodoſij nummum Aeliæ Placillæ vxoris.



Hunc eundem nummum vidit Nummographus, quem his verbis deſcri-

describit. *Victoria sedens, inscribens aliquid clypeo super trunco arboris posito.* Sed quare non dicis, quid sic hoc ALIQVID? Nimirum ☧ est. Quàm inuitus hæc patefacis. Promeres promptè, si *secespita*, aut *capeduncula*, aut simile quid foret. Nunc quia est ☧, non aliud nomen apud te meretur, quàm ALIQVID. *Vide Baron. anno Christi CCC.LXXXV.*

Profert idem alium nummum eiusdem Placillæ, in cuius auersa parte inscriptio: SALVS REIPVBLICAE; figura muliebris, stolata, stans, cum ☧. Ab hac Aelia cæteras etiam Augustas Aeliarum nomen traxisse auctor est Baronius.

Contendunt aliqui *Flaccillam* appellandam, non *Placillam*: idque ex hoc nummo probant; itemque ex Claudiano & Paulo Diacono; & inde, quod Prosper & Marcellinus, huius neptem, Arcadij filiam, Flauillam nominant. Verum enim vero pluris apud me est plurimorum Græcè & Latinè scribentium auctoritas, quàm vnius *Lapidarij* aut *Monetarij*. nam Gregorius Nyssenus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Glycas, & Latini plerique *Placillam* vocant, quos omnes non esse deceptos longè probabilius est, quàm non fallere hoc vel illud antiquum numisma; vel hunc illumue Pauli Diaconi, aut Ambrosij, aut Claudiani locum non esse deprauatum, præsertim cùm aliæ horum editiones nobiscum Placillam, non Flaccillam, nominent. Et quis inter omnes Græcos scriptores reperitur, cui φλακκίλλα nota sit? Equidem video, quam Analogiam secuti *Flaccillam* nominent, qui ita nominant; sed pluris duco omnium Græcorum & plerorumque Latinorum in Placillæ nomine consensum, quàm paucorum dissensum. De eximiis Augustæ huius virtutibus lege, prçter cçteros, D. Gregoriũ Nyssenũ in oratione, qua Placillæ laudes decantauit. Mortua est anno Christi CCC. LXXXV.

Altera Theodosij Magni vxor fuit Galla ex Iustina & Valẽtiniano seniore genita, quam duxit anno Christi CCC.LXXXVII. licet Marcellinus in Chronico matrimonium hoc referat ad prçcedentem annum. Huius duos nummos describit Nummographus. Sed cùm Placidiæ nomen adiectum sit, vero similius est, ea non pertinere ad vxorem Theodosij Maioris Gallam nomine; sed ad filiam illius Gallam Placidiam, sororem Honorij Imperatoris ex patre. Et ad Gallam matrem, non autem ad Gallam Placidiam filiam. arbitratur Card. Bar. scriptum esse Commentarium de Trinitate Gregorij Bætici; nomenque *Placidiæ* ab aliena manu accreuisse: illam enim eguisse institutione in hoc diuino mysterio, quippe ex matre Ariana, Iustina, genitã: Gallam autem Placidiam adhuc in cunis vagientem, altero nimirum ab inito coniugio anno; huiusmodi subsidio nequaquã opus habuisse.

hh CAPVT

CAPVT XV.

De nummis Crucigeris Arcadij & Honorij Imperatorum.



QVANDO Arcadius & Honorius Imperatores regnare cœperint ac desierint, dictum est capite præcedente. Arcadij duos en nummos; cruce & nomine Christi insignitos; ex quibus primi vtraq; pars effictа est: aliorum pars duntaxat auersa.



Bar. anno Christi CCC.XCV. Primus nummus inuenitur quoq; apud Bar. Corona cælitus demissa, indicat Arcadium dignitatẽ imperij cælo in acceptis retulisse; & inde etiam coronam marcessere nesciam exspectasse. Similem nummum, quod ad coronam ex supero loco demissam attinet, videbis infra in Galla Placidia. Eiusdẽ formæ est nummus secundus, nisi quod iuxta Labarum Crux visitur (quæ per oscitãtiam iconographi omissa est) quam adiunctam existimat Baronius occasione Persicę victorię Cru-*S. Prosp. li. 3 de prædict. cap. 34.* cis beneficio partæ, vt testatur S. Prosper. Qui addit, Arcadium victorem auream monetam cum eodem signo Crucis fieri præcepisse, *qua in vsu totius orbis & maximè Asiæ, hodieq; persistit*, inquit S. Prosper.

Eiusdem Arcadij sunt & hæc duo numismata.

Sequun-



Sequuntur nummi Honorij Imperatoris.



Exſtat apud Anton. Aug. De Nummis Honorij vniuerſim hæc Card. Bar. poſtquam felicitatem Honorij ob tot victorias à Tyrãnis & Barbaris reportatas prædicarat. *Vnde & factum eſt, vt omnia fermè eiuſdem Augusti numiſmata cuderẽtur eiuſmodi ornata trophæis, nimirum cum eiuſdem Imperatoris imagine Victoria inſignita, pedeq; ſiniſtro proculcante Tyrannum dextra verò manu ſuſtinẽte Labarum nomine Chriſti decorũ, cuius ope omnia dextre eueniſſent, etc. quod haud facilè, vel ſaltem tam frequenter in cæteris Imperatoribus ſit reperire, cum nec aliquis alius fuerit Chriſtianorum Principum, qui tot tantosq; Tyrannos exſtinxerit. Ad huiuſmodi genus imaginum alludere viſus eſt Chryſoſtomus, dum in Eutropium agens hæc ait: Quemadmodum & regiæ effigiei non tantùm ornatus ex eo contingat, ſi ſolio Rex ſublimis ſedeat purpuratus, & diademate redimitus, quantum, ſi ſub pedibus quoq; regiis Barbari manibus poſt terga reuincti proni iaceant, &c.* Huius generis eſt iſte, quem hîc cernis, nummus. *Baron. anno CCCC. XXIII.*



Tertium locum obtineant isti.








Vidit hunc ipsum Nummographus, & descripsit his verbis. *Currus triumphalis à seiugibus tractus. Magnus, aureus pond.10.dracb.apud principem Albertum.* Sed quare omittit ☧ nitidæ instar stellæ in hoc numismate lucens? vidimus extypon eius argenteum apud Doctorem Albertum Hungerum Academiæ Ingolstadiensis Procancellarium. Cui non multum dissimiles illi; de quibus Card. Baronius in hæc verba S.Prosperi. *Hoc eodem anno* (CCCC.XVII.) *sub nominatis Consulibus, Honorius triumphans Romam ingreditur, praeunte currum eius Attalo, quem Lipara viuere exulem iussit. Sed triumphi huius nullam praeterea memoriam exstare scimus,* inquit Card. Baronius, *nisi in nummis, quibus repræsentatur Honorij Imperatoris imago, in quorum parte aduersa effigies inest militaris, sinistra Victoriam, dextra Labarū tenens; captiuum supplantans, quo Attalus designatur.* Erat autem Attalus, quasi nouus quidam Iulianus, qui signa militaria ad Ethnicum morem reformare, & in nummis excudere non erubuit. nam loco Labari Cruce & Christi nomine fulgentis, Victoriam: & pro Cruce hastam puram effigiandam curauit, ipsamq; mediam Romam nouam. Huius notæ numisma inuenies apud Baronium, Anno Redemptoris CCCC.XV.

Baronius anno Christi CCCC. XVII.

Quartus, vt vides, elegantissimus est; in quo Imperator pede leonem conculcans, hasta Cruce & P conspicua inclytus; manu desuper imminente, coronamque Imperatoris capiti imponente. Cùm autem inscriptio VICTORIA AVGG. tres *Augustos* indicet, videtur id cusum fuisse, quando Constantinus Maritus Gallæ Placidiæ, Valentiniani tertij parens, ex Cæsare creatus est Augustus ab Honorio Imperatore; quod factum, anno Christi CCCC.XL.

Alium nummum adducit Nummographus cuius inscriptio: VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens dextra sertum tenet, sinistra globum cum cruce.

Vxor

Vxor Imperatoris Arcadij fuit Eudoxia, filia Promoti, de qua Zozimus lib. 5. Eius nullum numisma noui. Nam quod Baronius adfert, & ex eo Nummographus; id ad hanc Eudoxiam non pertinere ipse Baronius postea agnouit, recteque ad Eudoxiam Theodosij Iunioris filiam, & Valentiniani Tertij vxorem retulit: huic enim *Licinia* prænomen fuit. *Bar. anno Christi CCC. XCV. Anno Christi CCCC. LXI.*

CAPVT XVI.

Nummi Crucigeri Theodosij Iunioris; & Aelia Eudoxia vxoris eius. Item Valentiniani Tertij; Licinia Eudoxia, & Galla Placidia matris eius; & Honoria sororis.



INIIT Theodosius Imperium anno Christi CCCC. VIII. tenuit vsq; ad annum Domini CCCC. L. quo obiit felicior principio, quàm fine. Eius duo hîc exhibemus numismata.





Posterius reperitur apud Baronium anno Christi CCCC. XX. qui arbitratur & hoc, & similia numismata cusa & signata esse ob victorias à Persis relatas; in eius auersa parte; (hanc enim solam expressimus) stat figura dextra tenens Labarum, Christi nomine coruscum, gemmatumque, in quo virtus & fortitudo exercitus insit, vt docet adiuncta inscriptio.

In priore est Victoriola stans, dextraq; sertum, & sinistra globum cruciferum gerens. Non absimilem nummum adfert Nummographus, *in quo Victoria sedens, dextra globum cum cruce & stella, sinistra scipionem gestans.*

Aeliæ Eudoxiæ, seu Eudociæ vxoris Theodosij hoc accipe numisma.



Prope ſimile eſt illud apud Nummographum, in quo viſitur Victoria ſedens, dextra globum cum Crucis ſigno gerens, ſiniſtra ſcipionem. Hîc figuram galeatam cernis, ſiue illa ſit Roma, ſiue Conſtantinopolis, ſiue quæ alia cum globo crucigero in dextera, ſcuto ad ſiniſtram, & ſtellula ſub globulo. Forſan & corona à manu cœleſti demiſſa, & Auguſtæ impoſita; in noſtro peculiare quiddam eſt. Alterum Aeliæ Eudoxiæ numiſma.



Vidit & deſcripſit Nummographus; vbi vides coronam lauream, & in medio crucem cum ſtella.

Valentinianus III. Gallæ Placidiæ, ſororis Arcadij ex Conſtantio Cæſare filius Imperij ius & moderamen cepit anno Domini CCCC. XXV. & tenuit vſque ad annum Redemptoris CCCC.LV. quo interfectus eſt. Eius numiſma accipe.



In

In priore parte Valentinianum Augustum habes, *tenentem*, inquit Cardinalis Baronius, *dextra volumen, (vt creditur) Euangelij, sinistra super globum geminam crucem margaritis ornatam*:(sed quod ad φόρημα seu gestamen dexteræ attinet, suprà ex Codino explicauimus; quidnam illud esse possit) *Altera verò parte intueris ipsam Gallam Placidiam Augustam, dextra erigentem, quæ oppressa à Tyranno* (Ioanne) *iacebat, Italiam: sinistra verò gemmatam crucem gestantem, cuius potentiâ occidentale imperium post Honorij obitum à Tyranno præreptum, absque vllo fermè negocio recepisset.*

Inter numismata Doctoris Alberti Hungeri, felicis memoriæ, vidi æreum Vespasiani Imperatoris; in cuius parte antica est imago Imperatoris. In postica idem Imperator iacenti Romæ manum porrigens cum hac inscriptione: ROMA RESVRGES. Simile mysterium in hoc itidem nummo latitare videtur.

Quod ad prænomen attinet, plerique non *Placidum*, sed PLACIDIVM nominant, & quidem rectè. ita enim etiam nummi Bauarici, & mater, à qua illi nomen, non *Placida*, sed *Placidia*.

Alter nummus sit iste.



Exstat apud Antonium Augustinum. Plures adfert Nummographus: inter illos vnum, cui inscriptio: RESTITVTORI REIPVBLICAE in quo figura stolata stans, sinistra Victoriolam, dextra Labarum cum ☧ tenens. Alium, in quo figura stans, sinistra crucem, dextra veluti falcem gerit. Alium, cui figura militaris stans, dextrum crus eleuans, dextra crucem portans, sinistra globum cum Victoriola tenente sertum, dextro pede conculcans serpentem cum capite humano.

Vxor Valentiniani Tertij fuit Licinia Eudoxia. Mater Galla Placidia: Soror, Honoria. Liciniæ hoc numisma damus.

Edidit





Edidit Ant. Aug. & postea Bar. qui ad Eudoxiã Arcadij vxorẽ id referẽs, postea sentẽtiã mutauit, nec immeritò. Nã Eudóxia, vxor Arcadij vocabatur Iulia. Vides Crucẽ supra ipsam Augustę coronã radiatã, & diadema effulgere; quo fortè respexit S. Hieronymus scribẽs ad Lętã. *Regũ purpuras & ardẽtes diadematũ gẽmas patibuli salutaris pictura condecorat.*

Epist. 7.

Gallae Placidiæ Augustæ duo numismata crucigera inuenimus. Primum ☧ intra querceam coronam continet. In altero apparet ipsa Galla Placidia in dextro humero ☧ insignita; cui manus supera coronam imponit. In alia parte figura cum Cruce visitur: quæ omnia in hisce nummorum ectypomatis intueri licet:









Hono-

Honoria Gallæ Placidiæ filia, soror Valentiniani Tertij: Attilæ Tyranno nuptũ data, vt scribit Paulus Diaconus. Eius hunc nummum vulgauit Baronius. *Baron. Tom.6. anno CCCC. LIV.*



Ex quo etiam liquet Honoriam fuisse à Valentiniano fratre in consortium Imperij adscitam. Appellatur enim *Augusta*, tametsi pictor & scalptor non satis ex fide egerunt. Titulus enim est. DN. IVSTA GRATA (ipsi pro G suppofuerunt E) HONORIA P. F. AVG.

Eiusdem mentio fit in veteri inscriptione apud Hieronymum Rubeum lib. 2. Hist. Rauen. quæ erat Rauennæ in Basilica S. Ioannis Euangelistæ, sic concepta. SANCTISSIMO AC BEATISSIMO APOSTOLO IOANNI EVANGELISTAE PLACIDIA AVGVSTA ET FILIA SVA IVSTA GRATA HONORIA LIBERATIONIS MERITO VOTVM SOLVIT.

CAPVT XVII.

Nummi Crucigeri Marciani, Aeliæ Pulcheriæ vxoris eius: Leonis & Maioriani.



CREATVS est Marcianus Imperator Anno Saluatoris CCCC. L. exstincto Theodosio Iuniore, tenuitq; Imperium vsque ad annum Christi CCCC. LVII. cuius initio hinc excessit. Eius hunc nummum ex Bauarico Thesaurophylacio depromimus: cui quatuor aurei, & duo argentei similes ibidem reperiuntur.



Ab hoc non multum discrepat ille, quem Baronius publicauit; nisi quod Victoria, apud Baronium Crucem gemmatam, eamque geminam gestat. *Bar. an. CCCC. LVII.*

Pulcheria Arcadij Imp. filia, Marciani vxor, obiit anno ſalutis CCCC. L I I I. ſanctitatis opinione celebris: Cuius hoc numiſma Card. Baronius ex tenebris eruit.



Valétiniano Tertio occiſo, imperium arripuit Maximus; anno Chriſti C C C C. L V. Verùm ne annum quidem eo potitus; cæſus eſt & ipſe. Eius talem nummum deſcribit Nummographus. D. N. Petronivs Maximvs P. F. Avg. Victoria Avgg. Conob. R. M. Imp. draconem calcans: nulla hic Crucis aut Labari Chriſti nomine conſpicui mentio. At forſan, ſi cui copia daretur nummi illius inſpiciendi, experiretur illum ſimilem Conſtantiniani nummi, quem ſupra depinximus; & Maioriani, quem infra deſcribemus: nam poteſtatem conculcandi Dracones adſcripſerunt antiqui Crucis virtuti, idque picturis & numiſmatis publicè præ ſe ferebant.


Leo imperare cœpit in Oriente Anno Chriſti C C C C. L V I I. in Occidente autem Maiorianus. Hic quarto anno imperare deſiit: ille, decimo octauo, nimirum anno Chriſti C C C C. L X X I V. Huius quinque aureos nummos reperimus inter Bauaricos; ſed omnes huius, quæ ſubiicitur, formæ.



Deſcribit tres alios Nummographus, in quorum vno; Imperator cum Cruce in dextera: cum Victoria in ſiniſtra. In alio: Victoria ſtans, dextra Crucem geſtans. In alio. Leo manu Crucem tenet. Victoria, Crux.

Maio-

Maioriani duos do nummos, quorum vterq; perquam elegans, vt ipsemet in hisce formis agnosces.



In vtroque vides ☧ in Imperatoris clypeo. In parte auersa Imp. cum Cruce, in dextra; cum Victoriola coronã imponente, in sinistra: Dracone pedibus conculcato. qui nummus specie accedit ad illum Constantini, quem iam suprà dedimus. In alterius nummi parte auersa Crux est circundata serto: cuiusmodi nummos iam sæpe vidimus. Priorem inuenies etiam apud Baronium, vbi de Constantini Labaro. & apud Ant. August. Dial. IX. vbi geminus Draco pedibus figuræ Crucem tenentis substernitur.

Maioriano adiungamus Seuerum, eum videlicet qui scelerate à se Maioriano trucidato Imperium inuasit anno salutis CCCC.LXI. Huius duos nummos ad argumentum nostrum spectantes proponit Nummographus. In quorũ alterius auersa parte ☧ corona laurea. In altero, Victoria Crucẽ aut Labarũ tenens. Adeo ipsis etiam Tyrannis Crux veneranda fuit, vt eius publico vsu & conspectu carere nollent.

CAPVT XVIII.

Nummi Cruciferi Anthemij, Iulij Nepotis, Leonis Iunioris Zenonis Basilisci, Anastasij.



IMPERII dignitatem adeptus est Anthemius anno Redemptoris CCCC.LXVII. Occisus, proditione Ricimeri, anno salutis CCCC.LXXII. cuius hoc accipe nũmisma visu & consideratu dignum.




Nil opus monere de singulis. Quis non videt globum crucigerum, quem duæ figuræ tenent, intra globum subiecto geminato X lineola duplici, per medium secto. Vel hunc, vel similem vidit Nummographus, quem ita describit. *Duæ figuræ militares stantes, tenentes globum* ♁ cum literis N. D. His nummus noster caret. Alius ha-

bet hanc notam ☧; & forsan est iste, quem Sada edidit in Appendice ad Ant. Augustinum, nisi quod litera decussata cum suo P. aliter formata est.



Iulij Nepotis nummum vnum reperimus inter Bauarica Cimelia.



Inuasit autem Iulius iste Imperium anno Christi, CCCC. LXXIV. Eundem vidit Nummographus: & alium, in quo Victoria, Crucem tenens.

Leo Iunior nepos Leonis, de quo capite superiore filius Zenonis ex Ariadna Leonis senioris filia, natus, & ab auo statim Augustus creatus anno Christi CCCC. LXXIII. & anno sequenti mortuus: post quem Zeno sibi vendicauit imperium. Vtriusque communem nummum hîc habes.



Arbitrantur quidam nummum hunc cusum anno salutis CCCC. LXXIV. In quo Leonis & Zenonis nomina, sed ita; vt solus Leo dicatur D. N. *Dominus noster*: neq; enim geminantur literæ D D. N N. vt fieri so-

ri solet, cum de pluribus Augustis in nummis sermo est: quia, quando Leo infans viuebat, Zeno Augustus non erat; sed tantum tutor Leonis infantis & administrator Imperij. Etsi fateor, tenuem hanc esse seu coniecturam seu opinionem; quia in multis nummis, vbi de duobus Augustis sermo, non est nisi simplex D. N. Quod nominatim liquet ex nummo Iustini & Iustiniani, quorum vterque Augustus erat, & tamen D N. non autem D D. N N. in eo apparet.

Effigiem diadematum existimat Baronius esse Zenonis, eo quod Leo tunc adhuc in cunis vagiret; sed vt idem Cardinalis admonet, nil vetat credere, ipsius Leonis effigiem, etsi infantis, hac formâ repræsentatam fuisse. Quod autem à tergo legis: VICTORIA AVGVSTORVM, id factum noueris, non respectu ad Zenonem, sed ad eum Augustum qui in Occidente regnabat: qui hoc anno erat Glycerius. Zenonis solius hæc duo damus.



In Bauarico Cimeleio exstant quinque alia primi prorsus similia, & aurea. In clypeo Imperatoris seu pelta, non apparet ☧ sed imago equitis. Vidit & descripsit eosdem vel similes nummos Nummographus. Apud Lipsium, habes Zenonis nummum, cuius áuersa parte Crux in corona; sed corona supernè tota non clauditur, vt in nostro: supra Crucem, eâ parte, qua corona aperta, littera O cernitur. Obiit Zeno anno salutis CCCC.XCI. Imperij sui anno XVIII.

Lips. lib. 3. de S. Cruce, ca. 16.

Sub Zenone Imperium inuasit Basiliscus anno Christi CCCC. LXXVI. qui mox Marcum filium suum Cæsarem; & Zenonidem coniugem Augustam creauit, sed à Zenone, post annum & octo menses imperio deturbatus, in Cappadocia cum vxore & filiis miserè periit. En vnum eius numisma, in quo Victoria stans, dextra Crucem tenet; ponè stella.



Zenoni mortuo successit in orientali Imperio Anastasius, Dicorus appella-

pellatus, anno Redemptoris CCCC. XCI. Defunctus anno Christi D. XVIII. Imperij sui Anno XXVIII. Nummi illus sunt isti.







Primum vidimus quoque in Antiquario Doctoris Alberti Hnngeri. similes secundi asseruantur nouem alij inter Nummos Bauaricos; omnes aurei. Et tres alij similes illi, quem tertio loco collo cauimus, quorum omnium figuræ & inscriptiones iam satis patescunt. Victoria secundi & tertij nummi globum Cruciferum gestat manu sinistrâ; & primi, Crucē dextra. Describit Nummographus alium, in quo Victoria Crucem sinistra tenet. Alium in cuius medio ✛ M quæ forma frequeus in posteriorum Impp. numismatis.

CAPVT XIX.

Nummi Crucigeri Iustini Senioris.



IMPERIVM auspicatus est Iustinus maior, anno Redemptoris D. XVIII. imperauitq; vsque ad annum salutis D. XXVII. quo laboribus & senio prægrauatus Iustinianū delegit sibi successorē, qui imperauit annos XXXIX. videlicet vsq; ad annum Christi D. LXV. quo obiit. Iustini hæc accipe numismata.

In



In quibus nihil obſcurum. Tres alij aurei prioris ſimilès aſſeruātur inter Bauarica Cimelia. Et aliusin qua Victoria, dextrâ ſertum; ſiniſtrâ globum crucigerum gerens.

Tertius Iuſtini eſt minutulus iſte, ſed aureus.



In quo literæ R & D. implexæ, globo infrà, cruce ſuprà. Sed quid ſibi volunt? Etſi hîc culpa inciſoris globulus nullus, qui manifeſtus in archetypo.

Quartus nummus eſt iſte.



In quo Crucem ſupra M collocatam intueris, vtrinque ſtellam. E ſub M. cum literis C O M. Vidit & deſcripſit eundem nummum Nummographus.

Quintus ſit iſte.



Nummus admodum elegans; in quo duæ figurę: quarum altera forſan Iuſtinus ipſe; altera Iuſtini coniunx Euphemia: ille fert globum crucigerum: hæc crucem. Eundem Nummum deſcribit Nummo-

graphus; qui & duos alios adfert; in quorum vno duæ stellę, in medio litera M. Crux supra. In alio.







Coronas vides ad nostrum ferè morem conformatas; non in speciem diadematis. Dependent inde gemmæ, & preciosi lapides; vno verbo, illa, quæ in Onirocriticis Achmetis cap. 248. appellatur χρεμασίεια τῦ σέμματος; item ἐνώπια, tametsi nomen hoc ex prima institutione & origine sua solum ea ornatus genera significat, quæ ex auribus dependent.

Quid literæ solitariæ, & quasi in Crucis speciem dispositæ, significent in his & aliis multis nummis, coniiciat ille, cui coniectandi facultas.

Res expedita foret, si nobis Hildegardis aliqua arcanorum explanatrix obtingeret: quæ hæc literarum mysteria panderet, vt olim factum, cum presbytero cuidam hæ literæ

K

A P H.

D

in Crucis formam dispositæ diuinitus apparuissent, de quo hæc Theodoricus Abbas lib. 3. de S. Hildegarde cap. 16. *Res in Suevia vico Rudesheim ita gesta est. Presbyter ille quadam vice, peracto iam die cum nox instaret, intrauit Ecclesiam, vt lumen sanctis daret, cùm ecce vidit super altare duas candelas ardentes radiare. Venerat secum vnus iuuenis scholaris, in adiutorium diuini seruitij sibi assiduus & familiaris. Ad quem cùm diceret, quare candelas extinguere neglexisset, & ille responderet, quod eas extinxisset; accessit sacerdos ad extinguendum, & inuenit pallam altaris explicatam, sicut euoluitur ad diuinum sacramentum agendum, cumque staret stupefactus, iuuenis ille corruens in terram, clamauit, & ipse in ecstasi factus, Gladius Domini occidit nos. Quem cum presbyter percussum putaret, festinauit, vt eum à terra leuaret. Sed ille nullam habens læsionem, protulit hunc sermonem; Si literas quæ in palla altaris sunt, viderimus, non moriemur. Existimans autem eum hoc præ timore ignoranter clamare, accessit iterum ad altare; & in loco, quo sacra conficiuntur, inuenit in palla quinque literas*

in

in modum Crucis absque humano operescriptas, scilicet in expansione, A. P. H. In erectione, K. P. D.

His visis & diligenter notatis, iuuenis viribus receptis erigitur. Sacerdos palla complicata, & candelis extinctis domum stupidus reuertitur. Literæ septem diebus durauerunt; octauo die & deinceps non comparuerunt. Quod secum mirans, religiosis & sapientibus factum innotuit. Sed quid portenderet, à nullo homine experiri potuit, donec post sedecim tandem annos, cùm fama toti mundo B. Hildegardem Spiritu sancto illustratam diuulgaret, veniens ad eam, cognoscere meruit, sicut ipsa per Spiritum sanctum didicit, quid tantum oraculum designaret. Sicut enim quondam Daniel in pariete visas, sic ipsa in palla descriptas, in hunc modum exposuit literas: K. Kyrium. P. Presbyter. D. Derisit. A. Ascendat. P. Pœnitens. H. Homo. Quod ille audiens, timore correptus, peccatricem accusat conscientiam: & correctus & monachus effectus, præteritæ vitæ negligentias emendare aggreditur per pœnitentiam, & sicut sancta Virgo literas exposuit, ad altiorem & districtiorem vitam ascendens, perfectum Dei seruum se in sancta conuersatione exhibuit.

Sextus Nummus.



Exstat apud Baronium anno Christi D.XXVII. qui putat cusum, quando Iustinianus à Iustino ad Imperij dignitatem euectus est: Ex parte auersa est trium Augustorum inscriptio; per quos designari Iustinum, Iustinianum, atq; eriam Theodoram, certum est, inquit Cardinalis Baronius.

CAPVT XX.

Nummus Iustiniani Imperatoris cum digressione de globo Crucigero, aliisq; Imperialibus stemmatis & digmatis.

Primus Iustiniani nummus sit iste.



Descripsit eundem Lipsius, qui parte auersa similis est illis Iustini, de quibus capite proximè antegresso actum.

Vides in capite Iustiniani nouum genus tegumenti; quod etiam posterioris æui Imperatoribus vsitatum fuisse videtur: Nam inter tegumenta & ornamenta, quibus Imperatores caput insigniebant, numeratur à Curopalata vnum, quod appellabatur Iustinianeum. Nec dubito, quin huius formæ, quam nummus iste repræsentat, & Iunium potius ridendum, quàm audiendum censeo, cùm ait; fuisse *Capitium pressius & quasi Doctorale.*

De globo Crucigero actum est lib. 2. de S. Cruce cap. 54.

Cùm autem ex vetustissimis nummis, & aliunde compertum sit, globum Cruciferum Imperialem non esse rem nouam, mirari quis posset ea, quæ his verbis Glaber Rudolphus scribit. *Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo, licet insigne illud Imperiale diuersis speciebus prius figuratum fuisset, Venerabili tamen Papa Benedicto sedis Apostolicæ fieri iussum est ad modum intellectuali specie, idem insigne præcepit fabricari, quasi aureum pomum, atque circumdari per quadrum preciosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream Crucem inseri. Erat autem instar speciei huius mundanæ molis, videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur, vt dum siquidem illud respiceret Princeps terreni imperij, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm vt dignus haberetur viuificæ crucis tueri vexillo. In ipso etiam diuersarum gemmarum decoramine videlicet imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Cumque postmodum prædictus Papa Imperatori videlicet Henrico huius rei gratia Romam venienti cum maxima virorum & sacrorum ordinum multitudine processisset ex more, eique huiusmodi insigne, scilicet Imperij in conspectu totius Romanæ plebis tradidisset; suscipiens illud hilariter, circumspectoq; eo, vt erat vir sagacissimus, dixit: Optime pater, inquiens ad Papam, istud facere decreuisti nostræ portendendo iuuenis Monarchiæ, qualiter se moderari debuerat, cautius perdocuisti. Deinde manu gerens illud auri pomum subiuxit: Nullos, inquit, melius hoc præsens donum possidere ac cernere congruit, quàm illis, qui pompis mundi calcatis, Crucem expeditius sequuntur Saluatoris. Qui protinus misit illud ad Cluniacense Monasterium Galliarum,*

Rudolph. lib. 1. Hist.

liarum, quod etiam tunc temporis habebatur religiosissimum ceterorum, cui & alia dona plurima contulerat ornamentorum. Hæc ille.

Vbi certum, in numerum irrepsisse mendum; nam anno septingentesimo decimo nil simile contigit; vt notum omnibus, qui vel eminus historiã & chronologiam salutarunt. Deinde, vt maximè vero consentaneum esset, quod Rudolphus scribit; dicere tamen oporteteret, globum hunc Crucigerum stemma & digma Maiestatis Imperatoriæ à Benedicto non fuisse inuentum ac introductum tanquam ab auctore; sed renouatum, tanquam à reparatore: cum liquidò constet; iam Constantini Magni ætate Cruciferum globũ vsu receptum fuisse. De globis in vexillis diximus alibi.

Addamus iam hoc. Etiam Sarracenis vsitatum fuisse globum aureum in vertice vexillj regij. Robertus Monachus de cæso Amiralio Aegyptio ad Ascalonem cum copiis suis, Duce Godefrido Lotharingo; *Standarum, quod in summitate argenteæ hastæ pomum habebat aureum, Comes Normanniæ obtulit sepulchro Domini, fuitq́; appretiatum precio XXII. marcarum.* Est autem *Standarum*, vexillum. Robertus. *Vexillum Admirauisi, quod Standarum vocant,* &c. Item. *Ad illum, qui Standarum tenebat, perueniens, illum ante pedes Admirauisi prostrauit, & vexillum accepit.* Rigordus de Philippo Rege. *Desuper corpora sanctorum duo Standalia decenter insignita pro memoria sanctorum Martyrum & tutela, contra inimicos crucis Christi pugnaturus propriis manibus accepit.* Anonymus, loquens de eodem Amiralij Aegyptij vexillo, de quo Robertus. *Longissima hasta, argento operta per totum, quod vocant Standart, & quæ regis Babyloniæ exercitui signum præferebatur, & circa quam præcipua virtus densabatur; ad quam victi & dissipati reuertebantur, capta est à Roberto Nortmannorum Principe.* Hæc ille. Robert. lib. 8.

Sed redeamus ad Crucem & Crucigerum globum: quibus semper, postquam Romanum Imperium cœpit esse Christianum, inter imperialia ornamenta; & quidem præcipua, locus fuit. Hinc Anonymus, qui vitam Henrici IV. Imp. misit in litteras ait; filium Henricum, cum Patrem in suam potestatem redegisset, *misso Legato mandasse, vt absque mora sibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraq́; regalia transmitteret.* Quod ipse Henricus parens obiicit Henrico filio suo in quadam ad eum epistola, *lanceam, & crucem & omnia regalia insignia, vi & timore mortis à nobis extorsisti.*

Quæritur, quæ fuerit hæc lancea. Et sunt, qui putent fuisse lanceam, qua Domini latus in Cruce apertum fuit. Quorum sententiam retulimus Tom. 1. de S. Cruce. Sed multas difficultates parit hæc persuasio, vt ibidem fusius ostensum. Vide lib. 1. de S. Cruce ca. 96.

Dicendum ergò fuisse lanceam, quâ Constantinus Magnus olim vti solebat. Constat hoc ex Sigeberto, & ex Auctore, qui res gestas S. Gerardi memoriæ prodidit: & ex Luitprando Ticinensi lib. 10. cap. 12. Quam Rudolpho Burgundionum Regi dono dederat Samson Comes. A Rudolpho Henricus Rex Germaniæ, obtinuit; ab hoc ad successores Reges & Imperatores peruenit; multis nominibus magno in precio perpetim habita, & inter Imperialia insignia reposita. I. Quia Constantini Magni, tanti Imperatoris, fuerat. II. Quia Crucis speciem præ se ferebat. III. Quia *clauos Dominicos*, hoc est, Reliquias de Clauis Dominicis continebat. quę fortè aliis clauis inclusę; effecerunt; (quod sæpe accidit) vt toti illi claui hastæ affixi censerentur illi Dominici; quibus manus & pedes Redemptoris confixi. IV. Quia ipsi claui ita inserti erant, vt Cruces efficerent. V. Quia ipsa operis & artis elegantia spectabilis & commendabilis erat. *Erat excepta cæterarum specie lancearum*, inquit Luitprandus, *nouo quodammodo opere, nouaque elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobiq; fenestras. Hæ pro pollicibus per pulchrè duæ acies vsq; ad decliuum medium lanceæ extenduntur.* VI. Quia maxima miracula patrabat: & verè erat νικοποιὸς, hoc est, *Victoriæ* effectrix. Recenset nonnulla Luitprandus lib. 4. cap. 11. & 12. Nec nos præteriuimus in opere de S. Cruce. Et Otho Rex, filius Henrici: *contra se insurgentes*, inquit Luitprandus, *hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit atq; fugauit.* Meritò igitur lancea hęc inter Imperij digmata locum inuenit. Quam Luitprandus Dominicam vocat; non quia fuerit illa, quæ latus Domini aperuit; sed quia Dominicis clauis decorata, & vt Sigebertus loquitur, sanctificata fuit.

Ad eundem Henricum, Ottonis Magni patrem misit Hugo Rex Galliæ *Constantini Magni ensem: in quo litteris aureis nomen antiqui possessoris legebatur*, inquit Continuator Bedæ. *In capulo quoque super crassas auri laminas clauum ferreum affixum cerneres, vnū ex quatuor, quos Iudaica persecutio Dominici corporis aptarat supplicio. Lanceam Caroli Magni pariter misit, quàm Imperator inuictissimus contra Saracenos exercitum ducens, si quando in hostes vibrabat, nunquam nisi victor abibat. Ferebatur esse eadem, quæ Dominico lateri Centurionis manu impacta preciosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit. Vexillum item misit Mauricij beatissimi Martyris, & Thebææ legionis Principis, quo idem Rex in bello Hispano quoslibet infestos inimicorum cuneos disrumpere, & in fugam solitus erat cogere.* Hæc Auctor ille;

Lib. 2. cap 8.

Ex cuius relatione suspicari quis posset hanc Caroli Magni lanceam inter regalia ornamenta ab Imperatoribus asseruatam esse; vt pote illam, quæ Domini latus reserarit. Sed cum alij scriptores dicant hastam Henrico, Ottoni Magno & reliquis, tam sacrosanctam fuisse Constan-

Constantini Magni; non est, quod accipiamus de hac Carolina; nisi fortè hęc ipsa à Constantino Magno ad Carolum Magnũ peruenerit, quod fieri potuit: sed non arbitror fuisse illam sanguine Christi dedicatam; Et propterea Continuator, cautè ait de hasta Carolina; *Ferebatur.* Vulgi nimirum sermonibus facilè nasci & dissipari consuetis, quamuis non sine pietatis testimonio & argumento. Quia enim in hasta Caroli Magni, vt & Constantini de clauis Dominicis, vel fortè de ipsa Centurionis lancea aliquid reliquiarum inerat; & quia virtute eius admiranda opera patrabantur, ideo pro prima illa haberi cœpit. Ex quo tanquam fonte quodam manarunt illæ de duplicatis vel triplicatis Reliquiis seu quęstiones seu contentiones: dum enim pietatis studio ducti mortales, illud reliquiarum, quod adepti erant, omni modo ornare conantur, & assimilare suæ origini; natæ sunt illæ controuersiæ; vt alias caussas in præsenti omittam. Nám qui aliquid de clauo Dominico nactus erat, thesaurum illum in theca claui speciem referente reponebat: vnde postea, toto pro parte sumpta, Clauus Dominicus id appellari cœpit, quod nõ nisi particula claui Dominici erat. Et idem prorsus accidisse cum lancea Dominica, sacratissimi lateris Christi reseratrice, mihi persuadeo; vt proinde varietas illa sententiarum, quam tomo primo de S. Cruce enumerabamus, etiam hac viâ conciliari queat. Et ita etiam interpretor id, quod Genebrardus refert ex Ranulpho, Etelstanum Anglorum Regem ab Ottone Magno accepisse lanceam, qua latus Christi transfossum fuit. Nam inprimis Otto Magnus non acceperat ab Henrico patre suo lanceam illam sacratissimam; sed Constantini Magni; de qua quia aliquid reliquiarum miserat; Rex autem reliquias missas lanceæ ad id comparatæ incluserat, ea de caussa ipsa lancea à parte; Dominica appellari cœpit; quia ipsa Constantiniana hasta, ob Reliquias de clauis Dominicis, & fortè de prima lancea Dominica audiebat. Et quis credat Ottonem Magnum hunc tantum thesaurum, pro quo parens eius magnam Sueuiæ partem expenderat, dono dedisse Regi Anglicano? Multo minus hoc credibile foret, si hasta illa fuisset nobilis illa, quæ latus Domini aperuit?

Quis credat Ottonem Magnum hoc tanto præsidio se & successores suos orbare voluisse, prętertim, cum hac Constantiniana lancea fretus, vniuersos hostes intrepidè semper sit aggressus, & quidem felicissimè: Arrepto gladio & sacra lancea, inquit VVitichindus, de Ottone, *ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis ac optimi Imperatoris officium gerens.* VVitich. lib. 3.

Quis credat hastam hanc ad Anglię Regem dono peruenisse, cum

 tempo-

tempore Henrici IV. Imperatoris adhuc inter Cimelia & stemmata regalia & Imperatoria asseruata fuerit. Idem intellectum volo de ense Constantini, quem simul ad Britanniæ Regem transmissum fuisse ab Ottone idem Genebrardus ex Ranulpho refert. Nimirum particula muneri missa totius appellationē & hîc, & alibi sibi vendicauit.

Illud admiratione dignum mihi visum est, quod Godefridus Viterbiensis lanceam inter Imperialia insignia nec Dominicam, nec Constantinianam, sed Mauricianam esse asserit. Ita enim, tametsi versibus inconditis, canit.

Lancea Mauricij reliquis præ maxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis.
Clauus namque Dei iunctus habetur ei.
Subiicit imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes
Hac vbi bella mouet vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites
Ex hac Cæsar habet, quod sibi regna fauent.

Narrat deinceps, quomodo Otto lanceam hanc accéperit à Bosone Rege Arelatensi.

Sed cùm plures & grauiores Auctores scribant lanceam inter Imperialia insignia, esse Constantinianam, caussæ nihil habemus, cur Viterbiensem potius, quàm illos audiamus. Satis de lancea.

Crux, quæ inter Imperij digmata, diuersa & seiuncta est ab illa, quæ in globo: de qua Viterbiensis hæc carmina cecinit, si non verbis & numeris, at certè sensu venusta.

Crux, caput imperij, datur hæc medicinaq; morbis,
Climata quadrati per brachia continet orbis,
Crux est scala Dei, spes, via, vita reis.
Hac datur assensus iustorum merce repensus.
Hac latro suspensus recipit pro crimine census.
Hanc solet Imperium ferre per omne solum.
Brachia distenta mundum complexa retentant,
Cunctaq; portenta Christi virtute retenta,
Crux velut athleta noxia cuncta vetat.
Vnde per hoc signum, quo tollitur omne malignum,
Imperij dignum caput est venerabile signum,
Prælia virtutis dans sibi signa Crucis.
Crux datur Imperio speciali Iure ferenda,
Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda.
Et gerit in terris signa colenda Crucis.

CAPVT

CAPVT XXI.

De aliis Iustiniani Crucigeris numismatis.

EDIMVS superiore capite vnum duntaxat Iustiniani numisma: sed en alterum, & quidem perquam elegans.



Nec minus scita hæc tria, quorum posticam duntaxat partem expressimus, quia in antica conueniunt cum priori.



Accipe & hæc duo.



Vtrunque exstat quoq; apud Baronium anno Christi D.XXVII. Iustiniani autem primo: & quidem cùm quintus nummus in priore parte habeat duplex A A, etsi hìc omissum alternm, in posteriore verò triplex G G G. existimat ipse eundem anno primo Iustiniani cusum, quo adhuc Iustinus superstes erat, per geminum enim AA duos Augustos designari; per triplex verò GGG non nisi Theodoram Augustam intelligẽdam esse. Inspice, inquit ille idem Cardinalis Baronius, quibus signis decorus nouus Imperator orbem regat, Cruce nimirum, quam globo infixam dextera gerit; & in quo victoriæ spem collocarit; videlicet in Cruce; Hinc imago Victoriæ dextra fert hastam Cruce & nomine Christi insignitã: sinistra verò globum crucigerum tenet.

Alios

Alios eiusdem Imperatoris Crucigeros nummos profert & describit Nummographus: & vnum quidem aureum minutum; qui à tergo habet Victoriam, quæ dextra scipionem tenet, finistra globum cum Cruce; addita hac epigraphe: VICTORIA AVGGG. H.

Alium minorem aureum, eadem inscriptione, nisi quod Victoria dextrâ tenet coronam, finistrâ globum. Alium, in cuius parte auersa imago Christi cum Cruce: hac inscriptione. D.N. IHS. CHRIST. REX REGNANTIVM. In parte anteriore: D. N. IVSTINIANVS ET TIBERIVS P. P. A.

Alium nescio num vnum an geminum hac forma.

✠	A	✠
	N	
M	N	KXII.
ROM	O	A.

Alium, cuius inscriptio D.N. IVSTINIANVS ET EKYCHRISTIVS, figura stans tenens Crucem. IHS CHRIST. REX REGNANTIVM. Similes inferius adferemus qui meritò scrupulum iniiciant; vt alibi iam monuimus, vtrum verum sit, quod Ioannes Curopalata scribit primum fuisse Ioannem Zimiscen, qui Saluatoris imaginem numismatibus adiecerit: Quomodo primus, si Iustinianus, tot annis anterior? Etsi in his nummis nō iniuria mireris, cur Iustiniano adiunctus Tiberius; & in altero *Ecychristius?* An forte illud numisma pertinet ad Iustinianum Iuniorem, qui à naso reciso Rhinotmeti nomen inuenit; quique Tiberium Absimarum, recuperato imperio, expulit, imò & supplicio affecit? At non est credibile pariter in nummis effictos fuisse. Nec illud de Ecychristio dubitatione caret.

Obseruatione insuper, dignum arbitror hoc, quod cum in Iustinianeis nummis Crux plerumq; inueniatur; in nummis tamen quos Gotthi fabricarunt, altera ex parte Iustiniani Imperatoris, altera Regis sui imagine efformata, Crux nulla appareat. Quæ caussa huius rei, nisi quia iam tunc Arianizantes *Lutherizabant* & *Caluinizabant*.

Exstat apud illustriss. Card. Baronium Tom. 7. nummus, in cuius vna parte effigies Iustiniani diademata, cum hac epigraphe. D N. IVSTINIANVS AVG. A tergo corona laurea, & intra illam D N. ATHALARICVS REX. Apud eundem Chronographum inuenitur aliud numisma priori prorsus simile, nisi quod in corona laurea scriptum est. D N. THEODAHATVS REX. Nulla Crux apparet, tametsi Iustinianus numismata sua Crucis trophæo ornare soleret. Nimirum Arianis non placuit figura Crucis in nummis. Quocirca quod


Constan-

Constantinus Magnus, Maiorianus, & alij Imperatores Draconem pedibus figuræ cuiusdam Crucem gestātis subiectum in numismatis efformarunt; id Theodahatus Gothorum Rex Arianus itidē fecit; sed remota Crucis imagine. Nummum reperies apud Baronium Tom. 7. anno Christi D.XXXIV. in cuius tergo est Victoria alata, dextrâ coronam ferens, sinistrâ palmam, & vtroq; pede serpēti insistens, cum hac inscriptione: VICTORIA PRINCIPVM. Noluit videlicet Victoriam felicesq; successus Cruci adscribere; (vt fecerat Constantinus Magnus & alij) germanum exemplar & forma Hæreticorum huius temporis; qui & ipsi quiduis libentius agunt, quā vt numismata Cruce signent. Vidit & descripsit similem ferè Theodahati nummum Nummographus: nisi quod Victoria serpēti non insistit, sed lituū ad pedes habet.

Reperi tamen in opere Inscriptionum Antiquarum totius Orbis Romani pag. 168. Crucigeram inscriptionem Atalarici Regis hunc in modum conceptam. ✠ ATALARICVS REX ✠ GLORIOSISSIMVS HAS SEDIS SPECTACVLI ANNO REGNI SVI TERTIO FIERI FELICITER PRECEPIT.

Inter Bauarica numismata exstant tria alia aurea Iustini senioris similia primo, à nobis supra depicto & descripto: Iustiniani autem septem similia nummo illi, quem vltimo loco posuimus.

Iustini Iunioris nullum numisma crucigerum reperi in Thesaurophylacio Bauarico; vt nec Tiberij secundi; quorum ille Imperium iniit anno Christi D. L X V. mortuus anno salutis D. L X X X I I. quo Tiberius successit. Nummum Iustini aureum describit Nummographus his verbis. D. N. IVSTINVS P. P. AVG. VICTORIA AVGGG. N. CONOB. *Figura sedens, dextra hastam, sinistra globum cum cruce.* Alius Tiberij Constantini est iste. D. N. (alij TIB.) CONSTANTINVS P. F. AVG. B. *Crux inter duas figuras.*



In Appendice ad Dialogos Antonij Augustini edidit Octauianus Sada hos duos perquam elegantes nummos.





Alter, vt vides, Iustini nomen præfefert; alter Iustiniani. Etsi autem Sada non docet, cuius Iustini & Iustiniani, non incommodè tamen in hoc capite locum sibi vendicant: cùm ratio nulla sit; cur de aliis, quã de maiore Iustino & maiore Iustiniano accipiamus. Stellæ symbolo addito ad Crucem in P supernè desinentem; indicare fortassis voluerunt illam stellam, de qua olim vaticinatus fuerat Balaam: *Orietur stella ex Iacob.* Stellis autem insigniri nummos iam dudum annotauit Theodoretus in historia Religiosa, vbi de Simeone Stelite.

CAPVT XXII.

Nummi Crucigeri Mauricij, Phocæ, & Heraclij Imperatorum.


MPERARE cœpit Mauricius anno Redemptoris D. LXXXVI. quo Tiberius obiit; tenuitque imperium vsque ad annum Christi DC.II. Eius vnum numisma hîc proponimus; quod & apud Lipsium exstat.



Aliud describit Nummographus. Cuius inscriptio. D. N. MAVRIC. P.P. AVG.

A
N K ✠
N
OA

Alterius eadem est inscriptio cum hac forma.

✠
✶ I ✶
CON.

Occiso Mauricio anno Christi D C.II. imperium inuasit Phocas; qui cetera sceleratus, erga Crucem religiosus fuisse videtur. Frequenter enim in nummis eius visitur. Ex quibus en vnum, qui & apud Lipsium.

Vbi



Vbi tres cruces cernis; vnam, ſupra verticem: duas in vtraque manu globo inſiſtentes. Alius Phocæ nummus ſit iſte.



Crux in vertice, imò ſupra ipſum diadema fulget. Tertius Phocæ Nummus.



Plures deſcribit Nummographus: inter cæteros etiam talem, in quo hæc ſpecies.



Trucidato Phocâ anno Chriſti DC.X. Imperium adeptus eſt Heraclius, cuius en quatuor nummos, qui & apud Card. Baronium, excepto vltimo.





Putat Baronius hęc & similia numismata cusa, recuperata à Persis sanctissima Christi Cruce, & Hierosolymam summo triumpho reductâ; quod multò magis credunt nõnulli de insigni nummo Heraclij, qui apud Lipsium, in quo Imperator curru triumphali sublimis, & coronatus conspicitur, sinistra Crucem gestans: cum hac epigraphe: *Super aspidem & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem & draconem.* Supernè quatuor pendent lampades, quibus hæc adscripta. *δόξα ἐν ὑψίστοις χριστῷ. ὅτι διέῤῥηξε σιδηρὰς πύλας καὶ ἐλευθέρωσε ✠ ἁγίαν βασ. ἡρακλε. Gloria in excelsis Christo, quoniam confregit portas ferreas & liberauit sacram maiestatem Heraclij.* sed videtur legendum, *ἅγιον*, ob signum Crucis antecedens, quod fortè positum loco vocabuli *ϛαυρὸν*, vt sensus sit: *Et liberauit Crucem sanctam Imperatore Heraclio:* vel, quod magis placet; lectio Nummi retineri potest; hoc sensu; *liberauit Crucem, quæ est ἁγία βασιλεία, sacrum imperium, seu sacra potestas Heraclij.* ita vt Heraclius in sancta Cruce Principatum & Imperium constituerit, exemplo Redemptoris nostri, de quo Propheta. *Principatũ eius*, hoc est Crux *super humerum eius.* Ego Crucis signum frustra sententiæ interpositum fuisse non arbitror. A parte anteriore est imago Heraclij corona radiata & crucigera conspicui, vultum ad radios cœlo delapsos attollentis, hac precatione adscripta; *Illumina vultum tuum Deus super tenebras nostras: Militabor in gentibus.* Græca inscriptio est ista. *βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ ῥω (ῥωμαίων) νικητὴς καὶ νομοθέτης ἀεὶ αὔγουστος ἡράκλειος ἐν χριστῷ τῷ θεῷ πιστός. Rex & Imperator Romanorum victor & legislator semper Augustus Heraclius in Christo Deo fidelis.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

Digreßio de magno Heraclij nummo, & vberior eius explicatio.



HOc loco exprimi, lectorisq́; oculis subiici debebat Heraclij nummus: eaque de caussa hæc pagina iam duos menses & amplius vacauerat, vt veniẽtem Heraclianum nummum exciperet. Sed ecce, eadem sorte, qua alij, abest, negligentia nimirum & fallacia Glyptæ illius Norimbergensis, qui si toties numismata dedisset, quoties nobis verba dedit, iam, opinor, nullis verbis opus esset.

Non committam tamen, vt quem nummum exhibere non possum in imagine, non exhibeam in explicatione; multò enim pulchrior ac augustior est, & consideratione dignior, quàm vllus Lacedæmoniorum nummus, ex eorum numero, quos χελώνας vocabant ab impressa testudinis effigie: de quo numismate emanauit ilud, inquit Cælius: Cal. li. 10. c. 2.

τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σοφίαν νικῶσι χελῶναι.

Virtutem & sapientiam superant testudines.

Quod longè rectius de cruce in Heraclij nummo, aliisq́ue expressa affirmaueris: hæc enim verè sapientiam huius mundi superauit; de qua victoria S. Paulus ista: *Perdam sapientiam sapientum: & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Hæc eadem crux, tanquam vera & germana virtus, virtutem huius mundi superauit. 1. Cor. 1

Verbum Crucis, ait idem ille Apostolus, *pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est*; quæ virtutes cæteras longè efficacius comminuit, quàm illa virtutis profligatrix in nummo Lacedæmonio. Quocirca vt Eupolis *Callichelonum* appellauit nummum Lacedæmonium, sic nos non insciṫe nominabimus nummum Heraclij *Callistaurum*, vt & huius signaturæ alios.

Athenienſibus erat nummus bouis scalptura, inquit idem Cælius, quod etiam absque ipsius testimonio ex veterum monumentis liquet. Auctorem nummi ferunt Theseum vel ob Marathonium taurum, vel ob Minois ducem, vel quod ad agricolationem perlicere vellet ciues; qui à bouis effigie nomen bouis tulit. Quanto rectius nummis crux additur, tum vt symbolum deuicti dæmonis, tum vt instrumentum, & quasi dux ad salutem; tum vt mnemosynon ad omnem mentis culturam exercendam. Nec immeritò à Cruce nummi quidam *cruciferi*, seu *cruciati* audiunt. Dyobolis addebant Athenien-

nienſes *noctuam*, faciemque Iouis. Tetrobolis duas noctuas. Chriſtiani veteres, quibus pietas cordi erat, lucis potius notam, quàm noctis adiungendam arbitrati ſunt. Fuerunt olim Gallis ſui *Philippei*, ab imagine alati genij *geniati* dicti: Fuerunt & *ſceptrati* & *ſoliati*, Regis *trabeati* iura reddentis imagine præſignes. Athenienſibus erat numiſma, cui nomen κόρη; id Euripides vocat παρθένον, *Virginem*, ab inſculpta Palladis imagine. Corinthiorum nummus quidam πῶλος appellabatur à Pegaſi icone. Mitylenæi Sapphus imaginem nummis inſculpebant. Homerum Chij. Alij puerum Delphino inſidentem. Rhegini leporem. Cephalenij equum. Thaſij Perſen. Argiui murem; item lupum. Troezenij tridentem, quod Neptunum colerent. Quidam imaginem Sagittarij. Germani olim ſerram.

Sed rectius omnibus Chriſtiani, qui Chriſtiana ſymbola addiderunt, ante omnia Crucem; qua vix aptius memoriæ adiuuandæ & cæleſtibus beneficiis recolendis monumentum.

Celeberrimus olim habebatur nummus Tenedius, à Tenedio Rege nomen ſortitus, qui lege ſanxerat, vt mœchis vtriſque, ſi deprehenderentur, caput ſecuri percuteretur; quam legem in filio quoque rigidè obſeruarat. Quapropter in nummo addita eſt; ab vna parte, *ſecuris*: ab altera, facies duæ, ex vna ceruice prodeuntes. Quo ſigno clarum facere voluit Rex ille ſuam iuſtitiæ legibus ſatisfaciendi ac obtemperandi cupiditatem. qui iuſtitiæ amor longè clarius elucet ex nummis crucigeris. Quid enim Crux aliud, quàm iuſtitiæ index? Quis Crucem in monte Caluariæ erexit ac fixit, niſi diuina iuſtitia? Quid Crux expiauit, & expiando expunxit, niſi iuſtitiæ diuinæ debitas pœnas?

Argentum ſignatum dici ſolet ἐπίσημον. Niſi fallor, nullum argentum meliore iure hoc nomen ſibi vendicat, quàm quòd ſacroſanctæ Crucis ſigno inſignitum ſplendet. Quod & de ære dictum volo. Nam Lipſius, qui nummum Heraclij integrum repræſentat, eundem aut æreum vidit, aut ab illis, qui viderant, accepit.

Corona porrò Cruce ſpectabilis, qualis in Heraclij capite fulget, meritiſsimo *corona* decoris nominatur; quam Hieroſolymæ ſeſe Deus impoſuiſſe per Prophetam ait: Etſi vrbs illa ingrata tanti precij ornamentum, indignante Deo, abiecit: *Dedi*, inquit Deus, *coronam decoris in capite tuo*. *Ezech. 15.*

Prætereo lampades ardentes in hoc ipſo Heraclij nummo expreſſas. An innuunt illam de quinq; prudentium virginum parabolam? An inſinuant Crucem eſſe lampadem ſeu lucernam Chriſtianorum, quæ in huius vitæ caliginoſo locò lucem præpandat, noſque ad lucem illam inacceſſam ſecuro calle deducat. Verùm enim verò

Sunt

Sunt qui dubitent de genuina huius nummi antiquitate. Sed vt ipsa Heraclij ætate cusus non sit;non tamen hinc conficitur, nuper fuisse fictum, & factum. Quo enim argumemto istud euincitur? Ex Græca quapiam officina profectum, nemo non videt. De tempore nil penitus adiectum animaduerto. Itaq; non satis capio, cur non longè ante sæculum nostrum in memoriam reportatæ ex Persia Crucis huiusmodi nummus percuti oportuerit, etiamsi ipso Heraclij æuo percussus non fuisset; quia Græcos, & maximè Imperatores, Cruci addictissimos fuisse, nemo nescit. Quos huiusmodi honorariis nummis insignem illam Heraclij Victoriam celebrare voluisse, nil vetat credere, nisi animus aut nihil, aut parum, quod ad Crucis gloriam spectet, credere solitus.

Quod autem forma nummi non sit ab Heraclij æuo, persuadere videntur cùm alia, tum prolixitas barbæ;quam Romani Imp. radere solebant. Cedrenus de Mauricio Imp. *Barbam Romano more tondebat.* Idem Cedrenus de hoc ipso Heraclio. *Fuit Heraclius statura mediocri, &c. barba lata atque prolixa: sed Imperator factus, statim comam totondit, ac mentum rasit, qui est Imperatorũ habitus.* Etsi olim apud Ethnicos Imp. varius *fuit* mos, aliis radẽtibus, aliis barbã alentibus. In cuius corona vides preciosos lapides & gemmas, de quorum mysterio hæc Viterbiensis.

Iulius instituit gemmas superesse coronæ,
Vt preciosa foret lapidum grauidata decore.
Nunc liber exponet, quid sibi gemma volet.
Quattuor in cunctis sunt insita mystica gemmis.
Duritiea, virtus, splendorq́, colorq́ perennis.
Hæc qui Cæsar erit mystica nosse velit.
Duritie constans, virtute refertur honestus.
Est bona fama color, splendor sine crimine quæstus.
Quatuor ista geret, qui diadema feret.

Quod Iulium Cæsarem coronam Imperialem instituisse, eique gemmas innexuisse ait, id secus est. nam Iulius nec corona, qualis hodiè visitur, nec diademate regali vsus est; etsi non semel ab adulatoribus, vt vteretur, incitatus. Sed abstinuit, metu nimiæ inuidiæ. Sic nec globum Imperialem, (quod idem Viterbiensis affirmat) instituisse videtur. Quamuis enim in antiquissimis nummis globus sit vniuersi huius seu mundi symbolum, non tamen nisi post Iulium inter Imperatorum specialia signa receptus est. De auro coronæ Imperatoriæ hæc idem Auctor.

Aurea materies regalibus apta coronis,
Indicat imperium mundi superesse patronis.

Circulus

Circulus est orbis, forma rotunda soli.
Aurum cuncta suo superat fulgore metalla
Imperium superat, quos orbis continet aula.
Et bene Romuleo iure gubernat eos.
Suscipit innumeras aurum tractabile formas,
Suscipit & varias Romana Monarchia normas,
Flexibilis, facilis, aurea forma suis.

Scribit Cedrenus vnà cum Heraclio auream coronam sepultam fuisse: & quidem illam, qua Constantinus filius eius Imperator inauguratus fuerat. Quod cùm nonnulli Constantino suggessissent, ille factum mali ominis ratus, *mandauit Callinico cubiculario*, inquit Cedregus, *vt eam sibi adferat. Abiit ille, & sepulchro recluso, coronam capiti adhærescentem cum crinibus reuellit, & Constantino adfert. Is solui & æstimari iubet coronam, & æstimata est libris septuaginta.* Sed Heraclonas, qui breue Constantini Imperium excepit, obtulit templo sanctæ Sophiæ coronam, *quam Constantinus ex sepulchro patris abstulerat.*

Fuerunt etiam Hebræorum Regibus & Principibus coronę aureę & margaritis vnionibusq; distinctæ in vsu. Ad quas allusit Psaltes his verbis Psal. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.* Et 1. Paralip. 20. *Tulit Dauid coronam Melchom* (Regis Ammonitarum) *de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & preciosissimas gemmas, fecitq; inde sibi diadema.* Num verò diadema propriè dictum, quale in nummis passim apparet, an latè sumptum, hoc est, coronam radiatam, qualis hodiè vsitata: & ad illam aliquatenus formam, quæ in corona Heraclij apparet? Non liquere videtur, num talia diademata Hebræis in vsu fuerint. Etsi non rara mentio in sacris litteris diadematis, vt de hac ipsa corona Regis Ammonitarum 2. Reg cap. 12. *Tulit diadema Regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas preciosissimas, & impositum est super caput Dauid.* Insigne ergo illud regale, quod in Paralipomenis dicitur *corona*; hîc absolutè appellatur *diadema*: septuaginta Interpretes verterunt vtrobique, στέφανον. Dauid ergo ex corona Regis Ammonitarum fecit sibi diadema, hoc est, coronam, non mutatione, sed translatione & vsu; propterea loco iam ex libris Regum adductoq; præcisè dicitur; *Et impositum est super caput eius.* Et 70. in vtroque loco καὶ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς Δαυίδ *Erat super caput Dauidis*, corona nimirum Regis Ammonitarum. 2. Reg. 1. tulit adolescens Amalecites ad Dauidem *diadema, quod erat in capite Saulis, & armillam de brachio illius.* Num probabile, Saulem in medio bellici conflictus corouam radiatam gestasse? septuaginta Interpretes non habent vocabulum *Diadema*: ita enim reddiderunt hunc locum: καὶ ἔλαβον τὸ βασίλειον τὸ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ,

αὐτοῦ. *Et accepi regium insigne, quod erat in capite eius.* 4. Reg. 11. *Produxit* (Ioiada sacerdos) *filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem, & vnxerunt, & plaudentes manu, dixerunt; viuat Rex.* Apud 70. Interpretes; ἔδωκεν ἐπ' αὐτὸν νεζὲρ καὶ τὸ μαρτύριον. Græci commentarij interpretantur Nezer, ἁγίασμα, *sanctificationem;* siue *inaugurationem;* quæ fit imposito diademate. Quocirca non malè noster interpres *diadema* transtulit. Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, &c.* 70 Interpr. ἐν τῷ στεφάνῳ, ᾧ ἐστεφάνωσεν αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ. *In corona.*

Aliqua scripturæ loca, vbi diadematis mentio, accipi possunt absque vllo incommodo de diademate, vt gemmatam tæniam seu fasciam significat. Dico *tæniam*, quia licet hæc vox propriè significet vincula, quibus fascia ad occiput colligatur; sępe tamen nomine partis ad totum translata, totam fasciam significat. Hinc ταινιοῦν, *coronare, redimire.* & apud recentiores Græciæ historicos, ταινία βασιλική, *Diadema regium.* Talis locus est Esther primo, vbi præcepit Rex, vt introduceretur Regina Vasthi coram Rege, *posito super capite eius diademate.* & c. 2. *posuit Rex diadema in capite* Esther, *fecitque eam regnare in loco Vasthi.* Et ca. 6. suadet Aman, vt is, quem honoratum Rex cupit, præter cætera honestamenta, ornetur *diademate regio.* Et 1. Machab. 1. dicuntur omnes Alexandri Magni successores sibi imposuisse *diademata.* Et ca. 13. Tryphon *imposuit sibi diadema Asiæ.* Et cap. 11. *Imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti & Asiæ.* Hæc & similia sacrarum literarum loca nil vetat accipere de fascia seu tænia gemmata; quandoquidem certum est, huiusmodi insignia Persarum, Græcorum, & aliarum nationum regibus fuisse vsitata. Interdum tam pro tali fascia, quàm pro corona radiata accipi potest, vt Eccles. 11. *Insuspicabilis,* ἀνυπονόητος, de quo nulla erat suspicio, *portauit diadema.* Et Isaiæ 62. *Diadema regni in manu Dei tui.* Persis diadema regium cidaris vocabatur. In Eclogis Menandri de legationibus. καὶ ὁρμίσδας ὁ χοσρόου ἀνοσιουργὸς ὄντως ἀνὴρ τὴν κίδαριν ἀνεδήσατο. *Hormisda filius Chosroæ vir verè impius cidari redimitus est.* Suidas. τινὲς δὲ κίδαριν λέγουσι, περικεφάλαιον πίλινον, ἢ στέφανον, ἢ φακιόλιον, ἢ πῖλον βασιλικὸν περσῶν, ἢ τὸ στρόφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φοροῦσι. Qua notione; nimirũ pro sacerdotali tiara, potissimum vsurpatur in sacris literis, vt Exodi 28. Leuit. 8. & Ezech. 21. *Aufer cidarim, tolle coronam.*

In quæ verba S. Hieronymus: *Cidaris insigne Pontificis est, corona, hoc est, diadema, regis indicium.* Satis de corona occasione coronæ Heraclianæ.

In manibus fert Heraclius Crucem: hæc enim Imperatoribus Constãtinopolitanis fuit loco sceptri, quod alioqui insigne Regum;

hinc apud poëtas: σκηπτοῦχοι βασιλῆες, *ſceptriferi Reges*. Etſi aliis itidem inferioris ordinis ſceptra, poteſtatis & magiſtratus ſymbola conceſſa ſunt; vt ex Codino clarũ, qui δικανίκια nominat. Quid autem ſceptrum ſit, & cui competat, non ineleganter docuit iratus Achilles apud Homerum iurans per ſceptrum, quod manu gerebat.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν ὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν.
Οὐδ' ἀναθηλήσει περὶ γὰρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε·
Φύλλα τε καὶ φλοιόν· νῦν δ' αὖτέ μιν υἷες ἀχαιῶν
Ἐν παλάμαις φορέουσι δικάσπολοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται.

Per hoc ſceptrum iuro, quod neque folia, neque ramos proferet, poſtquam in montibus reſectum eſt, neque refloreſcet, quandoquidem ferrum ei folia & corticem abſtulit; quod nunc Græci, qui iuri dicundo præſunt, idq; officij à Ioue impetrarunt, manibus ferunt. Verum hæc Troicis temporibus, quando omnia erant rudiora: nam poſtea ad aurum & gemmas ventum eſt. Sacerdotes quoque ſceptra geſtabant. Quia apud eundem Homerum adit Chryſes ſacerdos Agamemnonem, χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ: *aureo cum ſceptro.* Sed his omiſsis, ad Reges redeamus, quibus plerunque aut Crux, aut ſceptrum, aut certè ſceptrum crucigerum. Rogerus in Annalibus Anglicanis de Richardo I. Angliæ Rege. *Richardus Rex veſtimentis regalibus indutus, coronam auream habens in capite, proceſsit de thalamo ſuo coronatus, geſtans in manu ſua dextra ſceptrum regale, in cuius ſummitate habetur ſignum Crucis, & in manu ſiniſtra virgam auream, in cuius ſummitate habetur ſpecies columbæ*, reſpectu fortaſsis ad illam columbæ figuram, in qua Spiritus ſanctus apparuit.

Capite octauo huius libri habes numiſma Criſpi Cæſaris, in cuius antica parte ipſe conſpicitur rhabdum ſeu ſceptrum tenens, cuius apici auis inſidet, paſsis alis. Aquilam interpretor. nam, vt Onirocritus ille, cui Achmeti nomen, ſemel atque iterum dicit: ὅλως ὁ ἀετὸς εἰς βασιλέα κρίνεται. *Vniuerſim aquila ad Regem pertinet*: & quis neſcit aquilam Romanæ maieſtatis ſymbolum eſſe?

Tertium Nummum Heraclij ſupra capite 22. poſitum, vidit etiam Antonius Auguſtinus, vel certè ſimillimum. Ait enim, duas in eo conſpici figuras in modum patris, & filij, quæ crucem teneant: (in noſtro nummo non tenent; ſed vtriuſq; capiti crux impoſita eſt; tertia in medio poſita) ſtantem inter vtramque cum hac inſcriptione: DD. NN. HERACLIVS ET HERA CONSTANT. PP. AV. (in noſtro paulolum variat) A parte auerſa Crucem cum gradibus & hac epigraphe. VICTORIA AVGVST. COM. OB.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De tribus Nummis Crucigeris cuiusdam Constantini Imperatoris.

CVIVS sint tres sequentes nummi pro certo affirmare non possum.



Erit forsan, qui primum referat ad Constātinum, qui ob barbam dictus est *Pogonatus*: qui Imperium iniit anno Christi DC.LXVIII. filius Constantis Imperatoris. Et hoc ipsa Imperatoris figura suadere videtur. Sed quid sibi vult adiuncta imago *Constantis*, nisi fallor, nomine indigitata? num filius Constantini est? At nihil, quod sciam, tradunt historiæ de filio Pogonati, cui Constantis fuerit nomē. An potius nūmis iste pertinet ad filium Heraclij Constantinum, qui vix quatuor menses imperauit, relicto successore, Constāte filio: quē aliqui Constantium, quidā Constantinū vocant. *Nos verò secuti Theophanem*, inquit Baronius, *Constantem appellabimus.* cui etiam hic nummus suffragatur. Ad quem fortassis spectat quoque nummus secundus: nam de Pogonato nihil hîc suspicari licet; cur enim imberbis Pogonatus pingeretur? Multo minus hîc cogitare quidquam possumus cum ratione de Constantino Magno: quia forma Crucis diuersa est ab illa, quæ tempore Magni Constātini in nummis exprimi solebat. Minus huc facit Constantinus Copronymus: monstrum potius hominis, quàm homo. Quid si referatur ad Constantinum Irenes filium, Imperatorem orthodoxum, & Iconoclastarum debellatorem? Quod similiter de tertio numismate intellectum volo: & de huius modi aliis, quę Constantini nomen pręferunt; nec tamen indicant cuius Constantini, nisi (quod clarum) non esse primi & magni illius Constantini; quod ipsæ inscriptiones, schema, habitus, & omnia alia indicant.

CAPVT XXV.

Disceptatio de grandi quodam nummo Constantini Imp.





mm 3 Cum



VM hæc commentarer allata & oblata est mihi expositio Numismatis argentei Constantini Imperatoris Byzantini, quod hîc expressum vides, cuius partem auersam interpres ipse, postquam Christianorum Principum in Moneta religiosis signis exornanda studium descripsisset, his verbis proponit: *Horum omnium religiosam elegantiam superare volens Constantinus hic noster, &c. in amplissimo isto huius nummi orbe, &c. non tantùm Crucem Dominicam consecrauit, addito elogio ex verbis Apostoli.* MIHI ABSIT GLORIARI NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Sed eam etiam mystico & elaboratissimo emblemate honestauit, &c. Stat igitur terræ infossus & destitutus stipes Crucis, anguem sibi subditum, & intortum elidens; in basi alueo quodam veluti labro fontano inclusus, cui aqua è duabus fistulis prorumpens illabitur. Idem in adscensu palmæ foliis & palmitibus vestitur & circumdatur, quas desuper è cacumine quaternis fistulis exundans aqua irrorat & lætificat. Assidet vtrinque muliercula, sed diuerso habitu: quæ ad dexteram, formâ senili & verecunda, vestitu matronali & planè Augusto. Quæ ad læuam, iuuencula & procax pube tenus nuda. Ita autem inter se oppositæ, vt quasi contendere & altercari inter se videantur. Et illa quidem crucem adspiciens, quam & quadam velut ansa tenere videtur. Ista verò vultum inde auersa, columbas duas filo colligatas quasi lusitans tractat, catellum suppedaneum habens.*

Parte anteriore. *Statua equestris Constantini Imperatoris visitur. Crux in diademate & pectore verbis veterum suffragatur.* Ambrosius. *Sapiens Helena crucem in capita Regũ leuauit: vt crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ redemptioni.* Hieronymus. *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli Saluatoris figura condecorat.* Etsi ego in corona Constantini nullam crucem animaduerto: nam Crux, quæ ante epigraphen apparet, non pertinet ad diadema, quia prorsus est extra diadema, vt pictura palàm repræsentat; sed præponitur inscriptioni eo more solenni & antiquo; de quo lib. 2. de S. Cruce, cap. 19. fusius disserui. Scripturi enim quidpiam, crucem præpingebant; quod maximè elucet in titulis sepulchralibus & epitaphiis. Cui consuetudini se iste itidem conformans Crucem inscriptioni præmisit in hunc modum. ✠ CONSTANTINVS IN XPO DEO FIDELIS IMPERATOR ET MODERATOR ROMANORVM AVGVSTVS. Sic in parte auersa eiusdem nummi crux præponitur inscriptioni. ✠ MIHI ABSIT, &c.

Pergit interpres. *Equi Thraciꝫ & generosi ornatus simplex est, frenum, antilena, & sella, & postilena, absque phaleris, sed totus margaritis squalens, quod soli Imperatori competebat, &c. Frenum absque margaritis est, quippe rubricatum* Hæc ille de hoc numismate. De cuius tamen fide, vt de illo Heraclea

no æquè magno non desunt, qui dubitent; vt testatur ipsemet interpres & editor numismatis: ex quorum numero Abraham Ortelius, cuius hæc verba. *Audacter dicere audeo, eum integrè non ex antiquo originem habere: à parte equitantis pro antiquo agnosco. Partem auersam autem cum cruce non item. Illam appositam à funditore quodam iudico. Esse hanc partem alterius & recentioris æui, indicat pictura genius, literarumq́ forma.*

Verùm non immeritò miretur quis hoc viri docti & orthodoxi iudicium. Quæso an non mos vetus est, & à Constantini sæculo repetitus, Crucem addere numismatis? An non & prior nummi pars recentior censeri debet, si crux recentioris æui nota? quia & in priore parte gemina Crux apparet; altera inscriptioni præfixa; altera ex collo Constantini dependens? An ideo noua pars auersa, quod Cruci substernatur Draco geminus, Crucis potentia depressus? At species ista repræsentatur nobis in nummis Constantini Magni, & Maioriani, de quorum sinceritate nemo vnquam dubitauit. Nec alia est litterarum forma in parte anteriore, quàm in posteriore; sed eadem prorsus, quod inspicienti manifestum fiet. Iam verò picturæ genius tam dissimilis non est ab antiquo; & à forma partis prioris; quo minus, si aliud non obstaret; inter veterum numismata iure reputari posset. Nam in singulis propemodum nummis apparent figuræ quædam, etiam muliebres. Quod si his minores, quid refert, cum magnitudini numismatis respondere debeat magnitudo figurarum? Nec emblemata & alia florum genera penitus sunt à veteri æuo aliena, vt fatebitur, qui propius veterum statuarum, picturarum, & numismatum formas inspexerit.

Alius ab eiusdem Constantiniani numismatis expositore citatus reiicit non modò hunc Constantini nummum, tanquam spurium & suppositititium; sed etiam alium eiusdem fermè magnitudinis, Heraclij Imperatoris, de quo suprà: *Nihil*, inquit, *antiquum in his nummis videtur, neque vestitus, neque corona, neque equorum ornatus, neque literarum figura, neque inscriptiones. Et stapes in equo Constantini nuper esse fictum satis indicat, & quidem ab homine non satis cauto.* Verum hæc & similia probant nummum hunc non esse ab æuo Constantini illius Magni; aut alterius à nostris temporibus remotioris; sed quod non sit Imperatoris ætati nostræ propinquioris, siue is vltimus ille Constantinus fuerit, sub quo Constantinopolis amissa, siue quis alius ex tot antecessoribus Constantinis, id profectò seu *stapedes* seu *stapia* non impedirent; vti nec inscriptio partim Græca, partim Latina, (in nummo quidem Heraclij) nec forma characterum, nec aliud eorum, quæ in illo nummo visuntur. Nam imperatoribus Græcis stapedes erant in vsu, cla-

rum

Curopal. lib. de off. Aulæ Constantinop. rum id ex Curopalata, qui *scalas* nominat. Loquẽs enim de apparatu equestri eius, qui in Aula Constantinopolitana vocabatur Despota; sic ait. αἱ δὲ σκάλαι, οἷαι καὶ βασιλικαί. *Stapedes, quales Imperatoriũ.* Alibi de Protocynego seu Venatorum Magistro. τοῦ βασιλέως τὸν ἵππον ἀναβαίνοντος, οὐδεὶς ἕτερος τὴν σκάλαν κατέχει, εἰ μὴ μόνος οὗτος, εἰ παρὼν εὑρίσκεται. *Quando Imperator equum ascendit, nullus alius stapedem tenet præter istum, si adsit.*

Ex eodem Curopalata liquet τὸ κοπεστύριον, siue postilenam equi Imperatorij gemmis & margaritis fuisse ornatam: Nam de Despota agens ait, ὑ μλὼ καὶ μετὰ μαργάρων τὸ κοπεστύριον. *Caret margaritis postilena*, in quo ab Imperatore diuersum statuit. Olim quidem interdicto Imp. in Iuris libros relato *nulli licebat in frenis & equestribus sellis & baltheis margaritas, & smaragdos & hyacinthos aptare*; quia ornamenta hæc solius Imperatoris erant. Sed posterior ætas mutauit. Quare de Despota hæc Codinus. ἡ σέλλα τοῦ ἵππου αὐτοῦ διβολέα ὀπισθόντως μετὰ ἀετῶν μαργαριταρένων ἔμπροσθέν τε καὶ ὄπισθεν. *Sella equi ante & retro aquilis ex margaritis confectis, constat.*

Nec habitus imperatoris abit ab eo, quem Codinus nobis passim describit; & imagines Imperatorum Constantinopolitanorum apud Gregoram repræsentant. Corona talis est, qualem iam suo loco Codino diximus esse; etsi ne vetusti quidem illi coronis radiatis penitus caruerunt; Inscriptio similiter, vt & crux, nihil hesternę nouitatis sapiunt. Quid enim Græcis vsitatius, quàm Crucis vsus in diadematis, in vestibus, alibi? Manu crucem gestarunt æquè ac sceptrum. Quid mirum, si & ex collo, vt hæc pictura spectãtium oculis subiicit. Vestes crucibus refertas induerunt; quid mirum, si & ex collo suspẽderunt? Quid mirum si crucem non semel, sed sæpius in eodem nummo addiderunt, qui cruci omnia in acceptis retulerũt? Iam verò formæ literarum, ecquid tandem præ se ferunt, quod adeò sit nouitium ac nuperum? Scilicet, vt quidam inspectis duntaxat equorum dentibus, è vestigio pronunciant de annis; ita & isti inspectis tantummodò numismatis, statim norũt, quo seculo cusa sint. Apud me dubitatiò nulla est, numisma Constantini, esse vel alicuius ex illis Constantinis, qui paulò ante, vel post annum Domini millesimum in oriente imperarunt. Idemque sentio de numismate Heraclij, vt enim non sit ipsa Heraclij ætate natum, nostrum tamen æuum supergredi, & in honorem, ac memoriam Crucis ab Heraclio ex Persia reportatę percussum esse, nihil ambigo: quod mihi satis ad perpetuum crucis cultum demonstrandum, & defendendum: nam quid mulieres vtrinque in nummi Constantiniani auersa parte asidentes significent; quid item palmæ folia & palmites seu deni ramusculi, quibus vestitur.

tur crux, & circundatur, Interpreti exponendum relinquo. Mihi fit probabile figuram illam, habitu decenti & matronali spectabilem, & in crucis decora intentam, nihil aliud significare, quàm Catholicam & orthodoxam Ecclesiam, nimirum Crucis Christi amatricem, cultricem, & adoratricem; illam autem alteram impudicam, pube tenus nudam, vultu à cruce auersam, typum gerere hæreseos, Lutheranæ & præsertim Caluinianæ, quæ imaginem Crucis auersatur, & vndecunque potest, exterminat: penes quam si in crucem plena potestas esset; iam nō modò ex omnibus nummis, sed & ex omnibus templis profligata fuisset.

CAPVT XXIV.

De eodem Constantiniano nummo, & de alio Ioannis Palæologi.



HIs hunc in modum chartæ mandatis allata est mihi secunda huius Constantiniani nummi expositio ex Caluiniani Expositoris officina æquè ac prior profecta. Ait iste, more suo, confidenter, & thrasonismis turgidus, *sibi constare recentissimā nummi conflaturam esse, formas autē incusas & veteres esse, & ex aliquo vetusto libro, aut pictura alicuius Ecclesiæ desumptas.* Sed quis ille liber, quæ illa pictura, vnde formæ istæ petitæ? Num interfuisti, cùm inde sumerentur, & ad numisma transferrentur? suspicari quis posset te interfuisse, quandoquidem tam certò asseueras: sed quia quibusdā insitum est ęquè id affirmare, quod nesciunt, quàm quod sciunt; ideo nos assensum suspendemus, nec ob huiuscemodi asseuerationes ad istius sententiam inclinabimus. Quæ verò indicia recentissimæ illius conflaturę? Nimirum numeri illi, 234. 235. qui *ante trecentos, ac paulò plures annos ab Arabibus ad nos transierunt; ac primo quidem dissimiles his nostris hodiernis; postea memoria proauorum hac forma interpolati, qua hodie nobis in vsu est.* Et hîc multa dici, pauca vel potius nihil probari video. Nam primò dubitari potest, num verum sit, quod de transitu & interpolatione numerorum adfert: Illud item in quæstionem vocare licet, an apud Græcos formæ istæ numerorum non fuerint in vsu? Etsi enim Græci, qua Græci, suos habent characteres, quibus numeros designant, certum tamen est, iam ante aliquot sæcula & linguam & characteres Latinorum in Græciam ita penetrasse; vt plurimi Gręcorum Latinè docti essent; latinamque linguam & numeros vsurparent; sicut & hodie multi Latinorum vsurpant linguam & numeros Gręcorum. Nec Imperatores Constātinopolitani Græcos duntaxat, sed & quos-

dam Latinos subditos habebant. Nec insolens videri debet adhibitos esse numeros Latinos; cùm vtrinque adhibitæ sint inscriptiones Latinæ. Et vt numeri isti recentissimi essent, non sequeretur tamen ipsam quoq; numismatis conflaturam recentissimam esse. fieri enim potuit, vt à pensitatore aliquo longè post nummum cusum, aut flatum verius, imprimerentur siue insculperentur, quod nummus corã conspectus certius confirmare posset. Et si quidem Prototypon aureum esse constaret; non videre cur hæc coniectura, cuiusdam amici mei, talium perquam docti, damnanda foret. Credere enim absque temeritate liceret, notas istas ab illis insculptas, qui cum aureum numisma bis appendissent, semel aureorum 234. iterum 235. pondus deprehenderant, quod pro tanta magnitudine à verò alienum censeri non debet: & tantilla differentia facile ex diuersitate aureorum, ad quos nummus expensus, caussam trahere potuit Sed hęc obiter; quia quandocunq; nummus cusus sit; nobis satis est, quòd crucis gloriam ac venerationem testatur; & iste ipse, qui *conflaturam* nummi recentissimam esse contendit, haud grauatè dat formam nummi à parte auersa, planè vetustam esse. vetustus ergo mos pingendi crucem & insculpendi numismatibus, quod profectò non nisi honorandæ crucis gratia factum.

Sed iuuat audire ipsa expositoris verba, vt expendantur, quam vero concinant. Ait ergo. *Priusquã ad explicationem aggrediamur sciendum apud veteres Christianos, symbola μυστικὰ, alia atq; alia fuisse pro ratione temporum ac diuersitate nationum. Ratio temporum primùm nullam formam humani vultus, sed aliarum rerum admittebat.* (Falsum & Caluinianum; Testis pastor Tertulliani in calicibus ouem perditam ad gregem humeris reportans, humana vtique specie expressus. Testis imago Saluatoris ab Hæmorrhoissa in memoriam accepti beneficij apud Paneadem erecta, de qua Eusebius, qui eam se vidisse scribit, Sozomenus, Damascenus, & alij veterum. Testis imago, quam Christus ipse linteo faciei suæ admoto fecit, teste Euagrio, Damasceno, Metaphraste, & tota Constantinopolitana Ecclesia diem festum agere solita translatæ huius imaginis ex Edessa Constantinopolim. Testes imagines, quas à D. Luca pictas scribit Theodorus Lector, Nicephorus, Metaphrastes, & alij. Testes imagines Apostolorum, quas passim pingi consueuisse, & antiquissimas à se visas esse, scriptum reliquit Eusebius. Vt & D. Augustinus, qui nominatim mentionem facit de imaginibus sanctorum Petri & Pauli, & in medio illarum imagine Christi. Testes tot imagines Christi & Sanctorum, quas Constantinus Magnus Imperator in Basilicis à se erectis collocauit; de quibus Anastasius Bibliothecarius

thecarius in historia Pontificum. Testis imago Abrahę filium immolantis, de qua S. Ephræm, Gregorius Nyssenus, alij. Testes denique innumeræ aliæ cœlitum imagines, Constantini æuo; & eo, quod paulò post subsecutum est, vsitatæ, de quibus S. Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, cæteri eiusdem ætatis Patres atque Doctores.) *Postea etiam humanæ formæ admissæ sunt.* (imò non postea, sed primo ortu conditæ religionis Christianæ, vt iam ostensum) *Nationes orientales alia habuerunt, alia occidētis Ecclesia* (falsum, generatim loquendo: eadem enim sæpe tam orienti, quàm occidenti; etiam quoad emblemata & parerga; nam quod ad ipsum, vt sic dicam, symbolorum substantiam attinet, eadem prorsus vtrique Ecclesiæ fuere. Vtraque enim faciebat imagines Christi, Deiparæ, Apostolorum, Martyrum; & similium: Et nummi tam in oriente, quàm in occidente cusi, eadem frequenter referunt symbola: vt notum omnibus, qui veteres nummos inspexerunt.)

Occidentalibus Ecclesiis nullum symbolum fuit sine cruce; vt neque orientalibus. (Nec hoc vniuersim verum: Quot symbola sacra, quot imagines variis in locis statuit Constantinus Magnus absque cruce? Certè imago Abrahę filium Isaac sacrificare parantis sacrum symbolum erat, & tamen cruce carebat. At faciamus verum esse, quod tradit Expositor, quid aliud inde colligitur, quàm cultum Crucis perquam solennem veteribus fuisse?)

In occidentali Ecclesia Crux statuebatur, minio lita. (non semper, sed aliquando) *vt Christi fusum sanguinem designaret. Cacumen Crucis corona cingebat, cum purpureis lemniscis, adiuncta etiam palma.* (Non semper, sed interdum. non enim omnes cruces coronatæ, sed quædam; cur tu ex crucibus, quibus S. Paulinus suam Basilicam ornauit, argumentaris ad illas; quasi eiusdem penitus formæ fuerint? Quot Cruces passim erexit Constantinus, in quibus nihil de minio nihil de *purpureis lemniscis*, aut *palma*. Cur ex particulari facto S. Paulini mos vniuersalis concluditur. Nam licet iste dissimulet, solito more, vnde, quę hoc loco tanquam oracula quædam effundit, desumpserit, aliunde tamen non desumpsit, quàm ex S. Paulino. Verùm de Crucibus coronatis satis actum est lib. 2. de S. Cruce.)

Hoc simplex ab initio erat stēma Crucis (Apud te, sed nō apud nos, multoq; minus apud veteres orthodoxos Christianos.) *Adiectū postea Trinitatis mysterium, post debellatū impium Arij dogma.* (Quid sibi vult hoc? *post debellatum impij Arij dogma.* An post damnatum in Concilio Nicęno? At vnde scis ante synodū Nicęnā cruci Trinitatis mysterium non fuisse adiunctū? An illud: *Post debellatū impium Arij dogma*, idē est, q̄ *post exstinctū impium Arij dogma.* Atqui tēpore Paulini, qui solus disertè exemplū

additæ ad Crucem Trinitatis nobis suppeditat, impium Arij dogma necdum exstinctum erat; imò multis in locis magna animarum strage sæuiebat.) ℟. *Patrem Deum designabant verba ex rutila nube erumpentia.* HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS. *Filius Deus Agni, Spiritus sanctus Deus columbæ specie significabatur.* (In crucibus illis Paulinianis, non in omnibus.) *Alij* (Imò ipse Paulinus, in illa ipsa Cruce, cui mysterium Trinitatis addiderat) *etiam alia parerga apponebant: XII. columbas, quibus Apostolos volebant intelligi. Quatuor flumina ex rupe manantia. Rupes seu Petra est Christus; fluenta, quatuor Euangelistæ, aut Euangelia ipsa.* Sed vt omnes videant, ex quo nam fonte hæc tam abdita iste promat, & quàm peritè ex particulari facto S. Paulini, colligat, Crucis imagines non fuisse aliter, quàm hoc modo factas, ipsos S. Paulini versus adscribere placet, ex duodecima eius ad Seuerum Epistola.

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus Agno vox patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo.
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.
Pia Trinitatis vnitas Christo coit,
Habente in ipsa Trinitate insignia.
Deum reuelat vox paterna & spiritus.
Sanctam fatentur Crux & Agnus victimam.
Regnum & triumphum purpura & palmæ indicant.
Petram superstat ipse Petra Ecclesiæ.
De qua sonori (sic leg. non, honori) *quatuor fontes meant.*
Euangelistæ viua Christi flumina.

Hic nimirum fons est, ex quo iste hanc tam reconditam sapientiam nobis propinat: quasi scilicet Crux nunquam aliter picta, sculpta aut generatim facta fuerit; nisi ad eam formam, quam nobis S. Paulini versus repræsentant: quod plusquam commentitium est, & toti antiquitati aduersum. Nec rectè interpretatur versum illum: *Petram superstat ipse Petra Ecclesiæ:* per illa verba: *Rupes seu Petra est Christus.* nam S. Paulinis dicit ipsum Christū (tametsi specie Agni) stare *super Petram:* non igitur Petra illa ipsum Christum denotat, nisi versum S. Paulini ridiculè hoc sensu accipias, *Ipse*, Christus scilicet, *qui est Petra Ecclesiæ; stat super Petram*, idest, *super Christum*; seu *super seipsum*. Oportet igitur vt Petræ huius, super quam petra Christus stetit, aliam significationem Expositor nobis depromat.) *Hæc erant symbola simplicissima illorum temporum,*

porum, cùm formas rerum, aut animalium, non autem humanas auderent pingere: nam ancboram, nauem, piscem, columbam sculpebant, aut pingebant; hominem non item (omnia hæc vana sunt & in Caluini pectore nata. Aetas, qua Crux modo supra dicto picta & expressa, fuit ætas S. Paulini. nam ex versibus S. Paulini malè intellectis obtrudere nobis vult sua somnia, licet S. Paulinum vix semel nominet; ætate autem S. Paulini humanas formas pingere, vsitatissimum fuit: vt plurimis exemplis docet Card. Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 9. & 10. Et tempore S. Paulini ipse Paulinus depictus est curante Seuero, eiusque pictura vnà cum imagine S. Martini in templo posita; qua de re ipse Paulinus ad Seuerum; rogatque vt hos versus adscribendos curet.

Adstat Martinus perfectæ regula vitæ,
Paulinus veniam, quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati.
Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

Idem Paulinus Natali Decimo S. Felicis, testatur ternas fores Basilicæ S. Felicis picturis egregiè fuisse exornatas. At qualibus; Audi, & istorum audacem in asserendo vanitatem aspernare.

Trinaq; cancellis currentibus ostia pandunt.
Martyribus mediam pictis pia nomina signant.

En pictos Martyres; adscriptis singulorum nominibus.

Quos par in vario redimiuit gloria sexu.
At geminas, quæ sunt dextra læuaq; patentes,
Binis historiis ornat pictura fidelis,
Vnam sanctorum complent sacra gesta virorum
Iob qui vulneribus tentatus, lumine Tobit.
Ast aliam sexus minor obtinet: inclyta Iudith,
Qua simul & regina potens depingitur Esther.

Similia plura in eodem Natali occurrunt. Et tamen iste scribere audet, eo tempore, quo Crucem pingebant specie à S. Paulino descripta; Christianos non fuisse ausos humanas formas pingere; cùm ipse Paulinus, qui solus, quod ex veterum monumentis compertum sit, crucem eo schemate figurauit, humanas itidem formas in templo S. Felicis pinxerit: integrisque historiis antiqui ac noui Testamenti parietes Basilicæ oppleuerit. Quare cohortans omnes vt læti templum subeant sic canit.

Spatiemur in ipsis.
Gaudentes spatiis, sanctasq; feramur in aulas,
Miremurq; sacras veterum monumenta figuras.
Et tribus in spatiis duo Testamenta legamus.

Nimirum, quia historiæ veteris ac noui testamenti in parietibus depictæ erant. In nummis Constantini Magni in quibus Crux; itemque Constantij, & aliorum, nonne formæ humanæ apparent; partim ipsorum Imperatorum; partim Victoriæ; partim militum, vel captiuorum?

Confirmat tandem deliramentum suum dicto Clementis Alexandrini. *οὐ γὰρ εἰδώλων προσόντα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται.* *Formæ idolorum exprimenda non sunt; quibus & attendere interdictum.* At quid hoc ad formas humanas seu imagines Sanctorum? Aliud est idolum: aliud imago; aliud forma idoli; aliud forma imaginis, aut hominis sancti.

Pergit, *In auersa nummi parte duæ mulieres sunt. ex quo apparet symbolum non esse vetustissimorum temporum.* (Nihil minus; nam si nullum aliud argumentum vetustatem impediret, hoc certè non impediret. nam humanas formas effigiare vetustissimis temporibus vsitatum nouimus, quidquid iste imaginum hostis contrà effutiat:) *Assident solio vtrinque opposita femina duæ in sellis, anus stolata, & puella nuda. Anus est fides: puella spes.* (Longè aliter alter interpres. *Matrona sedens ad dextram,* inquit, *stola prætextata, & capitis velamine religiosius quiddam præferes, vultu in Crucem conuerso, Dominam Helenam Constantini Magni matrem dubio procul repræsentat. Altera, quæ ad læuam, Venerem exprimit; quia nuda Venus, nudi pinguntur amores.* Ecce quàm probè concinant: Alteri, dextra mulier fides est; alteri Helena. Sinistra alteri spes; alteri *Venus*: nisi fortè Caluinistarum spes Venus est. Alteri videtur matrona stolata, hoc est, Helena, nudam illam, hoc est, Venerem, quasi *increpare, execrari* & *abigere*. Alter ait, *nudam illam cum muliere stolata iure coniungi; quia spes cum fide meritò iungitur. nam altera non est sine altera.* Alteri mulier dextra *Crucem adspicit, & quadam velut ansa tenere videtur:* Læua verò *vultum inde auersa, columbas duas, aues nimirum Veneri sacras, filo colligatas, quasi lusitans tractat, catellũ suppedaneum habens.* Longè aliter alter expositor. *Spes,* inquit, *puellari specie est; quia semper viget: & nuda, quia omnibus terrenis renũcians expedita tendit ad cælum, πᾶσαν τὴν περισπῶσαν ὕλην, vt loquitur Clemens ὑπερηφανήσασα. Ideo auersantis habitu est, & canem, tanquam omnes blanditias sæculi calcantis, aut omnes adlatrationes hostium Christianæ pietatis. Ideo quemadmodum canem calcat, sic colludit cum columba, quam manu dextra prehendit, simplicitatem vnicam sibi cordi esse demonstrans.*

Species volucrum, quam ponè sellas vtriusque mulieris adstant existimat alter esse columbas; alter aquilas: etsi auem illam, quam nuda mulier manu tenet, vterq; dicit esse columbas, sed ob caussam diuersam: alter, vt significetur *Venus*: alter, vt indicetur illud Domini:

Estote

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: nam subter Crucem geminus serpens conspicitur.& alius adhuc sub leone.

Alter decem illos ramos ex Crucis stipite prominentes ait esse *duodecim Apostolos;* & si quæras; quomodo decem sint duodecim: Respondet, *duos aut per obliuionem à glypte seu sculptore omissos: nisi quis,* inquit, *retro siue in altero latere duos latere velit.* At alter ait; *stipitem cum decem illis ramis esse lilium illud conuallium, de quo in Canticis; & decadem perfectionis numerum interpretatur ex Origene.* Icunculam duos serpentes apprehendentem putat alter esse *Amphitryoniadem* puerum, hoc est, *Herculem: & merum cali seu sculptoris lusum. Nec quærendum, quid sibi velit.* Alter verò *allusum putat ad vaticinium quoddam* Isaiæ, de quo paulò pòst.

Denique quàm bellè illis conueniat in huius symboli explicatione, lector ipse vtriusque Diatribas legens, iudicium ferat:& tamen cùm ambo omnia dixissent, nihil dixerunt; quod ad Crucis gloriam & venerationem illustrandam & asserẽdam faceret, cuius gratia potissimum hoc numisma cusum fuit. Nihil aliud enim hoc schemate indicare voluit Auctor huius nummi, quàm vim Crucis Christi; *Crucis,* inquam illius *materialis,* in qua Christus passus est ac mortuus; itemque illius, quæ ad imitationem huius efformatur siue in materia stabili; vt in ligno, auro, argento, ære; siue in fluxa; vt cum signum Crucis in aëre dextrâ pingimus. Est enim hæc Crux, tanquam lignum, quod *plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dat in tempore suo; cuius folium nunquam defluit. Et erit quasi lignum,* inquit Hieremias, *quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus: Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Psal.1. Hier.17.

Quare non vna, sed quaternis fistulis ex cacumine in labrum subiectum ad radices aquam fundit, quæ reciproco fluxu more aquarum cœlestium fluunt & refluunt; semper Crucis stipite viridãte; fructusque optatissimos proferente. Imitantur lymphæ istæ fluuium illum aquæ viuæ, *splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Quæ sedes Agni, nisi crux? non quidem sola; sed tamen vna ex sedium numero; nec infima. Imitatur etiam lignum crucis lignum illud vitæ afferens *fructus duodecim, per menses singulos reddens fructus suos, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Et ne tam salutifer humor absque emolumento effundatur; gemino *folio* seu *conceptaculo* recipitur; vt si qui sitiunt, ad hunc fontem ex sanctæ Crucis ligno indesinenter scaturientem sese recipiant. Huc enim pertinet illa spiritus & sponsæ inuitatio. *Veni. Et qui audit dicat. Veni. Et qui sitit veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Nec est, quod quem geminus vel ter geminus ser- Apocal.22. Apocal.22.

pens

pens absterreat. En sub cruce deuictus iacet: vi crucifixi, & ipsius itidem Crucis, tanquam organi, quod crucifixus vsurpauit, contritus est, ita vt, crucis beneficio, iam impleta sit illa promissio. *Super aspidem & basilicum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Quare sub cruce leo itidem & draco. Nec dubito in efformatione huius symboli auctorem respexisse ad citatum Dauidis locum. Nam supra maius labrum seu solium *aspis* est & *vipera*. Infra *leo* & *draco*. In medio viperæ & aspidis icuncula apparet, manu vtrunque serpentem apprehendens; forsan intuitu loci illius apud Isaiam. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.*

Isaia 11.

S. Athan. in Vita S. Antonij.

Crucifixum nominamus, inquit S. Antonius, *& vniuersi Dæmones rugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ Crucis signum fugantur. Solent* Dæmones, inquit ille idem S. Eremita; *faucij grauius assurgere & mutata arte pugnandi; cum cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, assumētes nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentium formas, nec non ingentia quadam corpora, & vsque ad tectum domus porrectum caput, infinitas species, & militum cateruas. Quæ omnia ad primum quoque Crucis signum euanescunt.*

De eodem dracone idem S. Antonius. *Si non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia, & tam infinita promittens, hamo crucis vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum, & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur? Nunc miserabilis, vt passer, ad ludendum à Christo irretitus est, calcaneo Christianorum irretitus gemit. Adueniente domino, destructus est inimicus, & omne penitus eius robur elanguit. Propter quod pristinæ virtutis memor, quasi tyrannus iam senescens cùm se ruisse videat, in perniciem grassatur humanam, nec tamen potest firmum Deo pectus cogitationum & cæterarum arte fraudum cogitatione peruertere.* Idem. *Nouit teterrimus coluber ex præcepto Domini sub iustorum se iacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Hæc S. Antonius de dracone virtute crucis domito.

Mulieres ad crucem assidentes, quid innuunt, nisi quod eam frequenti concursu ad crucem eiusque salutares fructus facto, obtemperatum sit illi diuino apud Isaiam monito. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Quibus verbis omnes inuitantur ad beneficia crucis percipienda; boni quidem, vt meliores; mali; vt efficiantur probi.

Isai. 55.

Quid volucres illæ ponè vtriusq; fœminæ sedes; quid seu columba; seu quid aliud in manu illius seminudæ figuræ, quid catellus, si tamē catellus, sub pedibus, id μυστικῶς, quam ego sim, inquirant.

Finem

Finem hîc de hoc nummo facio; & ad alterum Ioannis Palæologi Imperatoris Constãtinopolitani eiusdem magnitudinis me recipio, etsi formis non lubuit exprimere. Parte anteriore cernitur Imperatoris imago ad præcordia vsq; effigiata, prolixè capillata, & barbata, modicè tamen, & pileata; sed noua forma pilei, cum hac inscriptione. ✠ Ἰωάννης βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ ῥωμαίων ὁ παλαιολόγος. A tergo legitur hæc epigraphe Græca: ἔργον τοῦ πισάνου ζωγράφου. *Et supernè Latina. Opus Pisani Pictoris.* Imperator Palæologus Ioannes equo insidens complicatis manibus adorat crucem in vertice columnæ cuiusdam stantẽ. Adest & alius eques, vultu ad crucem reuerso.

Figuræ huius mysterium pandit nobis Georgius Codinus Curopalata his verbis. κατὰ μὲν τὴν πρώτην τοῦ σεπτεμβρίου ὁ πατριάρχης μετὰ λιτανείας καὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων εἰς τὸν πορφυροῦν κίονα παραγινόμενος, ἐφ' οὗ ὁ σταυρὸς ἵσταται, ὃ πάλαι φόρος ἐκαλεῖτο. ἀπέρχεται ὁ βασιλεὺς καὶ ἀκούει τὴν κατ' ἔθος ἐκεῖσε ἐκτελουμένην ἀκολουθίαν, μετὰ δὲ τὴν ἀπόλυσιν ἀπέρχεται αὖθις εἰς τὸ παλάτιον. *Primo die Septembris Patriarcha supplicationem cum sacris imaginibus instituit ad porphyreticam seu purpuream columnam, in cuius vertice stat crux, eo in loco, qui olim vocabatur Forum. Quo se etiam Imperator confert; & ibi officio istbic peragi consueto interest. Quo absoluto redit ad palatium.* Hæc consuetudo seu solennitas auerso schemate huius numismatis indicari videtur; nisi quis dicat; Imperatoribus vsu receptum fuisse, vt quoties ad columnam illam crucigeram venirent, preces, supplicantium ritu, funderent. Auctor Pisanus poterat nomen suum reticere: quia nihil in nummo, præter testimonium cultæ crucis, quod laudem admodum mereatur. Adiecit tamẽ, ratus forsan precium non tam ex arte, quàm ex mente sua æstimatum iri. Negotiabantur olim Constãtinopoli plurimi *Pisanorum*, vt & Genuensium, Venetorum, Anconitanorum: quod ex Codino liquet; & Pisanorum quidem præses vocatur à Codino κόνσουλος, à Latina voce; vt & Anconitanorum, Genuensium: ποτεστάτος: Venetorum, *Baiulus*.

CAPVT XXVII.

De nummis Constantini, & Theophili, & Basilij Macedonis Imperatorum.

CVIVS Constantini sit iste nummus, quem hîc vides, incompertum habeo.



Exſtant ſeptem alij huius generis & formæ in Bauarico Theſaurophylacio. Similis item depictus eſt ab Antonio Auguſtino Dialogo primo. niſi quod apud Auguſt. alterius partis inſcriptio ita habet. ✠ BASILE CONSTANTIN. In noſtro autem. CONSTANTINVS BAS. AVG. In noſtro etiam duæ illæ figuræ duplicem Crucem ferunt; apud Auguſtinum duntaxat ſimplicem. In noſtro omittitur Crux ✠, præmiſſa inſcriptioni alterius partis, quæ tamen in vtraque parte nummi apud Auguſtinum apparet; ſicut & in altera noſtri. Quod ſi Conſtãtinus iſte, quiſquis fuit, antiquior fuit Ioanne Zimiſce; tum multò magis dubitabimus. de quo iam ſæpius dubitatio ſubiit, num verum ſit, quod Ioannes Curopalata ſcribit; Zimiſcem fuiſſe primum, qui Saluatoris imaginem numiſmatis adiecerit. Nam in hoc noſtro, & in illo Auguſtini Saluatoris imago expreſſè eſt poſita; vt & in tribus aliis, quos idem Auguſtinus adfert; quorum vnus parte anteriore Saluatoris imaginem habet his literis adſcriptis IC XC, quod eſt, *Ieſus Chriſtus*. In parte poſteriore Crucem cum his literis IC XC NI KA.



Alius habet imaginem Saluatoris. Inſcriptio eſt. ✠ EMMA. IC XC. Emmanuel. *Ieſus Chriſtus.* A tergo. ✠ IhSVS XRISTVS BASILET BASILE- -Alius habet imaginem Saluatoris ſedentis in gemmato ſedili. Inſcriptio. IX XC. A tergo IS XS BASIL. BASIL. quem hîc vides.



ISXS BASIL BASIL.

Vtrum autem hæc tria numiſmata ſint Ioanne Zimiſce antiquiora, vel poſteriora, vel num illa ipſa, quæ Zimiſces fieri iuſsit, incertum eſt, cùm nullum adſit indicium, ex quo id colligi queat. Porrò imaginem Saluatoris, imò & D. Virginis, numiſmatis addi ſolitam fuiſſe, planum quoque fit ex Balſamone Comment. in Nomocanonem Photj, vbi negat ſacrilegium ab illo committi, *qui furatur numiſmata Chriſti, vel Deiparæ Virginis imaginem habentia.*

His ſcriptis reperi nummum Conſtantini (de quo nobis hîc ſermo natus eſt) apud Cardinalem Baronium; qui putat pertinere ad Baſilium *Baron. tom. 10. anno Chriſti DCCCC. LXXV.*

Basilium & Constantinum Romani Iunioris filios, qui mortuo Ioanne Zimisce imperium adepti sunt anno Christi DCCCC. LXXV. Quæ sententia probatur ex gemina figura, gemini Imperatoris indice, & ex inscriptione: nam illud *βασ.* in nostro nummo non *βασιλία*, sed *Basilium* significat. Rectius etiam apud Baronium & Augustinum *Basilius* præponitur, quàm in nostro *Constantinus*: cùm Basilius natu maior fuerit; annum enim agebat vigesimum, quando imperare cœpit: Constantinus autem decimum septimum.

Veniamus iam ad Theophilum filium Michaëlis Balbi, qui patri in imperio successit, anno salutis DCCC. XXIX. Eius reperiuntur aliqua numismata crucigera. Quod mirum videri posset, cùm fuerit acerrimus Iconoclasta. Verùm alibi iam dixi non omnes iconoclastas, Crucem eiusque cultum auersatos esse, & quod ad hoc caput attinet, Caluinistis nostris; imò & Lutheranis, meliores censeri debere. Nam Iconomachi isti Crucem non modò retinebant, sed & colebant & adorabant: Quorum consuetudine inductus S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui tempore Iconomachorum Principum viuebat, decem capita conscripsit, (quæ nuper in lucem prolata sunt) quibus perspicuè ostendit ab illis, qui Crucem honorant, imagines itidem honorandas esse, si constare sibi velint, imò potius imagines, quàm Crucem.

Caput postremum est istud. *Videmus in multis locis crucifixionem Christi in imagine depictam, & vt conuenientia rei poscit, sicut acta est, videmus Christum pendere, & manus extensas, ac clauis confixas, quibus salutaris passio Christi omnibus miraculis admirabilior, & cæteris, quibus salui facti sumus, beatior depingitur nobis. Quid igitur inimici Crucis Christi hîc facient? Necesse est alterum è duobus facere, aut adorantes Crucem imaginem adorare, nisi malint frustrari professionem suam, aut demolientes imaginem, simul Crucem demoliri.* Hæc & plura talia in eandem sententiam Nicephorus Patriarcha, contra inconstantem sibique ipsi dissentaneam horum Iconoclastarum pietatem.

Licet autem Theophilus vehementissimus in oppugnatione sacrarum imaginum esset, iustitiæ tamen cultor perquā rigidus videri volebat. Et exstant apud Cedrenum, Zonaram, & alios memorabilia iustitiæ à Theophilo administratæ exempla. Et huc fortè alludit aut respicit nummus quidam Theophili, in cuius antica parte ipse conspicitur dextra Crucem; sinistrâ globum Cruciferum gestans: hac inscriptione ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΒΑΣΙΛΕ. In antica gladius apparet; symbolum vtique iustitiæ. Nummum ipsum non vidi, sed ectypon eius in charta percutiendo expressum, sed ita, vt auersæ partis inscriptio legi nequeat in ectypomate quidem meo. Sed

Sed en alia Theophili numiſmata crucibus plena,&,vt Græci vocant, πολυςαύρεια.



Vix vllius Imperatoris numiſmata tot crucibus, & tam diuerſi generis nitent. Mortuus eſt autem Theophilus anno Chriſti DCCC.XLII. relicto ſucceſſore filio ſuo Michaële, cum Theodora coniuge, orthodoxa, & pietati, quàm maximè dedita; cuius hoc exſtat apud Baronium crucibus inſignitum numiſma.



Vbi triplicem, vel potius quadruplicem ex parte anteriore Crucem conſpicis;& inter illas vnam præfixam inſcriptioni, quæ talis: ✠ *Theodora Deſpoina,* ſeu *Deſpœna,* Græcè *Δέσποινα*, idem hîc, quod *Auguſta*. Licet poſteriores Græci vt Deſpotam ab Auguſto, ita etiam Deſpœnam ab Auguſta diſtinxerint, vt ex Codino de Officiis Aulę Conſtantinopolitanæ clarum relinquitur. Ex parte auerſa vix pauciores habes cruces, cum imagine Michaëlis filij, & Theclæ filiæ. Nomen Michaëlis reuocat mihi in memoriam lepidum factum Balduini Comitis Edeſſani, quo à ſocero ſuo pecuniam emunxit.

Cùm enim fingeret ſe militibus barbam ſuam oppigneraſſe; ni ſtipendium ſolueret *(mos eſt autem orientalibus,* inquit Tyrius, *tam Græcis quàm aliis nationibus, barbas tota cura & ſolicitudine nutrire: probro verò &* Tyr. lib. 11. c. 11.

maiori, qua vnquam irrogari posset, ignominia reputare, si vel vnus pilus, quocunque casu, sibi de barba cum iniuria detrabatur) socer rei indignitate permotus, quæsiuit, *qua sit debiti summa: cui responsum est triginta millia Michaëlitarum; quoddam genus aureorum*, inquit Tyrius, *quod tunc in publicis commerciis erat celebre, à quodam Imperatore Constantinopolitano, qui eam monetam sua fecit insigniri imagine, à Michaële nomine sic nuncupatum.*

Vtrum autem ab isto Michaële, filio Theophili & Theodoræ, hæc moneta nomen habuerit, an ab alio, ex Tyrio mihi non liquet. Meminit eiusdem monetæ alibi Tyrius, vbi de lytro, quod Rex Balduinus pro liberatione sua pendere debebat: *Dicitur summa fuisse centum millia Michaëlitarum, quod moneta illa in regionibus illis, in publicis commerciis rerum venalium principatum tenebat.* De eadem moneta fortè accipiendus est Diaconus lib. 4. Cass. Chron. cap. 17. vbi dicit. *Imperator octo Michalatborũ libras nostra misit Ecclesia.* Nimirum, vt hodie moneta à Principibus, vel à loco, vel à figura impressa, sæpius nomen ducit, sic & olim fiebat. Hinc *Byzantij* seu *Byzantini* moneta celebris in oriente, cuius passim crebra mentio, præsertim apud Tyrium. *Apud modernos*, inquit Guntherus, *nummi aurei, qui Constantinopoli formari consueuerant, à nomine ipsius Vrbis Byzantij appellantur.*

Tyr. lib. 13, c. 15.

Reperitur aliud monetæ genus apud Tyrium lib. 18. belli sacri, cap. 22. vbi agit de Nepte Manuelis Imp. Constantinopolitani Regi Hierosolymitano in matrimonium data. *Dotis quantitas erat in centum millibus hyperorum, iusti ponderis.* Et capite 24. *Viginti duo millia hyperorum.* Vtroque loco loquitur de *Hyperpyris* moneta admodum vsitata in oriente; de qua plura in Notis & in Facula ad Curopalatã. Vt proinde vel apud Tyrium vtroque loco legendum sit *Hyperpyrorum*, vel dicendum, vocabulum huius monetæ fuisse à vulgo corruptum & truncatum, Tyriumque non integrum, sed truncatum cum vulgo vsurpasse. Eadem opera medicinam faciamus Gunthero nuper in lucem producto: qui in Historia captæ à Flandris & Venetis Constantinopoleos sic scribit. *Habebat enim* (Constantinopolis) *mille sexcentas piscatorias naues, quarum qualibet per totum annum ad quatuordecim dies fisco regio persoluebat nummum aureum, qui perperam vocari solet. Ferdoni, id est, quartæ parti Marcæ vnius æqualens.* Manuscriptus Codex Bibliothecæ Ingolstadiensis, ex quo typis descriptus est Guntherus, habebat. *Perpera.* Rectè. corruptè enim cum vulgo Græcorum, *Hyperpyron* appellauit *perpera* seu *perpyra.* Quis enim nescit, quomodo imperitum vulgus Græciæ Græca vocabula tractet ac dilaniet, in medio, ante, retro, & de genere in genus transformet? Sed hæc extra ordinem. Nunc ad lineam.

Poſt Michaëlem Theophili & Theodoræ filium, ſolus imperauit Baſilius Macedo, anno Chriſti DCCC.LXVII. qui ſequenti anno, nimirum DCCC. LXVIII. Conſtantinum filium ſuum ſibi collegam adſciuit, & tandem etiam Leonem Iuniorem filium anno DCCC. LXX. quorum trium hoc numiſma reperi apud Baronium.



Vbi Leo etſi iunior, primum, parens medium, Conſtantinus extremum locum obtinet. Cruces ſinguli in vertice gerunt: Crux etiam vtriuſque partis inſcriptioni præfigitur. A tergo parentis nomen primo, Conſtantini ſecundo, Leonis tertio loco ponitur. Concepta eſt inſcriptio partim Græcis partim Latinis literis, quæ ſi integris characteribus efformetur, ſic habet. ✠ *Baſilius, Conſtantinus, Leon* ἐν Θεῷ βασιλῆς ROMEON. (ῥωμαίων, *Romæorum.*)

CAPVT XXVIII.

De numiſmatis Crucigeris Caroli & Ludouici Impp. Arnoldi Regis, Aethiopico vt coniectura eſt, & Offa Regis Angliæ.





NEc Græci duntaxat numiſmata crucis ſigno exornarũt, ſed & alij Imperatores & Reges, quorum tria argentea, hîc ſpectanda propono, Caroli, opinor, Magni, Ludouici Pij, Arnolphi ſeu Arnulphi Regis illius, niſi fallor, qui anno

anno Domini DCCC. X C VI. à Formoso Papa Romæ Imperator inunctus est ac coronatus. Obseruanda est laurea in capite Caroli, quæ alioqui non valdè frequens apud Reges & Imperatores occidentis. Nec prætereunda crux, quæ inscriptioni præponitur: non enim pertinet ad lauream. Et in parte auersa triplicem quoque crucem intueris, ex quibus vna vicem litera C & H subit in epigraphe illa *Christiana religio*. quod etiam fit in nummo Ludouici. Cumque in Græcorum nummis inscriptio tendat à sinistra ad dextram, hîc è contrario à dextra ad sinistram ducitur, vt patebit consideranti, idque saltem in anteriore parte nummi.

Nec absterreor imberbi facie, quo minus effigiem primi numismatis Carolo Magno attribuam. Non enim audio illos, qui Carolo Magno barbam plusquã Menippeam appingunt, & affingunt: Quos refellunt picturæ Romæ repertæ; quas infra libro quinto in Paralipomenis testes produco. Repræsentant enim Carolum magnum Imperium à Leone III. accipientem, rara, & attonsa barba. Nec iniuria, censentur ectypomata illa operis vermiculati, ipso Caroli Magni & Leonis III. æuo effecta.

In auersa parte templa seu vestibula & frontispicia templorum conspicaris non sine crucibus in medio, & in vertice. Forsan etiam altera Crux in nummo Caroli templi fastigio imponenda erat.

Porrò cur in nummis & codicibus antiquis passim scribatur HLudouicus, HLotharius, dictu non est procliue. Non probo, *inquit* R. P. Ioannes Busæus Societatis nostræ Theologus, aspirationis notam illis nominibus præfixam, denotare Dominum, Germanis Herr dictum, cur enim aliis Regum Francorum nominibus, vt Pipini, Caroli, Carolomanni, &c. detracta est? Id magis probo, priscis Ethnicorum Regum CHLOTARII & CHLODOVEI (his enim literis ea expressa fuisse testari potest vel vnus hic MS. Codex epistolarum Hincmari) nominibus, cum abiecta per baptismum feritate mentis, mitiora successisse vocabula LOTHARII & LVDOVICI, ac primò quidem abiectam literam C. remansisse autem aliquandiu H, quòd cum adspiratione ex inueterato vsu illa nomina enunciarentur: tum verò, labentibus sæculis, sublato aspirandi vsu, excidisse tandem & H. Initium verò huius mutationis factum à temporibus CLODOVEI Francorum Regis, postquam à S. Remigio Remẽsi Episcopo sacris aquis perfusus est, vix ambigo. Nam Hincmarus noster Remensis item Antistes, in vita S. Remigij, Ludouicum appellat regem Francorum, quem ante baptismum vocauerat CLODOVEVM, quod & Surius I. Tomo de vitis Sanctorum ad marginem annotauit. Si quæras cur

Busæus not. in I. epist. Hincmari.

gemino.

gemino VV veteres nomen Ludouici expresserint, respondeo, quod olim pronunciaretur à Francis, vti nunc adhuc à Germanis Ludwig. Vitus Amerbachius in annotationibus ad Constitutiones pręcipuas Caroli Magni ad id probandum citat Codicem peruetustum, & perpetua memoria, vt ille loquitur, dignum, qui Ratisbonæ est in Monasterio S. Emmerani, in quo erat hoc tetrastichon.

Hic residet Carolus diuino munere cultus,
Ornat quem pietas & pietatis amor.
HLVDVVIC *iustus erat, quo Rex non iustior alter*
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.

Hæc Busæus. Habeo ex Bibliotheca S. Galli codicem M. S. qui VValafridi Strabi poëmata nuper edita complectitur, in eo, vt & in plerisque eiusdem Monasterij Codicibus, perpetuò scribitur HLVDOVVICVS.

Vidimus eiusdem Ludouici & Caroli duo alia Ectypomata, ex argenteis numismatis expressa & imitata; quorum alterum parte antica hanc præfert inscriptionem: KARLVS REX FR. Crux supra circulum. Et in circulo hæc literæ nomen Karoli denotantes,


R
K Λ/V S.
L

In parte postica, inscriptio, MOGVNTIA. Crux in circulo, & supra circulum Crux alia.

Alterius numismatis Epigraphe aduersa est hæc. HLVDOVVICVS. Crux in orbem inclusa, Crux supra orbem. Auersa; ista DOΞESTATVS: quod videtur ad imitationem Græci ἐνδοξότατος, gloriosissimus, effictum. Hæc duorum numismatum Ectypa misit ad nos Moguntia *R. P. Ioannes Brenneisen*, Societatis nostræ. Alium nummum argenteum nacti sumus, in cuius vna parte imago S. Stephani; in altera Crux. Vtrinque inscriptio. STEPHANVS. Vidimus etiam Ectypon nummi barbari argentei, in quo Crucis nota distinctè inter duas figuras stantes ab vtraque parte addita est inscriptio litteris peregrinis, quas quidā Aethiopicas suspicantur, facta collatione cum illis, quas Aethiopicas esse certò constat. Sanè Abassinos Aethiopas Crucis cultui admodum addictos esse, demonstrauimus li. 2. de S. Cruce. Quocirca mirum videri non debet, si pecuniam suam Crucis thropheo signent ac insigniant.

Alterius insuper ectypon habemus, in quo ab anteriore parte imago Regis Diademate cincta, cum harum litterarum adiectione: ЄB ÞH. A tergo Crux est, cum hac inscriptione. OTFFA REX. Ego

viso numismate, coniiciebam, litteras illas prioris partis contine-re nomen Ebæ sororis Offæ, de qua Polydorus lib. 4. rerum Anglicarum, quam suspicionem, cum ad eruditum quendam detulissem, in hæc verba rescripsit. De Eba, verum tibi fatebor, coniectura non arridet, neutra inquam, siue prænomen Offæ, siue sororis nomen esse; nec enim Britannos siue Anglos prænominibus vsos inuenio: nec verisimile est sororem nomẽ adscripsisse, ea præsertim nummi parte, quæ Regis caput præfert. Adde quod Eba, cuius Polydorus lib. 4. meminit, Offæ quidem soror fuit, sed si locum per transennam obiter inspectum rectè capio non Regis, quamuis Regis Ethelfredi filij. porrò Offæ, & quod idem opinione mea est, Vffę, inter Anglicos Reges fuêre aliquot; Ego nescio, quomodo nummum ad magnum illum Carolo Magno æqualem, pertinere suspicor. Litteras alterius partis, quas EBA referre mihi non liquebat, facilè ignorabiles esse patior, aut si inuestigare omnino placeat, coniiciam nomen ciuitatis alicuius Britanniæ referre, cuiusmodi exempla in Antonio Augustino de Hispanicis vrbibus multa habes. Hæc ille. Vtcunque se res habeat, nobis satis est, non modò Gręcanicis, sed & Gallicanis, & Anglicanis numismatis, (quorum specimina hoc capite protulimus) cultum & religionem Crucis adstrui; quibus addimus & hoc Ottonis Regis.



CAPVT XXIX.

Nummi Crucigeri Regum Gotthicorum & Hispanorum. Ex Dialogis Antonij Augustini.

MAGNVS omnino vir fuit hac nostra tempestate Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, & cùm omnium litterarum, tum antiquitatis scientissimus, & studiosissimus; qui inter cætera nobilis ingenij præclara monumenta, quæ ad posteros transmisit, edidit lingua Hispanica vndecim dialogos, de antiquis numismatis, omni eruditionis genere abundantes; quos in Italicam linguam transtulit Octauianus Sada. Dialogo igitur 6. 7. & 8. multos nummos & Regum Gothicorũ Hispanorum, Cruce insignitos profert; quos & nos proferemus. Etsi non depingemus, quia nec Augustinus depinxit. Primus sit iste Regis Egicæ fol. 191. in cuius vna parte caput est simile vrnæ vel hydriæ

cum his literis. I. D. N. M. EGICA R. quæ subeunt vicem harum. *In Dei nomine Egica Rex.* A tergo Crux est certis gradibus insistens, (vt in nummis Heraclij) hac inscriptione addita. NARBONA PIVS.

Secundus ibid. Regis Eruigij, in cuius anteriore parte caput est, cui Crux adiuncta, & hæc Epigraphe: I. D. N. M. N. ERVIGIVS R. *In Dei nomine Eruigius Rex.*

Tertius nummus aureus Egicæ & filij illius VVitizæ Regum Gothorum, in cuius vna parte sunt duæ facies cum Cruce in medio, & hisce litteris: I. D. I. M. N. EGICA PE. Ex altera parte sunt quinque literæ in cruce, quæ conficiunt hoc vocabulum NARBO. Et intus scriptum est. ✠ VVITTIZAN: R. Et isti fuerunt vltimi Reges Gothorum in Hispania, inquit Ant. August. Pater nimirum & filius.

Quartus nummus fol. 207. In cuius vna parte facies est cum his litteris ✠ RECCESVINΘ: R. quod est *Reccesuinthus Rex*, posito Θ Græco, vice Th Latini. In altera parte Crux est, cum aliquot gradibus, & hac inscriptione. ✠ TARRACO PIV.

Quintus nummus sancti Martyris Ermenegildi, in quo signum hominis pectore tenus absq; brachiis eo modo quo Termini effinguntur. Et in pectore Crux.

Sextus nummus Regis Reccaredi, in cuius vna parte inscriptio: ✠ RECCAREDVS REX. Altera, ✠ TOLETO PIVS. Vbi notandus mos, de quo iam sæpius dictum, præponendi Crucem scriptioni; seu *in*scriptioni; & talis crux in plerisq; Gothicis numismatibus apparet.

Sic in numismate VViterici seu VVitirici à tergo scribitur ✠ TOLETO PIVS. Ab altera parte ✠ VVITTERICVS REX. Sic in alio leges. ✠ SVINTHILA Rex. In alio. RECCESVINΘVS R. A tergo, Crux cum gradibus, & his literis ✠ TOLETO PIVS. In aliis numismatis scriptum est PIVS TOLETO. HI. quæ duæ literæ sub Cruce apparent. Habemus ergo iam decadem numismatum, in quibus Crux conspicitur.

Vndecimum locum teneant numismata Regis VVambæ, quæ, vt inquit Ant. Augustinus diuersa ab aliis forma constant; nam præter faciem, manus est, quæ Crucem tenet, hac inscriptione. ✠ I. D. N. M. N. VVAMBA R. quibus significatur. In Dei nomine VVamba Rex. Ab altera parte Crux est cum certis gradibus, sicut in aliis medaliis cum his litteris ✠ PIVS TOLETO ROI.

Eruigij & Egicæ Regum nummos Narbonenses Cruce conspicuos, iam antea adduximus. Habet Ant. Augustinus eorundem Regum nummos Crucigeros Toletanos. Exstant enim Eruigij numismata cum his literis ab vna parte: I. D. N. M. N. ERVIGIVS R. A tergo Crux cum gradibus & hæc Epigraphe: ✠ TOLETO PIVS.

In quibuſdam nummis Egicæ à tergo Crux eſt cum hac inſcriptione. TOLETO PIVS.

In aliis ſunt vna ex parte duæ facies reſpicientes in Crucem inter illas mediam: adiecta in circuitu hac inſcriptione. ✠ INDIN M. N. EGICA. R. Ex altera parte viſitur nota nominis Toleti. & in circuitu ✠ VVITIZA P. quæ litera aut Principem indicat, vel, vt exiſtimare quis poſſet, poſita eſt loco R.

L
T O E
T

Alius nummus Toletanus Crucifer vna ex parte præfert Crucem; Ex altera, duas ſtellas. Vbi Crux; ibi legitur hæc inſcriptio: ✠ ANFVS REX. A parte oppoſita; ✠ TOLETVM. Putat Antonius Auguſt. nomine illo ſignificari Alfonſum Regem, qui Toletum recuperauit. In alio nummo à parte antica Crux apparet; Epigraphe ANFVS REX. ab auerſa parte circulus exiguus cum hoc Symbolo In circuitu ✠ LEO CIVITAS: Quis iſte Rex Legionenſis fuerit, non habeo exploratum. ſub dubio dixerim, inquit Auguſt. fuiſſe Alfonſum Catholicum.

Alius VVambæ Regis nummus altera parte caput præfert cum his literis ✠ IN D. IN M. VVAMBA. At parte auerſa, excelſam crucem habet, addita hac inſcriptione ✠ CORDOBA PATRICIA. Alius Eruigij Regis ſimiliter à tergo crucē gerit cum his literis, CORDOBA PATRICIA. Alius eiuſdem, cui à tergo crux cum aliquot gradibus. Epigraphe: ✠ ISPALI PIVS. VVambæ Regis alius in cuius vna parte cernitur ramuſculus, & crux, & ſtella ſeptem radiorum cum his literis ISPALI PIVS.

Alius Reccaredi Regis. cuius epigraphe, ✠ RECCAREDVS REX. A tergo, ✠ PIVS IPSALI. Similis, Regis Siſebuti. Item VVitterici. Etiam Suinthilæ. Alius, cuius epigraphe. ✠ RECCESVINΘVS. R℞. figura hominis barbati & prolixè capillati. A tergo Crux cum aliquot gradibus hac inſcriptione. ✠ BRACARA PIVS. Similis ibid. nummus Egicæ Regis. Et tam huius, quàm aliorum Regum Gotthorum multos inuenies apud Antonium Auguſtinum. Dialog. 8. fol. 239. Videnturque iſti Reges hoc proprium quodammodo habere voluiſſe, vt nummorum inſcriptioni crucem ſemper præponerent, eo modo, quo id in vetuſtis epitaphiis, aliiſque inſcriptionibus videre licet. Habes igitur & à Gotthicis in Hiſpania Regibus, cultum crucis non vno duntaxat, ſed pluribus exemplis aſſertum, & quidem in nummis, cuiuſmodi exempla hoc loco duntaxat conquirimus.

Sed quid illud? TOLETO PIVS. IPSALI PIVS. Sed quare dicitur, legiturq́; TOLETO, & non TOLETI, aut TOLETVM? reſpondet Antonius Auguſtinus Dialogo 7. In aliquibus (numiſmatis) legitur

gitur in primo casu, sicut TARRACO, & tum intelligitur FECIT. In aliis, dubium est, num in primo, vel in sexto ponatur casu, vt EMERITA, EBORA, CORDVBA, & BRACARA: & ibidem, item subintelligitur FECIT, aut missus est nummus. At, quando legitur TOLETO, credibile est, quod sit sexto casu positum. In alio, est HISPALI, TVCCI, ELIBERI. Atq; ista possunt esse indeclinabilia, vt est TVCCI: Aut, Datiui casus, à recto Hispalis, Eliberis: ac si dictum sit, Hispali, aut Granatæ, scilicet, signatus est nummus. Proinde qui dicit TOLETO, pro IN TOLETO, non bene rem intelligit: cùm dicendum sit TOLETI, velut Tusculi.

B. Agè, hoc intelligo. Sed, non deest, qui dicat; TOLETO IVSTVS, aut TOLETO PIVS, significare, quòd in ciuitate Toleto fecit iustitiam, aut fuerit pius.

A. Nescio equidem cur ita dicant: si modò TOLETO non est indeclinabile, sicut TOLEDO in Castellano idiomate. Et, nihilominus TOLETO, aut TOLETI victor, non deberet dici, eò quod intra Toletum obtinuerit aliquam Victoriam: sed quia victor Toletum intrauit. quoniam victoriæ, ordinariè, extra ciuitates regias obtinentur. Et sicut discordat (TOLETO) cum hac voce, VICTOR: sic, vt opinor, cum his vocibus, IVSTVS, PIVS, dissonat. Adeò, vt secundum meam opinionem, nomen loci nobis demonstret, vbi numisma fuit cusum, aut fusum: sicut apparet in aliis Græcis, aut Latinis, aut peregrinis. Altera verò vocula, ad Regem pertinet, cuius sunt isti tituli, PIVS, IVSTVS, VICTOR.

B. Hoc ipsum confirmari potest Iustiniani Imp. agnominibus, quæ sunt in ff. & Institutionum principio. Hactenus Antonius Augustinus, siue Sada, ibi.

CAPVT XXX.

De inscriptionibus Crucigeris.




OSTENDIMVS lib. 2. de S. Cruce veteres iis, quæ scribebant, Crucis signum & Christi nomen præposuisse aliquando & postposuisse. Lubet sub finem huius disputationis de numismatibus crucigeris plura huius moris exempla adferre, eaque ex vasto illo & laborioso opere *Inscriptionum totius orbis Romani*, in quo pauca exstant.


I. Nebrissæ in ipsa templi fronte supra ianuam.

ALEXANDRA CLARISSIMA FEMINA VIXIT ANNOS PLVS MINVS XXV. RECESSIT IN PACE X.KAL.

X. KAL. IANVAR. ERA. D. III. PROBVS. FILIVS VIXIT ANNOS. II. MEN. VNVM.



II. Romæ in S.Apollinari.



IN SOMNVM PACIS FEMINA APRONIA NATA IIII. ANNORVM. QVAE NIHIL FRVNITA.



III. Aquis Sextiis in Basilica Saluatoris.




HIC. IN. PACE. QVIESCET. ADIVTOR. QVI. POST. ACCEPTAM. POENITENTIAM. MIGRAVIT. AD. DNM. AN. LXV. MENS. VII. DIES. XV. DEPOSITVM SD. VIIII. KAL. IANVAR. ANASTASIO. V. C. CONSVLE.

IV. Romæ in D.Pauli.

IC. QVIESCIT. CVTINVS. IN PACE. QVI. VIXIT. ANVS. P. M. XXS. M. S. DIPOSITO. ONORIO. AGVSTO. C. LAVRENTIVS. AMICVS. DOLISI. SCRIBET.

V. Mediolani in S.Victoris arca marmorea.




CERVIA. QVAE. FIDEI. VEXIT. FONDAMINA. SECLO. TERDENOS. AEVO. BINOS. QVATER. ATTVLIT.

TVLIT. ANNOS. LAETA. DOLIQ. EXPERS. CVLPA. PROCVL. IMPIGRA. HONESTA. ASTRIGERAM. SECAT. ALMA. VIAM. CAELOQ. RECEPTA. HIC VITAE. METAS. ET. INANIA. MEMBRA. RELIQVIT. DED. PRIDIE. NONAS. IANVARIAS.

VI. Duobus milliaribus infrà Terranum Lusitaniæ suprà ianuam templi.

✠ * HVNC. DENIQVE. EDIFICIVM. SANCTORVM. NOMINE. CEPTVM. IVSTI. ET. PASTORIS. MARTIRVM. QVORVM. CONSTAT. ESSE. SACRATVM. CONSVMATVM. EST. OC. OPVS. ERA. DCCXX. *pro HOC

VII. ROMAE apud Lælium Pasqualinum sub duabus palmis, intra quas corona, cum hoc signo.



FL. IOVINA. QVI. VIXIT. ANNIS. TRIBVS. D. XXXII. DEPOS. NEOFITA. IN PACE. KAL. OCTOBR.

VIII. Genabi Aurelianorum in Basilica S. Crucis.

EX BENEFICIO S. ✠. PER IOHANNEM. EPISCOPVM. ET. PER. ALBERTVM. S. ✠. CASATVM. FACTVS. EST. LIBER. LEMBERTVS. TESTE. HAC. SANCTA. ECCLESIA.

IX. Romæ in cœmet. Suburbano S. Priscillæ.

☧. DOMINO. FILIO. INNOCENTISSIMO. ET. DVLCISSIMO. BONO. SAPIENTI. ☧ PELAGIO. QVI. VIX. ANN. VI. M. VII. D. XIIII. H. VIIII. SOCRATIANVS. YRENE. PARENTES. BREVES. IN. PACE.

X. Romæ apud Horatium Vallæum.

☧ PVELLAE. VRBICAE. CONIVGI. DVLC. QVAE. EIVS. OBSEQVIO. SEMPER. NOBIS. CONVENIT. IN. MATRIMONIO. QVAE. VIXIT. ANNOS. PL. M. XXX. DECESSIT. ☧

DIE

DIE XIII. KAL. IVL. QVIESCIT. IN PACE. ET. IN. NOM. ----

XI. Romæ in pauimento S.Petri ad Vincula.

✠ SALBO. PAPA. N̄. IOANNE. COGNOMENTO. MERCVRIO. EX. SCE. ECCL. PRESBYTERIS. ORDINATO. EX. TIT. SC̄I. CLEMENTIS. AD. GLORIAM. PONTIFICALEM. PROMOTO. BEATO. PETRO. AP̄. PATRONO. SVO. A VINCVLIS. EIVS. SEVERVS PB̄O. FR. ET. IT̄. LAMPADI. ET. ORESTIS. V̄V̄. C̄C̄. VRBITCIVS. CEDRINVS. EST.

XII. Romæ in Ara cœli.


X̄R̄. HIC. DEPOSITVS. SEPTIMIVS. EVGENIVS. ATTIA. IRENE. ET. CHARITOSA. FILIA. POST. SECVS. IN. SARCOFAGO. IN. HORTVLIS. NOSTRIS. SECESSIMVS.

XIII. Pace Iuliæ in Hispania Bætica in cochlea summi templi.

A ✠ Ω.

SEVERVS. PRESBIT. FAMVLVS. CHRISTI. VIXIT. ANN. LV. REQVIEVIT. IN. PACE. DOMINI. XI. KAL. NOVEMBRIS. ERA. DCXXII.

XIV. In ædibus Colotianis ad aquam Virginem.



SVNCIA. FELICITAS. PRAECILIO. MARINO. VIRGINEO. DVLCISSIMO. INCOMPARABILI. Q. VIXIT. AN. XLIIII. M. VNO. DIES. XXVI. DEPOSIT. VI. KAL. OCTOB. FECIT. ET. SIBI.

XV. Romæ ad S.Priscillæ.

S. X̄R̄.

VICTORINA. IN. PACE.

XVI. NARNIAE in Cathedrali Basilica supra ianuam Cryptæ S.Iuliani. In medio Crux. vtrinque Agni duo.


CASSIVS. IMMERITO. PRAESVL. DE. MVNERE. CHRISTI. HIC. SVA. RESTITVO. TERRAE. MIHI. CREDITA. MEMBRA. QVEM. FATO. ANTICIPANS. CONSORS. DVLCISSIMA. VITAE. ANTE. MEVM. IN PACEM. REQVIESCIT. FAVSTA. SEPVLCHRVM.

TV. ROGO. QVISQVIS. ADES. PRECE. NOS. MEMORARE BENIGNA.

CVNCTA. RECEPTVRVM. TE. NOSCENS CONGRVA FACTIS.

Meminit huius Caſsij S. Gregorius lib.3.Dialog.cap.6.&lib.4. *cap*.56.& hom.37.in Euangelia

XVII. In Appendice Antiquarum inſcriptionum pag. M. C. LXII.



BENEMERENTI VALERIAE. QVAE. VIXIT. ANNOS XXVII. DEPOSITA. AIII. ⊖ KALENDAS MARTIAS. POST. CONSVLATVM. GRATIANI. ET. DAGALAIFI.

XIIX. In Aſia in pago Ocuus in Epiſtilio iacente ad latus ſepulchri, legitur hæc inſcriptio. *ὑπόμνημα ὀρέστου οἰκονόμου. Monumentum Oreſtis Oeconomi.* Initio & in fine additur huiuſmodi Crux  :in medio autem talis.



XIX. Vidimus toto hoc libro ſignum crucis numiſmatis adiungi conſueuiſſe. Teſtatur S. Chryſoſtomus lib. *Quod Chriſtus ſit Deus:* idem ſalutare ſignum fulſiſſe etiam *in vaſis argenteis, aureis, margaritis.* Et quidem exemplum Crucis in gemma reperitur in ſæpe iam nominato Antiquarum Inſcript. Volumine in Append.pag.M.C.LXII. Et Sezerini Sarazeni donarunt inter cætera Ioanni Comneno Imperatori Conſtantinop. Crucem in lichnite gemma exſculptam ſummo artificio diuinæ imaginis expreſſa ſimilitudine, *cuius aſpectu oculi ſatiari non poterant,* vt ſcribit Nicetas Choniates libr. de Ioanne Comneno.

Quando Conſtantinopolis à Cruceſignato exercitu Anno Domini M.CCV. expugnata fuit, inter cætera, quæ Martinus Periſienſis Abbas in Alſatiæ iure victoriæ ex templo quodam deuictæ ciuitatis ſuſtulit, *Erat*, inquit Guntherus in hiſtoria ſua Conſtantinopolitana, *tabula quadã inæſtimabilis ferè precij, & gemmis precioſis operoſiſsimè exornata, & plurima ſanctarum reliquiarum genera longè auro & gemmis precioſiora ibi diligenter recondita continens. Quam tabulam Græcorum Imperator*

in solemnibus festis velut quoddam certum pignus Imperij gestare consueuerat de collo suo catena aurea dependentem. Cui tabula prater aurum, vel alias gemmas quàm plurimas iaspis vnus miræ magnitudinis infixus est, passionem Domini (imaginem crucifixi) *sibi insculptam, & beata Virginis & Ioannis Euangelista imagines hinc inde adsistentes.* Addit Guntherus, in eadem tabula fuisse saphirum admirandæ quantitatis, cui *diuina Maiestas* (hoc est, imago Dei) *quæ nulla prorsus imagine propriè repræsentari valet,* admodum artificiosè impressa fuerit.

XX. Apud Marianam libr. 5. de rebus Hispaniæ, cap. 7. hæc exstat inscriptio reperta Elboræ. LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN PACE. IX. KALEN. IVL. ERA. D. XLVIII. inscriptioni hæc figura subiecta est. A ✠ Ω

XXI. Constantinopoli in Colossi structilis basi.


✠ Τὸ τετράπλευρον θαῦμα τῶν μεταρσίων χρόνῳ φθαρὲν νῦν Κωνσταντῖνος δεσπότης τῦ ῥωμανῦ παῖς, δόξα σκηπτυχίας κρεῖττον νεουργεῖ τῆς πάλαι θεωρίας. Ὁ γὰρ κολοσσὸς θάμβος ἦν ἐν τῇ ῥόδῳ. Καὶ χαλκὸς οὗτος θάμβος ἐστὶν ἐνθάδε.

✠ *Hoc quadrilaterum miraculum inter ea, quæ in sublime tolluntur tempore corruptum, nunc Constantinus Despota Romani filius, gloria Imperij, In melius restituit quàm prius visebatur. Nam colossus stupor erat in Rhodo. At æreus iste, stupor est in isto loco.*

Edidit hanc inscriptionem Caluinista quidam in Hodœporico suo Constantinopolitano, qui cùm plures inscriptiones Græcas, & quidem Christianas, ediderit, mirari subit, cur nulla ex illis Cruce prænotata sit, præsertim cùm notum sit, recentiores istos Græcos vix quidquam scribere, nisi signum sanctæ Crucis præpingant, vt videre licet in omnibus ferè manu exaratis codicibus Græcis; & libro quarto huius tertij Tomi ex Theodoro Prodromo annotauimus.

CAPVT XXXI.

Insignia crucigera Pontificum, Regum, Regnorum, ciuitatum, legionum, &c.



DE HIS in hoc tertio tomo; & libro secundo Tomi primi iam sæpius egimus. Hic tamen addemus nonnulla, ac inprimis insigne VVilhelmi Regis Siciliæ, quod Analibus

nalibus Anglicanis Rogerus inseruit. En tibi ipsum digma, & stemma.



Cuius inscriptio explicationis loco esse potest. Nam & inde causa huius vsurpati signi; Regisque insignis pietas elucet; qui regnum partasque victorias dextræ diuinæ per Crucem mirabilia semper patrare consuetæ in acceptis retulit; hocque signo munitus, de Græcis, & Sarracenis, aliisque hostibus magnificè triumphauit; & felicitatis suæ trophæa ac monumenta passim erexit, de quo inter cætera hæc Fazellus libro 7. posterioris Decadis de rebus Siculis.

Mortuo Alexandro, & Lucio tertio in Romanam Ecclesiam suffecto, cùm Andronicus Græcus, Alexio Constantinopolitano Imperatori pupillo ephebo Manuelis filio tutor datus, pulsis Latinis, qui puero fauebant, Constantinopolitanum Imperium, necato in vndis puero, dum laxandi animi gratia paruo nauigio huc illuc temerè dilaberetur, vsurpasset, Guilielmus Rex generoso animo has Andronici in Latinos puerumque iniurias vlturus, ingenti coacto exercitu, in Græciam

cum classe traiiciens, omnia perturbauit. Vbi cùm Thessalonicam Macedoniæ vrbem vi cepisset, pluresque alias Thraciæ ciuitates varijs cladibus affectas partim expugnasset, partim diripuisset, nec vsquam Andronicus occurreret, (qui vel ob id, quod multos occiderat, & plerosque exilio iniusto damnauerat, & Deo & Græcis omnibus inuisus erat) tantum effecit, vt tandem Constantinopolitani ciues Andronicum captum membratim in frusta discerpserint, & Isaac quendam Regia progenie exortum è Peloponeso ad Imperium extulerint. Qui cùm suadente Lucio Pont. vnà cùm Guilielmo Rege ad recuperandam terram sanctam ire decreuisset, Pontificis obitu res interrupta remansit.

Post hac Guilielmus contra Iosephi Marocci Regem mouit. Et deuicto Rege, captaque eius filia, non prius in redemptionem puellæ consensit, quàm Rex Africam vrbem (quam Abdul Mumen eius genitor patri suo Guilielmo, vt diximus, olim abstulerat) sibi reddidit: Qua victoria celeberrimum nomen acquisiuit.

Vrbano deinde tertio in Ecclesiam succedente, cùm Saladinus Sarrazenorum Rex capta iam Hierolyma; Tyrum à Christianis possessam dura obsidione premeret, Guilielmus Rex quadraginta triremes paratissimas (quibus Margaritus Siculus & natura & peritia audacissimus præerat) Conrado Montis Ferrati Marchioni Tyri profecto in auxilium misit; cuius classis aduentu obsidionem Saladinus fœdè soluere compulsus est.

Tempore quoq; Clementis tertij cũ Fridericus Barbarusa, Philippus Francorũ, & Richardus Angliæ Reges, cæterique Principes Christiani, Pontificis impulsu contra eundem Saladinum Christianorum vrbes in oriente infestantem arma sumpsissent, Guilielmus Rex pacatum cum suis triremibus à piratis mare continens, ad sacrum hoc bellum exeuntibus annonam etiam omnifariam ex Sicilia & Apulia subministrauit.

Expeditionem Guilhelmi Regis in Græcos tragicè describit Nicetas Choniates lib. 1. de Imperio Andronici Comneni, non sine ingentibus in Latinos conuiciis, quæ Nicetas more solenni, largiter in Latinos euomit; nec ipsi VVilhelmo parcens, quem semel atque iterum *tyrannum* appellitat. Sed hanc criminationem nullo negotio depellet ac dispellet cognomentum BONI, quod VVilhelmo communi non modò Siculorum, sed & exterorum suffragio tributum fuisse testatur, ille ipse, quem suprà citaui, Fazellus, qui Regis huius eximiam in omnes benignitatem, inque Deum & superos religionem ac pietatem copiosius describit. Decessit ex hac vita anno Christi M.C.LXXXIX. ætatis suæ XXXVI. in ipso scilicet æui flore, sed, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος, *Quem Dij diligunt moritur iuuenis*, vt iam olim Menander cecinit.

In *Notitia vtraque dignitatum cùm Orientis, tum Occidentis*, vbi de Magistro

gistro militum per Thracias agitur, inter *legiones Comitatenses*, quæ sub ipsius cura militabant, numerantur etiam *Constantini Dafnenses*, (ita enim scribitur, pro *Daphnenses*) quorum insigne Crux tribus circulis inclusa: non tamen more consueto efformata, in medio tribus orbiculis constitutis, quorum interior minor secundo, & secundus tertio; & tertio supernè, & infernè, & ex vtroque latere tres lineæ protendũtur, non tamen rectæ, sed nonnihil incuruæ, & quasi lunares; quæ palam Crucem efficiunt. Etsi Notitiæ interpres, vir clarissimus, nullam hic crucem agnoscit, quod testantur hæc eius verba. *In lutea parma globum aureum, duobus circulis cæruleo luteoq; cinctum gerunt, quem à quatuor partibus terna cærulea flagella circundant. Flagellandos hostes indicant, qui Romanum orbem duobus iunctis Imperiis munitum impetierint. In aureis nummis Iustiniani & ipse flagellum manu tenens, Barbaris minatur. Marginem duo circuli, alter cæruleus, alter luteus cingunt, perpetuam duorum Principum connexitatem indicantes.* Hæc ille; de qua explicatione nihil habeo, quod dicam.

Sed quæritur ab eruditis, vnde isti *Constantini Daphnenses* nomen acceperint. Illustrissimus Cardinalis Baronius Annali tertio existimat, *Constantini*, seu *Constantinianam Daphnen* aliam non esse; quàm celeberrimam illam Daphnen Antiochenam, quam accuratè describit Sozomenus lib. 5. cap. 18. profertque nummum antea quoque à Golzio & Nummographo Augustano prolatum, in cuius antica parte apparet Imperator diadematus cum hac Inscriptione: CONSTANTINVS MAX. AVG. In postica, solio residens victoria alata coronata captiuum ad pedes supplicem habet, trophæo propè erecto, cum litera B. quæ fortè *Barbaros* denotat: palmam, quantum coniicio, dextra; sinistra rhabdum seu virgam tenens, vel, vt Notitiæ interpres ait; dextra lauri, sinistra palmæ ramum; neque enim numismatis ectypon apud Baronium satis expressè expressum est. hac epigraphe: CONSTANTINIANA DAPHNE, Etsi antiquarij quidam legendum contenderent, Constantini Anadaphne; Et in his etiam Nummographus: sed malè, vt notat Ortelius in Thesauro Geographico, licet ipse Nummographus errorem in secunda editione animaduerterit, atque adeò correxerit. Hunc nummum ad Daphnen Antiochenam pertinere dixi hoc ipso libro primo secutus Baronium.

Sed nunc visa Notitia, reque melius considerata, mitto sententiam, & tam nummum hunc, quàm Constantini Daphnenses, quorum in Notitia mentio, aliò pertinere dico, nempe ad Daphnen, quàm Constantinus in Thracia aduersus Barbaros, munimenti gra-

tia exſtruxit; de qua Ammianus lib. 27. iſta: *Valens paruipendens excuſationem vaniſsimam, in eos ſigna commouit, motus aduentantu iam præſcios, & pubeſcente vere, quæſito in vnum exercitu prope Daphnen nomine, munimentum, eſt caſtrametatus; ponteque contabulato ſupra nauium foros flumen tranſgreſſus eſt Iſtrum, reſiſtentibus nullis.* Procopius lib. 4. de ædificiis Iuſtiniani. *Inſuper Quintorum arcem fundauit, poſtquam Triſmacarias propugnaculum, è cuius regione in oppoſito continente Conſtantinus quendam Romanorum Imperator arcem non contemnendam conſtruxit, Daphn en nomine, non inutile fore arbitratus, ſi hac via vtrimlibet fluuius cuſtodiretur. Hanc arcem procedente tempore à Barbaris funditus euerſam, Iuſtinianus ex fundamentis reparauit.* Ab hac ergo Daphne, munitione in Thracia, dicti ſunt *Conſtantini Daphnenſes*, vt & *Baliſtarij Daphnenſes*; & huius etiam Daphnes nummus eſt ille apud illuſtriſsimum Annalium ſcriptorem ex Goltzio, & Auguſtano Nummographo, qui & apud alios extare fertur; non autem Daphnes illius Antiochenæ; quam ſchemate & habitu militari victoriæ ſpecie cum trophæo, captiuis, lauru, ſeu palma cæteriſque hoſtium domitorum indiciis ac argumentis pictam & repræſentatam fuiſſe, quis vnquam audiuit? cum Daphne illa Antiochena voluptatibus potius & amœnitatibus deſtinata fuerit, quàm bellicis ſudoribus ac laboribus. Daphne autem illa in Thracia, eo fine à Cõſtantino Magno fuerit condita, vt hoſtes à finibus Romani Imperij arceret; quod clarum ex teſtimoniis Ammiani ac Procopij. Nec quidquã pro priore opinione facit Suidas. nõ. n. loquitur de Daphne Antiochena, ſed de Auguſteone, ſeu de loco qui Auguſteo ſeu Auguſteũ, ſeu Auguſtalis dicebatur; qui erat Cõſtantinopoli, Verba Suidæ ſunt iſta: Αὐγουστεῖον ἐκλήθη διότι ιε τοῦ ὀκτωβρίου μηνὸς οἱ ῥεγεωνάρχοι καὶ σεβαστοφόροι ἐχόρευον ἐν τῷ αὐγουστείῳ, οἷον ἐν τῷ ὀψοπωλίῳ εἰς τιμὴν Τιβερίου, τὸν δὲ τοιοῦτον τόπον, οὕτως ἐκάλεσαν ἀπὸ τοῦ αὐγούστου. ἔστησε δὲ καὶ ὁ μέγας Κωνσταντῖνος εἰς τὸ ἄσκεπτον τῆς Δάφνης στήλην τῆς ἑαυτοῦ μητρὸς, ἐξ ἧς ὠνόμασε τὸν τόπον αὐγουστεῖον. *Auguſteum appellatum eſt, eo quod 15. die Octobris Regionum curatores ſeu Præfecti & Sebaſtophori ſaltarent in Auguſteo, quaſi in Opſopolio ſeu obſoniorum foro in honorem Tiberij. Hunc verò locum ita nominarunt ab Auguſto. Statuit autem & Conſtantinus in propatulo Daphnes, ſtatuam matris ſuæ, à qua locum vocauit Auguſteum.* Hæc Suidas.

Quæ vel corrupta ſunt, vel certè Daphne locus ſeu pars erit Regionis quartæ Conſtantinopolitanæ, quæ Milium ſeu Miliarium dicebatur; Et cuius etiam pars erat forum, Auguſteum ſeu *Auguſteo* dictum; in qua eiuſdem nominis columna viſebatur, de qua fuſè Procopius lib. 1. de ædificiis Iuſtiniani: quod liquet cùm aliunde, tum ex deſcri-

descriptione vrbis Constantinopolitanæ, quæ exstat apud Onuphrium in Commentariis Reipublicæ Romanæ, quamque eruditis scholiis illustrauit Iureconsultus magnus, Guidus Pancirolus. Nam quæ, oro, causa erat Suidæ, vt ab Augusteo, seu Augusteone Constantinopolitano transiliret ad Daphnen Antiochenam? Aut quis vnquam audiuit, in Daphne illa Antiochena Helenæ statuam à Cõstantino fuisse erectam; aut Daphnen Antiochenam appellatam esse Augusteum ab Helena Augusta? Ipse enim Suidas disertè de Augusteo Constantinopolitano loquitur, hocque nomen accepisse dicit primitus quidem ab Octauiano Augusto Imperatore, postmodum verò ab Augusta Helena; vel potius à Constantino & Helena Augustis; quorum statuæ in Augusteo erant; vt scribitur etiam in originibus Constantinopolitanis, quorum verba adscribam: τῇ πέμπτῃ τοῦ ὀκτωβρίου μηνὸς, ἐχόρευον οἱ ῥεγεωνάρχαι ἐν τῷ αὐγουστεῶνι, ἤγουν, τῷ ὀψοπωλίῳ εἰς τιμὴν τοῦ βασιλεύοντος κατὰ τὸν καιρόν. τὸν αὐτὸν δὲ τόπον οἱ ἰδιῶται αὐγουστεῶνα καλοῦσι, ἐν ᾧ καὶ στῆλαι ἑστήκασι τοῦ μεγάλου κωνσταντίνου, καὶ τῆς αὐτοῦ μητρὸς, διὸ καὶ ἐπωνόμασε τὸν τόπον αὐγουστεῶνα, πρότερον γουστῖον λεγόμενον, ἤγουν ὀψοπώλιον. *Quinta die Octobris* (discrepat decem diebus à Suida) *saltabant Præfecti regionum in Augusteone, siue foro obsoniorum, in honorem eius, qui pro tempore imperabat. Hunc ergo locum vocant idiotæ Augusteonem, in quo etiam steterunt statuæ Constantini Magni, & Matris eius. Ea de caussa nominauit hunc locum Augusteona; qui prius dicebatur Gusteum* (à gustu) *hoc est, obsoniorum forum.* Vides igitur in Augusteone, de quo Suidæ sermo est, fuisse Helenæ & Constantini statuas, & ab his locum Augustei seu Augusteonis nomen inuenisse. Cæterùm vt verbis compendium fiat, dico, Suidæ textum esse integrum, & ab omni mendo vacuum, & Daphnen Constantinopoli certum fuisse locum, partem nimirum Augusteonis seu Milij, in quo Constantinus Magnus publicè collocarit statuam Helenæ matris. planum id fit ex Originibus Constantinopolitanis, vbi de Constantino Magno auctor ait, eum nouam vrbem exornasse quatuor ἐμβόλοις, hoc est, porticibus, quarum altera *à Daphne & Sophiis pertigerit vsq. ad Rhabdum,* certum itidem Constãtinopoleos locum. In hac ergo Daphne Constantinopolitana posuit Cõstantinus statuam suæ genitricis. Quo fit vt locus Suidæ Daphnen Antiochenam prorsus non tangat: vt nec nummus, cuius occasione ista disseruimus. Nam Suidas de Constantinopolina Daphne loquitur. Nummus autem de Constantiniana Daphne, castro ad ripam Danubij munito. Fuit Syracusis in Sicilia balneum, cui nomen Daphne, in quo occisus est Constans Imperator, vt scribit Cedrenus in Miscella lib. 19.

Inter legiones, quæ Magistro Militum per Thracias parebant, numera-

numeratur etiam *Prima Flauia Gemina, à Flauio, vt creditur, Constantino cognominata*, inquit Pancirolus, *Notitiæ interpres; & Gemina, quod ex duabus legionibus esset conflata. Rubram crucem, rubeum item limbum, albi clypei extrema pertingentem gerebat, atque vtrinque aureum globum duobus luteis circulis arctioribus cinctũ. A Cruce sanguine Domini rubente vtrumq; orbem Romanum duobus imperiis munitum protegi significat: Rubeus circulus clypeum ambit.*

Inter legiones Comitatenses, sub magistro Militum per Orientem, erat secunda Felix Valentis Thebæorum, & prima Flauia Theodosiana; *Prior à Valente post primam introducta*, inquit Pancirolus, *quæ Hermunthi in Thebaide degebat.* & successit illi Thebæorum legioni, quæ sub Maximiano Imperat. Martyrium pro Christo apud Agaunenses fortiter subiit. *Hæc legio in clypeo albo rubram crucem gestabat, in cuius medio pelta item rubea, aureũ orbiculum includit. In imo ab vtraq; parte Crucis duo dimidij tauri recumbunt. Elegans & pium insigne; crucem sanguine Christi rubentem orbem Romanum pro pila positum tueri innuit: siquidem pelta hostium ictus repellit, & duo Principes, quorum typus sunt tauri, sub hac Cruce tuti requiescunt.* Idem insigne habet prima Flauia *Theodosiana; nisi quod in ima parte crucis non tauri, sed duo dimidiati canes auersi, & à posterioribus partibus cruci iuncti: cum impetu latrantes ferri videntur. Hi duo Principes, dimidium quisque imperium tenentes, qui præsidio tuti, hostes impetunt.* Hæc clarissimus Pancirolus.

Habebat sub se magister Militum Præsentalis Martiarios iuniores, qui sextam legionem Palatinam conficiebant. *In horum luteo clypeo rubrum pedamentum orbem cæruleum & decussatum, rubroque circulo cinctum sustinet, & in cuius summo duæ dimidiæ luteæque lunæ, cornibus sursum versis, crucem amplectuntur: duo vtrinque ad dexteram & sinistram erecti canes terga orbi vertunt, inuersisque capitibus se inuicem respiciunt. Hi referunt duos Principes imperium orbis tuentes, & se respiciendo mutuum sibi auxiliũ promittentes. Orbis cruce diuisus, & rubro circulo circundatus, terrarum, marisque imperium insinuat, quod etsi diuisum, vnum tamen est & vnitum, quod globum ambiens, circulus rubeus innuit. Dimidiæ lunæ & ipsæ sunt symbolum duplicis Imperij, quod etsi dimidium videtur, integrum tamen est permansurum, quemadmodum luna primò visa deficere in orbem completur. Crux superior, id Christi ope futurum pollicetur. Romani verò Imperij stabilitatem columna significat. Aliàs luna cruci iuncta, Ecclesia, Christi sponsa, est typus. Simile emblema gerunt Martiarij seniores*, nisi quod in horum stemmate luna caret cruce infixa, nisi fortè Iconographi vitio Crucis species in luna sit omissa.

Sic Bataui seniores, qui primi sub magistro Militum *Præsentali* lunam habent, in cuius medio crux fixa conspicitur.

Mattiaci seniores cæruleum clypeum gestant, lutea cruce vsque ad marginem dimi-

diuisum, quæ cæruleum globum in medio continet, ipsa abside lutea, & alia exteriore cingitur. Hinc inde supra vtriusque crucis brachium, duæ auiculæ nigræ, seu corui cœlum suspicientes clamare videntur. Aliæ duæ similes infra pascuntur. Symbolum est duorum Principum, qui à Domino ob merita Christi crucifixi pro Orbe Romano opem implorant, & quasi illam inuenerint, infra per otium pascuntur, &c. In Occidente hi milites similiter simplicem crucem gestant.

Constantiniani sub alio magistro Præsentali à Mattiacis senioribus, quoad insignia, coloribus tantùm differunt. *Orbem enim album duobus rubro luteoque vinculo constrictum tenent, fortè vt alterutri distinguerentur. In manuscriptis globus duabus nigris lineis est decussatus. In Codice Vrsini, corui sunt lutei: in Madruciano albi: in meo vtrobique nigri appareāt.* Et isti quidem numerantur inter auxilia Palatina, sicut & Cornuti; *ex oppido Illyrici Cornuto contracti. Horum insigne ita Pierius describit. Cornutorum gestamen erat parma lutea, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in cuius medio angues rubri duo, &c. ad osculum incuruabantur. In cippi medio ancile paruum erat, colore perpictum luteo, duabus in medio nigris, &c. in superiore parte T Centurionis signum notatum erat. Ita Pierius. Littera T Centurionis notam esse non arbitror,* inquit doctissimus Pancirolus: *potius enim Tribunum denotaret, quem præfectum Cornuti habebant. Illud itaque sanctissimæ crucis signum esse censet, sub cuius præsidio tutum Romanum viuebat Imperium.*

Braccati iuniores, à Gallia Narbonensi, quæ olim Braccata, sic dicti: *clypeum cæruleum gestant, in quo duplex rubra & lutea columella globum luteum in summo manu retentum sustinet. Vtrinque duo purpurei corui ad crucem supra globum infixam, & nigris lineis decussatam, clamare videntur, &c. Crucem autem litera X intersecans, Christum in ea passum significat, &c.*

Victores sub magistro militum *Præsentali*, inter auxilia Palatina, *in alba parma, orbem luteum duplici vinculo item luteo circumdatum gestant, quem vallum in summo prominentibus orbiculis interlunatum sepit: supra, rubra crux, velut sanguine Christi tincta eminet, cuius ope orbem Romanum vndique tutum esse significatur. Prominentes enim orbiculi munitiones orbem tuentes referunt. Globus, est mundus Romanus, duplici coniunctoque Imperio rectus, qui ope crucis sanguine Christi aspersa, munitur.*

In Babylone Aegyptia, *supra turrim ab alto stipite pro insigni crux cordi infixa exiens significabat, eam cordi militibus & Principi inhærere. In manuscripto Vrsini loco cordis pila videtur, orbis typus, & portendit crucem orbi dominari.*

Inter legiones Comitatenses Magistri peditū per Occidentem est *etiam prima Flauia pacis, in cuius purpurea parma crux cærulea, purpureum orbem medio infixum tueri videtur. Duo circuli, rubens albusque marginem*

ambiunt. Color crucis aëreus crucem, cœlestem Dominum sustinuisse insinuat. Orbis, ob sanguinem Christi pro eo effusum, purpureus depingitur.

Sic Ascarij seniores sub magistro peditum per Occidentem crucē in insigni gerunt; sicut & Secundani, & Geminianenses, & Comaginenses, & sub magistro equitum per occidentem Constantiaci.

Hæc breuiter ex Notitia vtriusque Imperij, & ex clarissimo eius Interprete Pancirolo enotare volui, vt rubore suffundantur illi, qui nunc nouo Euangelio pleni, sine crucis vexillo militare volunt; illudque non tantùm oculis æquis intueri non queunt; sed insuper conuiciis proscindunt, & contumeliis, vbicunque datur occasio, afficiunt, cùm olim nihil vsitatius fuerit, quàm legiones bellicas hac salutifera armatura munire, & ad trophæa speranda hoc victorioso trophæo excitari.

Quia verò dum de Constantinianæ Daphnes numismate disputaremus, mentio facta est Constantini Magni; dissimulare non possum, me interea, dum liber iste sub prælo hærens, culpa eius qui crucium formas in lignum incidere debebat, non progrediebatur, incidisse in librum Gallicum, auctore Guillelmo du Choul, impressum Lugduni M. D. L VI. qui inscribitur: *Discursus de veteri Romanorum religione*; in quo ex nummis, lapidibus, & antiquis inscriptionibus eruditè prisca Romanorum Ethnicæ superstitioni adhuc addictorum mysteria & sacra illustrat; & in eo Christianorum quædam numismata crucigera inuenisse; & in his vnum Constantini Magni, in quo duæ Victoriæ alatæ & coronatæ, clypeum aræ insistentem tenent: in cuius clypei medio hæ leguntur litteræ. VOT. PR. in medio aræ crux elegans apparet. Epigraphe est. VICTORIAE LAET. sub ara duo isti characteres visuntur T T. & stellula à tergo alterius Victoriolæ.

Profert idem Guilhelmus eum nummum Decentij, quem supra cap. 10. depictum dedimus; quanquam pictor vel sculptor meus solitæ diligentiæ specimen hîc quoque edidit, omisso eo, quod in numismate præcipuum est, nempe schemate τῦ ☧ coronæ seu serto imposito, cuius solius gratia nummum illum in librum istum intulimus. Alium eiusdem formę & notæ Magnentij vulgauit Guillelmus, cuius inscriptio: VICTORIAE DD. NN. AVG. ET. CAES. sub serto ponuntur istæ litteræ. SPRPLS. Expressit idem Guillelmus nummum Theodosij Magni, quem nos suprà cap. 14. fol. 54. repræsentauimus, sed illius maior est, quam noster. Et in nostro deest canis, non sine latratu ad figuram sedētem respectans, quā quidem figuram exposui; etsi mens magis propendet in Constantinopolim.

Cap.28. attulimus nummos quosdam Caroli Magni, & Ludouici Imperatorum & Regum Franciæ. Edididit Guilhelmus non absimiles Ludouici IV. Cæsaris, vel, vt nummus habet, Imperatoris, quorum vas quoddam plenum repertum ait non procul Lugduno, & ex eorum numero non paucos sibi fuisse donatos; crucem habent serto inclusam & templum gemina cruce in medio scilicet & fastigio conspicuum.

Quod eodem capite in nummo quodam Ludouici inscriptionem refero ad Hellenismum, vt sit DOXESTATVS, quasi ἐνδοξότατος, id nescio num apud omnes fidem inuenturum sit. Scrupulum iniecit amplissimus Velserus. Et huic, opinor, Ortelius, qui hæc in thesauro Geographico. BATAVODVRVM *Tacito, Batauiæ opidum, quod Rhenanus, VVijck te Duersteten appellat. Duersteden, Diuæus. Vtroque modo vulgò vocatur. Dorestadum, quod nunc VVyck vocatur, legitur in vita S. Friderici Episcopi Traiectensis. Exstat nummus argenteus Ludouici Imp. Aug. cum pictura nauis, & inscriptione* DORESTATVS. *Mercatori omnino persuasum est, hodie VVadenberch eo loco esse, vbi Ptolemæi* Βατανόδωρον. *De Dorestato vico scribit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, olim sub se habuisse quinquaginta parochiales Ecclesias.* Hæc ille. Eligat lector, quod lubet. Ego ipsum nummum non vidi, sed tantummodo ectypon, in quo litteræ non satis liquent.

Cap.21. Mentionem feci nummi cuiusdam crucigeri, in quo Iustinianus & Tiberius. Monueram referendum videri ad Iustinianum Iuniorem. De Tiberio non liquebat. Dubitantem expediuit præstantissimus Velserus: qui hæc ad me. *Nummus Iustiniani & Tiberij nominibus inscriptus, sine controuersia ad Iustinianum Iuniorem pertinet, non quidem vt Tiberium Absimarum referat. hunc enim simul cum aduersario effictum esse incredibile rectè statuis, sed Tiberium filium, quem Panuinius in Fastis Tiberium Heraclium Constantinum nominat. Miscella pag. 622. Ingolstad. edit. At ille* (Iustinianus) *misso Theophylacto Cubiculario, duxit Theodoram, & filium eius Tiberium, & coronauit eos, & imperauére simul cum ipso.*

Nummus cuius mentio fit cap. 27. fol. 107. v. 1. est iste.





Cap. 27. fol. 108. v. 8. post *decimum septimum*. Adde. En tibi ipsum numisma, cuius antea quoque ex Ant. Augustino mentio facta est.



Inter signa Regum Romanorum, & Imperatorum Occidentis à Carolo

Carolo Magno ferè ſemper crucem reperies apud Onuphrium lib.3. de Romanis Principibus.


Quod ad Pontifices Romanos attinet, tametſi omnes Pontifices Romani, vt Apoſtolici, Apoſtolica clauium S. Petri, in formam crucis commiſſæ gerant inſignia, eaque à S. Petro, vel potius Chriſto Pont. Max. primo, hæreditaria: tamen complures, ſanctæ crucis inſignibus pro inſignibus, pro ſua ſunt vſu pietate. E tanto numero iſtos ſeligo. Nam Bonifacius IV. quaternas cruces, quintam decuſſatam ambientes obtinet. Sixtus III. qui Baſilicam D. Virg. maiorem inſtaurauit (vt ex vetuſtis in abſide literis patet) Gelaſius item I. Sergius II. & III. vt & Adeodatus Pontifex Conſtantinianum



pro ſigno ſuo tenuerunt.

Et vt Leonem IV. omittam, qui nomini ſuo ſanctam crucem ſupereminentem; & Leonem IX. qui geminatim immiſſas, liligeras cruces pro inſignibus geſſit, prætercam, Gregorius VII. ſignum crucis, haſtæ velut Labaro deſuper affixæ, quam Leo, procul dubio ille, qui *de tribu Iuda vicit*, ſuſtineret, pro inſignibus habuit, & verò Chriſti, quantũuis potentes hoſtes, hiſce ſanctæ crucis viribus deuicit. Inſigne S. Gregorij Magni Pont. Rom. fuit ✱ circulo incluſum quod duo erecti leones tenent. Iam verò Regnorum & vrbium digmata ſtaurophora perſequi velle; neſcio num operæprecium futurum ſit. Fecimus id breuiter, vt res ferebat, tom. 1. de S. cruce libr. 2. Veniamus ergo ad alia.

Inter cæteras inſcriptiones, quæ continentur in vaſto illo Romanarum inſcriptionum gemino volumine; hanc quoque reperi, repertam in tabula marmorea, *ex publica piſcina eruta prope Armiluſtrium in vinea.*



Si cui mens diuina, is diuinet, de ſenſu huius inſcriptionis. Crux certè in illa manifeſta, cum ſolenni illo Græcorum, IESVS CHRISTVS VINCIT.

Appendix de crucibus ſub Maximiliano I. Imperatore paßim & mirabiliter in corporibus hominum calitus formatis.

Diximus de his tom.1. de S.Cruce. lib.3. c. 310. cùm ex aliis, tum ex Franciſco Pico Mirandul. qui poemate & longo & erudito ad Maxiliani I. Imperat. has tam admirandas & toti Germaniæ ſpectatas crucis apparitiones celebrauit. Inter cætera ſic canit.

Hic demiſſa recens populi myſteria mirū
Attoniti inſpectant homines, paßimque ſtupentes
Inſcribunt puro delapſa inſignia cælo
Sanguinolenta crucis claris memoranda triumphis.
Effigies latè ſpectatur, ſpongia, flagra
Viſuntur, tunica inconſutilis intima, claui
Cernuntur multò madefacti ſanguine, telum
Quod ſacram ſæuo diſcreuerat impete coſtam
Pingitur, excubitor criſta ſpectabilis ales,
Tergeminique micant tali, quos inclyta Chriſti
Iecerat innocui ſortitus tegmina miles.
Non ignota cano, Cæſar monſtrauit, & ipſi
Vidimus, innumeros prompſit Germania teſtes.

Hæc & plurima alia Mirãdulanus, quæ vel in ipſius *Stauroſticho* (ſic enim poema hoc inſcripſit) vel in tertio libro Tomi primi de ſancta cruce leges. Accipe hîc duas figuras, iam olim efformatas & nunc denuò effictas, in quibus, quæ Mirandulanus canit, facile agnoſces. Imagini-





Imagi-

Imaginibus istis,& Dominicæ passionis instrumentis, quæ mortalium corporibus diuinitus impressa fuêre, clarissimam lucem accendet Mirandulanus: (Nam vt hîc omnia repetam, quæ iam alibi explicata sunt, tempus non sinit) qui Maximilianum Cæsarem in epistola dedicatoria ita affatur. *Monstrasti dum essem apud te in Germania, cruces, clauos, lanceas, & alia pleraque, cælesti quadam, nec visibili pluuia delineata, &c. Vidi & ipse postquam à tua Maiestate discessi in Italiam rediturus multa, quæ non modò fidem rei iam vulgatæ adstruerent, sed maiorem multò demirationem incuterent, & vniuersam penè Germaniam ad cælestia prodigia religionis ergò commouerent.* Hæc Mirandulanus soluta oratione ad Maximilianum; in cuius poemate hoc obseruatu dignum, quod eundem Principem ad Cruciatam instituendam cohortatur his versibus:

Sopitam turbis sacrato pollice barbam
Vellere ne pigeat, tua sunt hæc munia, Cæsar,
Stringere constantis fidei pro legibus ensem,
Insculptaque cruce infidos Mahometis alumnos
Pellere.

Ad quos Miranduli versus annotauit hæc verba Caluinianus, qui scriptores rerum Germanicarum sub Friderico III. & Maximiliano I. publicauit: *Passagio indicto.*

De iisdem crucib. hæc Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, volum. II. sub Anno M.D. vt citat scriptorũ Germaniæ Caluinianus Editor.

Anno prænotato *cruces apparuerunt in lineis vestimentis hominum, in camisiis, in linteaminibus, in mẽsalibus, in peplis mulierum, in albis sacerdotum, & corporalibus; nec solùm in his quæ quotidiana habebantur in vsu, sed etiam in illis, quæ abscondita iacebant in cistis, ad quæ nullus poterat aeris penetrare influxus. Cœperunt autem inprimis apparere circa Rhenum, ac deinde per totam Germaniam, in Sueuia, in Francia Orientali, in Austria, in Bohemia, in Saxonia, in Dacia, in Polonia, & in Hollandia, Brabantia, per Galliamque totam, non sine timore & horrore magno mortalium, subitò, & insperatæ apparuerunt, vt cadere quodammodo putarentur de cælo: ita quod aliquando cum salue Regina cantaretur in Ecclesia, quadraginta homines insigniti crucibus subitò viderentur, maximè in peplis mulieres. Erant autem cruces paruulæ, confusi aut subrubei coloris; vt, si pannus aliqua pinguedine mixti coloris fuisset intinctus: nec poterant aliqua lotione deleri, sed post nonum diem vt plurimum per se euanescebant. In quibusdam etiam cum crucibus magnis apparuerunt multæ cruces paruulæ, characteres in modum Græcarum litterarum: claui quoque, lancea, spinea corona, virga, flagella, & reliqua dominica passionis insignia: eratque videre terribile miraculum. Astantibus enim in Ecclesia Canonicis, apparuerunt subitò in*

in rhocketis eorum, simul & in pallis altarium, & praesertim in peplis mulierum non omnium, sed quarundam; & solùm in lineo panno, non in laneo. Magna mortalitas has cruces secuta est.

Hæc Trithemius. Similia ferè leguntur in Chronico Sponheimensi. Et quamuis Trithemius nihil dicat de crucibus, quæ ipsis hominum corporibus impressę fuerint; id tamẽ & Mirandulano, aliisque eiusdem ætatis scriptoribus compertum est.

De his ipsis Crucibus, præter auctores primo tomo adductos, scribit quoque Linturius in Appendice ad Fasciculum temporum. *Eodem anno*, nempe M. D. I. *cecidit de cælo circa Inuentionis sanctæ crucis festum, figura armorum passionis Christi sanguinea super peplum cuiusdam virginis in Mastrich: qua lauans peplum, post octauam supercecidit iterum sanguinea figura, nec deleri potuit de peplo crux Christi, corona spinea, lancea, flagella. Alij dicebant, quod etiam in Lubeck factum esset, & alibi in pluribus locis cruces ceciderunt rubri aut fusci coloris.*

Refert idem Linturius similes crucis apparitiones ad annum M. D. III. *Hoc*, inquit, *anno ceciderunt cruces in superiore Alemannia, in Norinberga, Ratisbona, Landshuta, & alibi, ad vestes virorum & mulierum; plus tamen mulierum, vt opinor, propter horribilem superbiam, luxuriam, auaritiam, homicidia, intrinseca bella, inobedientiam Ecclesiæ Catholicæ, & erga eius præcepta, & tribulationem cleri in eorum libertate, propter vim laicorum tunc regentium, & ordinem versum, quasi in omni statu. Fuerunt autem coloris fusci ad rubedinem declinantes, & secundùm superbia diuersos colores in togis & camisiis: quæ etiam in pauperibus tunc excellenter viguit: & omne malum regimen, prout suprà anno 1500. & 1501. in inferiori Alemannia, & Rheno factum est, vt isto loco diximus. Qui etiam cruces extinguere conati sunt, serpentes ad collum vsque ad introitum habuerunt, aut qui maledixerunt ipsis saltem. Sic Bambergæ, Egræ, in Hof, Culmbach, Misnia, Bohemia, totoque penè Romano imperio eadem cruces visæ sunt in vestibus hominum variis formis, secundum omnia arma passionum Christi.* Hæc Linturius.

Porrò cruces anno M. D. III. per Germaniam apparuisse, testantur quoque Continuatores Palmerij & Naucleri.

Addamus & hæc ex Linturio, quandoquidem ad Crucis apparitiones spectant. *Anno M. D. I. circa principium Quadragesimæ apparuit crux rubra magna cum corona regali, mane circa solem. Eodem anno cecidit de cælo crux sanguinolenta in Aquisgrano, quæ ad imaginem beatis Virginis ibidem collocatur. Eodem anno crux sanguine aspersa cecidit ad castrum quoddam circa Nurnberck.*

Idem Linturius Anno M. D. V. *Pragæ piscatores in Elba viderunt cadere super aquam in magno spatio è cælo quatuor nigras fuligines, & desuper signa*

ſigna rubea ſancta crucis. Hæc hoc loco de crucis apparitionibus ſufficiant.

Altera appendix, de quibuſdam Crucifixi imaginibus.

Miſit nuper Reuerendiſsimus & Illuſtriſsimus Dominus FRIDERICVS BORROMAEVS S.R.E. Cardinalis ampliſsimus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſsimus, ad clariſsimum Dominum MARCVM VELSERVM Reipubl. Auguſtanæ II. Virum, imagines quaſdam CHRISTI Crucifixi, ex variis archetypis, quæ Romæ & alibi viſuntur, expreſſas, ipſa vetuſtate mirabiles ſimul ac venerabiles; quas omnes, amice lector, formis effictas hoc loco tibi ſpectandas & piè contemplandas propoſuiſſem; niſi temporis breuitas obſtitiſſet, quo minus cogitata mea ad rem conferrem. quanquam lenius & leuius doleo, hæc à me in præſenti omitti debere; (quandoquidem id per tempus non licebat) quam quod in præteritis relinquẽda ſunt alia nõnulla non temporis iniuria; ſed eius, ſi minus fraude, certè teſtudinea tarditate, & ſupina negligentia, cui iam ante ſemeſtre in lignum incidenda commiſſa & tradita fuerant, qui diem ex die ducens tam me, quàm typographum vanis perficiendi maturè operis pollicitationibus eo vſque luſit & deluſit, donec mercatus Francofordienſis tempus appeteret, neque iam longior mora nobis libera eſſet, ne liber diutius in taberna libraria non ſine præſenti iactura ornatiſsimi Typographi hæreret, præſertim cùm Tomus iſte circa Natalem Domini expeditus fuerit; excepto hoc vltimo capite; cui ſola illa Norimbergenſis fallax cochlea moram adferebat; quam tandem ruptum iri ſperabamus; ſed fruſtrà. Verũ enimuerò, quæ nulla noſtra culpa iam non damus; dabimus, ſi Deus fauerit, alio tẽpore; vna cum ectypis imaginũ Crucifixi, quas, vt dicebamus, Illuſtriſsimus CARDINALIS BORROMAEVS miſit ad Dominum VELSERVM. Illas interea ſtylo depingam, quando coloribus non licet.

Prima igitur imago crucem immiſſam exhibet; quam Crucis Chriſti formam fuiſſe, probauimus tom. 1. de S. Cruce, libr. 1. cap. 2. Chriſtum repræſentat nudum, cum tegmine tamen ex pia & laudabili conſuetudine nunc adiungi ſolito, honeſtatis gratia. De quo tomo 1. libr. 1. cap. 22. Affixus viſitur Chriſtus clauis quaternis; ſingulis videlicet pedibus, vno; non ſine ligno ſuppedaneo. De clauis actum eſt tom. 1. libr. 1. cap. 19. & 20. De ligno ſuppedaneo cap. 30. Adſtat à dextra B. Virgo; à ſiniſtra, S. Ioannes. De quo tom. 1. lib. 2. cap. 4. In ipſa cruce duodecim columbæ apparent, quinque in crucis ſtipite ſub pedibus Chriſti, lignoque ſuppedaneo; quorum prima, tertia, &

quinta, ad dextram Christi respiciunt; secunda & quarta ad sinistram. In ligno transuerso duæ sunt, quæ vultum ad dexteram Christi obuertunt. Totidem, quæ ad læuam. Supra caput Christi in ligno exstante, tres conspiciuntur, quarum suprema ad læuam; media ad dextrum; tertia, quæ capiti Christi proximè insistit, itidem ad læuam respectat. Per duodecim columbas insinuari duodecim Apostolos docuimus ex S. Paulino hoc ipso libro cap. 24. & tom. 1. libr. 2. cap. 11. Quanquam idem Paulinus epist. 12. ad Seuerum, vbi dixerat columbas esse Apostolorum symbolum, aliam itidem significationem adfert his versibus:

Ardua florifera crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore madet.
Quæque super signum resident cæleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Paulò pòst:

Nos quoque perficies placitas tibi Christe columbas,
Et vigeat puris pars tua pectoribus.

Cuiusmodi columba erat cælestis illa sponsa in Canticis, quam compellat & inuitat cælestis sponsus in Canticis. *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni, &c. columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, &c.* Quæ sunt ista *foramina petræ*, nisi vulnera petræ illius, de qua Apostolus: *Petra autem erat Christus?* Quæ istæ *cauernæ maceriæ*; nisi sanctæ crucis rami, in quibus columbæ istæ nidificant? *Simplex animal & lætum est*, inquit de columba S. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, *non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, vnius domus consortia nosse, cum generant simul filios edere, cùm commeant volatibus simul cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur.*

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam, inquit Propheta Psalm. 54. Quo volabis? Ad crucem Christi? vbi requiesces? In cruce Christi? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et tamen non sicut coruo*, inquit S. Augustinus; *columba à molestiis quærit auolationem, sed non amittit dilectionem. Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba, die noctuque gemit, tanquam hic posita, vbi gemendum est.* In cruce videlicet Christi Redemptoris nostri. Hæc lignum iam olim ex arca Noëtica emissa retulit ad arcam, tanquam speratæ salutis argumentum. *Dimisit columbam,*

inquit

inquit S. Ambrosius de Noë, libr. de [iis qui mysteriis] initiantur cap. 3. *quæ cum ramo olei legitur reuertisse. Vides aquam? Vides lignum? Columbam aspicis, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur, vt abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Iesus, cùm pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit Spiritus sanctus, &c. qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inspirat.* Hæc S. Ambrosius.

Altera Crucifixi imago Christum quatuor clauis affixum repræsentat; absque tamen ligno suppedaneo; Cruci adsistit B. Virgo & S. Ioannes librum manu sinistra gerens. Figura crucis speciem immissæ refert; in cuius cacumine hæret tabella, cui titulus inscriptus fuit; de qua satis actum tom. 1. lib. 1. cap. 27. 28. 29. Supra transuersum crucis lignum sol & luna apparent; ille quidem à dextris; hæc à sinistris. Christus brachia nudus, toto reliquo corpore vsque ad talos tunica vestitus est. De vestitis Crucifixi imaginibus, vide quæ diximus tom. 1. lib. 1. cap. 22. Habet hæc ipsa imago in basi crucis, qua terræ immittitur, tres quatuorne quasi contos & ἀντηρίδια firmamenti gratia; vt eo immobilius subsistat, de quibus tom. 1. lib. 1. cap. 30.

Tertia imago longè est elegantissima. Quatuor claui. Lignũ suppedaneũ Crux commissa, non immissa. Cui supernè tabella tituli affixa. Rubra tunica Christus vestitus; absq; tamen manicis. Nec dubito allusum ad illud Esaiæ cap. 63. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & degentibus non est vir mecum; calcaui eos in furore meo, & calcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Cui proinde sponsa meritò accinat illud ex Canticis cap. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus brachiis; rubicundus, reliquo corpore.

Quarta est imago S. Petri crucifixi. Capite deorsum verso, vt habet veterum traditio. Crux non est decussata, sed immissa, similis prorsus cruci Christi. Tunica vestitus in cruce pendet; quæ etiam brachia tegit. Funibus ad crucem adstrictus; non clauis confixus. Alij clauis affixum tradunt. De quo vide tom. 1. lib. 1. cap. 21.

FINIS LIBRI PRIMI.



IN LIBRVM I.

INDEX.

Basi-

Petro-

FINIS.

TOMI TOTIVS
ERRATA MENDASQVE
SIC EMENDA.

LIBRO PRIMO.

PAG.5. vers. 5. à fine: Stelite, pro Stylite. p.6.v.5. munismate, pro numismate. p.8.v.24. dependontem, pro dependentem. ibi. sequenti versu lege: quapropter & in nummis, &c. p.10.v. 6. Missenus:, pro Misenus. & seq. p.17.v.22. coronam, lege corona. p.41. negligentia iconographi prætermissum est schema ☧ super clypeum Decentij Imp. p.48.v.3 geminatum, pro gemmatum. p.53.v.vlt. Nō: tolle hunc custodem: & substitue: Figu- p.70.v.10. frequeus, pro frequens. p.87.v.2. oportuerit. pro potuerit. In indice columna 3. de Caluinistarum in imagines sacras furore, pro Nouioduni, lege Nouiomi.

LIBB. II. III. IV.

PAG.4.v.9. Accipere, pro Accepère. p.v.5. rucem, pro crucem. p.27.v.1. prædigia, lege prodigia. ib.v.9. visone, lege visione. p.35.v.13. sibi, lege tibi. ib. v. 31. lege apparuit. p.40.v.23. comparait, pro comparuit. p.57.v. 24. laceam, pro lanceam. p.66. exeritum, pro exercitum. p.84.v.26. Instrauerant, lege intrauerant. p. 112. v.9. ptoerat, lege poterat. p.126.v.19. quinos: lege quinq; quinos. p.143.v.5. à fine, furialites, pro furialiter. p.161.v.8. enutriri, pro enutriti. p.189.v.8. affingunt, lege affingant. p.192.v.30. exprimento, pro experimento. p.194.v.21. festur, lege fertur. p.210.v.20. Ortesius, lege Ortelius. p.218.v. antepenult. refrigero, lege refrigerio. p.245.v.25. ebodum, lege ergo Rhodum. p. 248.v.24. pro redirent, repone, redeūt. p.256.v.8. nubile, lege nobile. ib.v. vlt. staus, lege stant. ib.v.8. à fin. ac, pro &. p.267.v.25. Victoria &c. parta, pro victoria partæ. 268.v.9. Constantini, pro Cōstantinus. p.270.v.5. à fin. τταρνιχῦ προτυεσυ. p.290.v.24. intellexit, pro intellexi. p.297.v.24. Ecclesia pro Ecclesia. p.303.v.6. Appstolo, pro Apostolo p.306.v.28. Langus, pro Langius. p.322.v.3. expres, pro expers. pag. 345. v. 5. Valentiano, pro Valentiniano. p.347.v.3. verissimilis, pro verisimilis. p.352. Clauinistica, pro Caluinistica p.354. v.8. à fine, Soxomenus, pro Sozomen. p.356.v.9. positum, pro positam. p.357.v. penult. cunctis pro cūctos. p.400. Icononachi, pro Iconomachi. p.416. v.17. vocat, pro vocant. p. 436. v. 1. membre, pro membra. p.446.v.vlt. a, pro re. p.447.v.2. ὀικκλησιοδρχας, pro ἐκκλησιάρχ. p.495.v.13. decantissimum, pro decantatissimum. p.520.v. 2. fesiderio, pro desiderio. p.520.v.3. tertia, lege quartæ.

LIB. V. SEV PARALIPOM.

PAG.3.v.6. ante fin. magis, pro magnis. p. 6. v. 15. desixit, pro defixit. p.24. v.17. procubebat, pro procumbebat. p. 57. v. 13. Flauillam, pro Flaccillam. p. 70. v.18. terribibi, pro terribili. p.116.v. antepen. IPSALI, pro ISPALI. Reliqua minutiæ vel acutum, vel accuratum lectorem non remorabuntur.

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

Tertij Tomi

DE CRVCE CHRISTI,

LIBER SECVNDVS

Qui eſt

DE CRVCIATIS EXPEDITIONIBVS IN TERRAM SANCTAM.

Acceßit

APOLOGIA PRO CRVCIATA MILITIA,

Aduerſus

HÆRETICAS CALVMNIAS REINERI REINECCII ET MATTHAEI DRESSERI.

PROGRAMMA DE EXPEDITIONIBVS AD TERRAM S. RECVPERANDAM.

PErfida cùm SOLYMO *sæuirent sæcula campo,*
Seruaq́; barbaricum ferret IDVMA *iugum:*
Clausa peregrinos optabant mœnia cœtus,
Et non concessas squallida templa preces:
Et limen quod aui tot quæsiuêre, Patresq́;,
Tunc cœpit Patres quærere, cœpit auos.
Et toties genibus reptata SACRARIA *nudis,*
Et toties madidis tacta SEPVLCHRA *genis,*
Et toties repetita pio VESTIGIA *fletu,*
Arida tunc mœsto consenuêre situ.
Sed cùm TARPEII *vigilaret cura Parentis,*
Bella per occiduas gessit IDVMA *manus.*
TVLLINGI *venêre Duces, venêre* BRITANNI,
Venit IAPYGIIS DAVNIA *turba plagis,*
Vidimus AVSONIOS, *ensesq́; nitere* SICANOS,
Et GERMANORVM *vidimus arma* DVCVM.
Tunc iterum occiduis viguerunt cœtibus vrbes,
Tunc iterum pelago sunt data iura Syro.
Tunc iterum Solymi caluerunt marmora Busti,
Tunc iterum tutas audiit ara preces.
Hæc veterum, dices, exempla fuêre parentum:
Vidimus; at quando posteritatis erunt?



TOMI TERTII DE CRVCE CHRISTI

LIBER SECVNDVS,

DE CRVCIATIS EXPEDITIONIBVS.

ALTERVM hunc tertij tomi de Cruce Christi librum dare placuit expeditionibus in Palæstinam, quæ à Cruce Cruciatarum *nomen inuenerunt, quas ad Crucis gloriam illustrandam pertinere, nemo nisi vel Crucis osor, vel in hac sacra militia peregrinus planè & hospes inficiabitur: tot enim in his apparent sacratissimæ Crucis decora, tot, vt sic loquar, adoreæ, coronæ, & trophæa; vt non iniuriâ dubitare liceat, vtrum vnquam post repertam, & ex terræ visceribus ab Helena Augusta erutam crucem, grandiora & mirabiliora miracula, virtute salutiferæ Crucis, patrata fuerint; quæ tamen Centuriatores Magdeburgenses ad finem Centuriæ vndecimæ, in Epitome belli sacri penitus dissimulant, nec vel semel Crucem nominare dignantur, tantum abest, vt insignes illas omniq; æuo memorabiles victorias, quas fortissimi & inuictissimi Heroës à Mahometanis reportarunt, Cruci in acceptis referant, ei nimirum hoc suo silentio gratum facientes, qui iam olim ad crucem eiusq; mentionem cohorrescit, nō ignarus quantas per crucem clades acceperit. Sed quæ victricia Crucis opera Nouatores illi tegere studuerunt, ea nos retegamus, & in omnium conspectu ponamus ad laudem & gloriam Crucis, eiusq; qui nos in Cruce redemit.*

CAPVT PRIMVM.

Quid sit prædicare Crucem: quæ ratio huius locutionis. A quibus prædicatio Crucis facta. Aduersus quos.



LICET prima & antiqua notione Crucem prædicare, nihil aliud sit quàm doctrinam, Christi crucifixi, & vt Apostolus vocat, *Verbum Crucis*, mortalibus annunciare; tamen post annum Redemptoris nostri millesimum locutio hæc aliam significationem induit; quia Crucem prædicare est, non ære, sed voce *ciere viros*, sacrumq; Martem non cantu, sed piis exhortationibus accendere. Crucem, inquam, prædicare, est Christianos pro fidei defensione ad arma corripienda, nomenq; in militiam dandum publicis priuatisque concionibus & monitionibus, etiam per litteras, excitare; subditisq; piæ orationis facibus inflammare; & quasi quoddam classicum ad prælia Domini alacriter præliandа canere.

1.Cor.1.

Quæ cohortatio rectè, multas ob caussas, prædicatio Crucis appellatur. Primò, quia instituitur pro conseruatione & propagatione religionis Christianæ; quæ nihil aliud est, quàm professio Crucis & Crucifixi; cum Apostolo enim libere exclamat Christiana religio. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo.* Et licet latinus interpres retulerit illud Græcum δι' ὃν, ad Christum; potest tamen etiam commodo & vero sensu referri ad Crucem; *δι' ὃν σταυρὸν, per quam crucem* mihi mundus crucifixus est; & ego mundo. Ad eandem quoque Christianam fidem pertinet illud Apostoli: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Cùm ergo fides nostra sit professio Crucis, meritò is, qui ad defensionem fidei torpentes exstimulat, Crucem prędicare dicitur: vt taceam notionem Crucis metaphoricam, qua pro calamitatibus & aduersitatibus vsurpatur: nam & hac ratione religio Christiana professio Crucis est; & prædicatio Crucis, annunciatio calamitatum & angustiarum, quibus fideles in hac vita exercentur. Verum est enim illud Apostoli oraculum: *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et illud Domini: *amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Galat.6.

1.Cor.2.

2.Tim 3.
Ioan.16.

Secundò, quia si originem huius sacræ consuetudinis intueri velimus, videbimus eam initiò introductam eo fine, vt Crux illa, in qua Dominus passus, & locus, vbi crux Redemptori nostro decreta & fixa fuerat, ex impiorum manibus extorqueretur, & in libertatem

Christianam vindicaretur? Meritò igitur cohortatio illa ad bellum, dicta est *prædicatio Crucis*; vtpote cuius finis erat recuperatio Crucis; Meritò etiam eadem appellatio retenta est: quoties per Christianum orbem concionatores missi, qui fidelium arma contra infidelium vim & impressionem suscitarunt: vocatur enim Crucis prædicatio respectu & analogia quadam ad primam Crucis prædicationem; in qua de ipsa Cruce Christi recipienda tractabatur.

Tertia caussa huius nomenclaturę, & quidem potissima, est; quòd quibus committitur munus excitandi Christianos ad propugnationem fidei; id inprimis conētur efficere, vt qui nomina sua in illam sacram militiam daturi sunt: Crucis signo insigniātur; & hoc charactere palam profiteantur, se iam in exercitum *Crucifixi* cooptatos esse; iamq; sub crucis auspiciis se merere, ac stipēdia facere velle. Iure igitur cohortatio illa, prædicatio Crucis nominatur; quia scopus eius est; vt auditores signum Crucis assumant, eo modo & ritu, de quo statim plura.

Munere hoc prædicandæ Crucis functi sunt olim ipsi Pontifices, per literas & *Breuia* Apostolica; & absque his proprio ore & labore non semel. Missu & iussu Pontificis idem munus obierunt aliquando Cardinales, aliquando Episcopi; interdum alij pietate, vitæ integritate, doctrina & eloquentia conspicui viri: quos nominatim indicabimus, cùm de singulis prædicationibus Crucis in specie agemus.

Est autem Crux primò & primariò prædicata aduersus Mahometanos seu Saracenos; qui Palæstinam, ipsamque Hierosolymam & omnia Christi contactu & præsentia consecrata loca occuparāt. Deinde contra eosdem in Hispania & alibi in Christianorum prouinciis violenter subactis degentes. Postea contra Hæreticos, maximè Albigēses in Gallia; & Hussitas in Boëmia: præterea aduersus Idololatras. Otto Frisingensis de Saxonibus, cum crux contra Saracenos in Syria tempore Conradi Imperatoris, prędicaretur. *Saxones, quia quasdā gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad orientem proficisci abnuentes, cruces itidem easdem gentes bello attentaturi assumpserunt.* Arnoldus Lubecensis de expeditionib. aduersus Liuones Idololatras. *Prædicationis instantia nonnulli sublimes & nobiles signaculo S. Crucis insigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel potius ad cultū Christi perdomandas, iter peregrinationis arripiunt.* Deniq; aduersus Ecclesiasticę pacis & libertatis perturbatores Crux aliquando prædicata est: Exempla suis locis proferentur. Hic vnum ex rebus gestis S. Ludouici deproromptum sufficiat: *Tunc quoq., (anno 1245.) circa fines Hanoniæ vel Alemanniæ Crux prædicabatur hominibus auctoritate Domini Papæ, vt irent contra Conradū Friderici filium in auxilium Landgrauij Thuringiæ Ducis.*

Vide Ioan. Marianam lib. 11. de rebus Hisp. cap. 23. & lib. 12. cap. 2.

Cochl. in Hist. Hussit.

Otto lib. 1. de gestis Fred. I cap. 40.

Arnold. lib. 7. Chron. cap. 9.

CAPVT II.

De Cruce assumpta; qua & qualis fuerit: quo ritu accepta. Tandem quid Cruciata.



SACRAE igitur militiæ character erat *Crux*; nota & distinctionis & agnitionis; quæ apud Historicos illis locutionibus occasionem dedit: *Signari, Cruce signari. Crucem sumere, assumere, accipere*, & id genus aliis. Otto Frisingensis Antistes. *Cunctis, qui aderant, ex priori rumore excitatis ad accipiendam crucem vltrò accurrentibus. Accipere eadem hora crucem tres Episcopi, &c. Dux Boëmorum Ladeslaus & Stirensis Marchio, &c. Cruces accepêre.* Idem de Ludouico Rege Francorum. *Ludouicus Francorum Rex, crucem, à prætaxato Abbate (Bernardo) cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est.*

Otth. lib. 1. de Frid. I. cap. 40.

cap. 36.

In gestis Ludouici Regis. *Nec defuit ibi S. Bernardus Clareuallis Abbas, qui cum quibusdam de prælatis de assumptione Crucis prædicans monuit Barones & populum, vt ad vindicandas Christi iniurias viribus totis insurgerent, &c. Rex primus prosiliens cum magno deuotionis ardore signum S. Crucis assumpsit. Et post ipsum Regina, etc. Tunc videntes Regem & Reginam signum crucis assumpsisse, etc. isti, quos litera nominabit, Crucem vnanimiter assumpserunt, &c.*

Edidit Pith. fol. 138.

Petrus Blesensis de nonnullis sacram hanc militiam professis; sed vitam Cruci diuinę non consentaneam agentibus: *Quidam signati sunt; sed non est in eis signatum lumen vultus tui Domine, &c. Adhuc dico, signati sunt: sed non ab eo, qui filium suum Iesum signauit, & misit.* Sigebertus, & ex illo Vincentius. *Signo sanctæ Crucis signati & armati vltum ire parant iniurias Dei in hostes Christiani nominis.*

Bles. in Tract. de peregrinat. Hierosol.
Sigeb. in Chron. Vincent. lib. 25. Specul. Histor. cap. 112.

Hinc milites isti absolutè dicebantur *Signati*. Abbas Vrspergensis. *Vndecunque augebatur quotidie circacircum signatorum numerus.* Etiam *Cruciati*. Godefridus in Annalibus. *Et quicunque Cruciati sunt ad hoc iter expediti occurrant.* Ipse exercitus, crucifer. Abbas. *Designata sunt ad præsens in Domini militiam circiter centum millia virorum, ex Aquitania scilicet atque Normannia, &c. Crucis signaculum in vestibus, id est, verè crucifer exercitus, ad mortificationis præferebat commonitorium.* Ob idem signum appellat idem chronographus exercitum istum *cœlestis militiæ stigmate insignitum*. Ab eodem Crucis signo ipsi expeditioni Cruciatæ nomen venit. Sigonius. *Qui in eam expeditionem profecti sunt; Cruce signati, & ipsa expeditio Cruciata vocata est.*

Vrsp. in Chron.

Sigonius lib. 9. de regno Ital.

Ferebatur autem crux palam in vestimento ad dextrum humerum; idq; mandato summi Pontificis. Bertoldus Constantiensis. *Omnes qui se ad hoc iter deuouerunt, signo Crucis seipsos in vestibus notare fecit.* nimirum Vrbanus Pontifex. Vrbanus Pontif. orat. ad Synodum Claromontanam

Bertol. in Chron.

montanam apud Malmesburiensem. *Ituri specimen Crucis vestibus insigniant, vt intestinæ fidei foras amorem prætendant.* In Fragmento Historiæ Francicæ edito à Pithœo: *Hierosolymam tendunt, Cruce Christi insignitis desuper vestibus. Sic enim præceperat Dominus Apostolicus, vt quicunque ad hoc bellum, faciente Christi gratia, proficisceretur, rucem eiusdem in vna suarum ferret vestium.* VVilhelmus Tyrius. *Conuenerat apud omnes, & idipsum de mandato Domini Papæ iniunctum fuerat, vt quotquot prædictæ viæ voto se obligarẽt, viuificæ Crucis salutare signum vestibus imprimerent, & in humeris illius sibi portarẽt memoriam, cuius passionis locũ instare proposuerant.* Otto Frisingensis de Saxonibus, qui Cruces assumpserant aduersus Idololatras. *A nostris in hoc distabant, quod non simpliciter vestibus assutæ* (Cruces) *Sed à rota subterposita, in altum protendebãtur.* Iacobus de Vitriaco. *Signo salutiferæ Crucis affixo, sese voto peregrinationis Domino obligauerunt.* Sigonius. *Signum eius expeditionis fuit crux è purpureo panno confecta, quam primus è Pontificibus Vrbanus, salutaris in signum expiationis, indulsit, vestibus super dextram scapulam affigendam.*

Tyr. lib. 1. Belli sacri. cap. 16.

Vitr. lib. de Hist. Orient.

Sigon. lib. 9. de regno Italiæ.

Neque semper crux omnibus eiusdem coloris. Rogerus de Houeden in Annalibus Anglicis. *Rex Franciæ & gens sua susceperunt cruces rubeas, & Rex Angliæ cum gente sua suscepit Cruces albas. Et Philippus comes Flandriæ cum gente sua suscepit cruces virides*: Et hoc etiam propterea; vt quiuis princeps suos agnosceret. Auctor Stemmatum Lotharingiæ Ducum. *Illorum dextrum humerum Cruce lanea rubra pontifex decorauit, qua in ipso conflictu vterentur, insutamq́; paludamento præ se ferrent.* Apud Robertum Monachum monet Vrbanus Pontif. profecturos ad bellum, crucem in fronte seu pectore præferre, *qui verò inde compos voti regredi voluerit, inter scapulas retrò ponat*; inquit Pontif. vt quidem à Roberto loqui inducitur. Robertus. *Cùm requireret* (Boamundus) *quod signum gestarent peregrinationis, didicit, quòd aut in fronte, aut in scapulis dextris signum ferebant sanctæ Crucis.* Rodericus Toletanus de Vrbano II. *Qui primus substituit euntes in subsidium terræ sanctæ in dextro humero Crucis signaculo insigniri.* In dextro igitur humero gestabãt Crucem vestibus affixam; vel in fronte; quod accipiendum de anteriore parte pilei, ita vt Crux fronti immineret.

Roder. lib. 1. 6. de rebus Hisp. cap. 21.

Porrò quidam ipsimet Crucem assumebant, & vestibus assuebant; id enim Tyrij & Ottonis verba paulò ante adducta significant. Et quis credat in tanta hominum multitudine cuiuis semper solenni ritu & cæremonia crucem tradi potuisse? Alij crucem de manu Episcopi, aut alterius, qui crucem prædicasset, aut Ecclesiastica dignitate emineret, accipiebant. Anonymus de Friderico primo in terram sanctam expeditionem parante: *Ipse Christianissimus Imperator, & filius*

filius eius dux illustris Sueuiæ, multi quoque Episcopi & Principes, cum aliis viris sublimibus, de manu ipsius (Godefridi Episcopi Herbipolensis) *assumentes Crucis signaculum ibi publicè se voto & promissione itineris adstrinxerunt.* Eadē solénitate cum aliis quàm plurimis principibus Ecclesiasticis & politicis Crucem assumpsisse videtur, prędicante S. Bernardo, Ludouicus Rex Franciæ Ludouici Crassi filius; de quo iā supra; vt in gestis illius à Pithæo publicatis legimus: vbi & hæc produntur. *Rebus, quas prælibauimus, sic peractis, venerabilis Pontius Abbas de Verzeliaco, vt locus ille, in quo sancta congregatio Crucem assumpserat, tam nobilis facti memoriam in perpetuum retineret, in honorem S. Crucis Ecclesiam construxit, quam postea diuina potentia voluit multis miraculis illustrare.* Rigordus de loco, vbi Philippus Frāciæ & Henricus Rex Angliæ Cruces assumpserant. *In eodem loco, in monumentum huius facti, isti duo Reges deuotè erexerunt Crucem ligneam, fundantes ibi Ecclesiam, & inter se fœdus perpetuò percutientes, & vocantes ipsum locum sanctum agrum, eo quod ibi sacris Crucibus sunt insigniti.*

Innocentius III. Epistola ad Prælatos Franciæ: *cùm igitur nos ad subueniendum Hierosolymitanæ prouinciæ dilectis filiis nostris. N. Tit. S. Praxedis Presbytero, & N. Tit. S. Mariæ in Via Diac. Card. imposuerimus signum Crucis, &c.*

Benedicebantur porrò Cruces sacris militibus solenni ritu distribui & affigi solitæ. Exstat in Romano Rituali huiusmodi consecrandæ Crucis precatio.

De Benedictione & impositione Crucis proficiscentibus in subsidium & defensionem fidei Christianæ seu recuperationem terræ sanctæ.

Profecturus in subsidium & defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem terræ sanctæ, genu flectit ante Pontificem: coram quo vnus ministrorum tenet crucem benedicendam: illi imponendam. Tum Pontifex stans sine mitra dicit super Crucem.

Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

Omnipotens Deus, qui crucis signum precioso filij tui sanguine dedicasti: quiq; per eandem crucem filij tui Domini nostri Iesu Christi mundum redimere voluisti: & per virtutem eiusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti: te suppliciter exoramus: vt digneris hanc crucem paterna pietate bene- ✠ -dicere: & cælestem ei virtutem & gratiam impartire: vt quicunq; eam in passionis & crucis vnigeniti tui signum ad tutelam corporis & animæ super se gestauerit; cælestis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tua benedictionis accipere, quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam

bene-

benedixisti: ita & hoc signum tua dextera bene-✠-dic; & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impendas: vt portantibus illud, animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem: & spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Deinde Pontifex aspergit crucem ipsam aqua benedicta: & super recepturum ipsam dicit. *Oremus.*

Domine IESV *Christe fili* DEI *viui, qui es verus & omnipotens* DEVS: *splendor & imago Patris, & vita æterna: qui tuis discipulis asseruisti: vt quicunque vult post te venire semetipsum abneget: & suam crucem tollens, te sequatur: quæsumus immensam clementiam tuam: vt hunc famulum tuum, qui iuxta verbum tuum seipsum abnegare: suamq; crucem tollere: & te sequi: ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi properare & pugnare desiderat: semper & vbiq; protegas: ac à periculis omnibus eruas: & à vinculo peccatorum absoluas: acceptumq; votum ad effectum deducas optatum. Tu Domine, qui es via, veritas, & vita: & in te sperantium fortitudo: eius iter benè disponas: & prospera cuncta concedas: vt inter præsentis sæculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei Domine angelum tuum Raphaëlem: qui Tobiæ comes fuit in itinere suo: eiusq; Patrem à corporis cæcitate liberauit: & in eundo & redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles & inuisibiles hostis insidias: & omnem mentis & corporis ab eo cæcitatem repellat: Qui cum* DEO *Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Tum Pontifex sedens accepta mitra: imponit illi crucem, dicens:

Accipe signum crucis: In nomine Pa-✠-tris, & Fi-✠-lij, & Spiritus ✠ sancti: in figuram crucis, passionis & mortis Christi, ad tui corporis & animæ defensionem: vt diuinæ bonitatis gratia, post iter expletum: saluus & emendatus ad tuos valeas remeare. Per Christum Dominum nostrum. Demùm Pontifex aspergit cruce signatum aqua benedicta. Qui genuflexus osculatur manum Pontificis & discedit.

Nec cruces tantum ex Sacerdotum manibus cum certa precatione & benedictione accipiebant, sed & arma. Abbas Vrspergensis, *Omnibus vltra quàm credi potest cateruatim currentibus ad Ecclesias populis nouo ritu gladios cum fustibus & capsellis sacerdotalis benedictio dispartiuit.* Fortè per *fustes & capsellas* intelligit *baculos* & *sportas* peregrinorum; nam & has non sine sacerdotali benedictione iter ingressuri accipiebant. Rigordus de Philippo Rege Franciæ Hierosolymam profecturo. *Cum lacrymis ab oratione surgens sportam & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi auunculi sui Apostolica sedis Legati deuotissimè accepit.* In gestis Ludouici Regis, Filij Ludouici Crassi. *Venit Rex, vt moris est ad Ecclesiam beati Dionysij, à Martyribus licentiam accepturus, & ibi post celebrationē Missarum baculum peregrinationis & vexillum beati Dionysij,* *Rigord. de gestis Philippi R.*

B quod

quod Oriflambe Gallicè dicitur, valdè reuerenter accepit. Rogerus in Annalibus Anglicanis. *Perrexit Rex* (Angliæ Richardus) *Turonim, & ibi recepit peram & baculum peregrinationis suæ de manibus VVilhelmi Turonensis Archiepiscopi. Dumq; Rex se baculo fulciret, fractus est baculus.* quod mali ominis loco habitum.

Nec arma duntaxat & insignia seu symbola peregrinantium benedicebantur; sed & ipsi peregrinantes. Abbas Vrspergensis de Ademario Episcopo Podiensi: *Insignitum cœlestis militiæ stigmate exercitum, Apostolica benedictione consignans, condicto ab vniuersis tempore profectionis, ipse cum non modica expeditionis turma Italiam rediit.* Exstat in libro Rituali, qui *Sacerdotale Romanum* inscribitur, peculiaris formula, qua Hierosolymam abituris benè precari moris est. Addebatur etiam armis aliquando Crux. Helmoldus de expeditione Conradi Imperatoris & Ludouici Regis Franciæ. *Fuerunt signati titulo Crucis in vestibus & armatura.*

Helmold. lib. 1. Chron. cap. 60.

Cæterùm Crux semel assumpta non deponebatur, nisi persoluto peregrinationis voto. In gestis Ludouici Regis Ludouici Crassi filij. *Per totum annum integrum portauit Rex crucem constitutam in humeris à festo Resurrectionis vsq; ad aliam, & vlterius vsq; ad festum. quod dicitur Pentecostes.* Nec deerant huic *crucisignationi*, sic enim nominatur in vita S. Ludouici, miracula. *Nam signum Crucis quibusdam in ipsa carne notatum apparuit*, inquit Bertoldus seu Bernaldus Constantiensis, *vnde & à quamplurimis Dei ordinatione & inspiratione ipsum iter inceptum fuisse credebatur.* Abbas Vrspergensis. *Nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus, siue in quolibet loco corporis diuinitus impressum ostendebant, ipsoq; se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant.* Scribit Rogerus in Annalibus Anglicis, ea hora, qua Rex Galliæ Philippus, & Rex Angliæ Henricus crucem acceperant, *apparuisse supra eos signum Crucis in cælo.* Nec viri duntaxat, sed & mulieres signum Crucis accipiebant, vel vt maritos cruce signatos sequerentur; vel vt sepulchrum Domini religionis ergo adirent: vel, vt expensis suis, si opulentæ essent; militiam sacram iuuarent. Glaber Rudolphus: *Mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexêre.* & passim exstant exempla.

Rudolph. lib. 4. hist.

Caussa, cur crucem gestarint, varia redditur à scriptoribus: I. Vt aliquo modo ad imitationem Christi accederent, *Cuius*, vt inquit Tyrius, *passionis locum instare proposuerant; cui ad nostram redemptionem properanti factus est principatus eius super humerum eius:* II. Vt quodammodo satisfieret illi Domini mandato, & quidem *iuxta litteram, qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* III. *Vt*

Tyr. lib. 1. ca. 16.

Crucis

Crucis Christi discipulos verbo & opere se fore prædicarent, ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in Domino dimicarent, vt ait Otto Frisingensis. Ott.lib.7.ca.2.
Hinc etiam *milites crucis* appellati sunt: credebant enim, vt ait Abbas Vrspergensis, se, *in hoc signo, iuxta visionem Magno quondam Constantino reuelatam, ab inimicis crucis Christi triumphaturos*. IV. Vt, quod idem Auctor ait, *esset mortificationis commonitorium*. V. Vt signo externo declararent, quanto recuperandæ & ex manibus hostiũ liberandę Crucis Dominicæ desiderio tenerentur. Guillermus Brito de Philippo Rege Galliæ:

Cultumq; Dei decrescere totis
Visceribus doluit; Domini se velle sepulchrum
Visere proponens, quantoq; cor illius igne
Ferueat interius, signo notat exteriori.

Tandem, vt ad extremum ex illis, quæ titulus capitis proposuit, accedamus, *Cruciata*, & vt aliqui scribunt *Cruciada*, duo significat. I. Ipsam sacram expeditionem contra Saracenos, hæreticos, & id genus alios. II. Diploma, quo huiusmodi expeditio indicebatur. Cochlæus lib.6.Hist.Hussitarum de Iuliano Cardinali S.Angeli. *Afferebat Cardinalis ille plenissimas indulgentias, quas Cruciatas vocant, in perfidos Hussitas*. Posteà translata est hæc vox ad omnes litteras Apostolicas, quibus alicui vel indulgentia, vel aliqua alia gratia; vt facultas eligendi sibi quemcunque confessarium, conceditur, quæ notio nunc frequens est apud canonum Interpretes.

CAPVT III.

De voto Hierosolymitano.

NEQVE verò crucem duntaxat Christiani, Crucis recuperandæ desiderio inflammati, assumebant; sed & ad peregrinationem Hierosolymitanam voto sese obstringebant; imò ipsa solennis assumptio Crucis votum quodammodo existimabatur. Tyrius de prima in Palæstinam expeditione. *Non erat in regnis occidentalibus, qui aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor; aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant, omnes vnanimiter corde & ore votum profitebantur*. Iacobus de Vitriaco. *Signo salutiferæ crucis humeris suis affixo, sese voto peregrinationis Domino obligauerunt*. Bertoldus seu Bernaldus Constantiensis. *Omnes, qui se ad hoc iter deuouerunt, signo crucis seipsos in vestibus notare fecit*. Anonymus de Friderico Imp.& filio eius,

aliisque Principibus; *Assumentes Crucis signaculum ibi publicè se voto & promissione itineris adstrinxerunt.*

De quo postea voto variæ quæstiones exstiterunt, Ac inprimis, vtrum maritus, inuita coniuge, possit assumpta cruce votum Hierosolymitanæ profectionis Deo nuncupare. Ad quam quæstionem hunc in modum respondet Pontifex: *In tanta quoq; necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri, præter vxorum assensum, huius peregrinationis propositum vouere liberè valent: & quod vouerint, liberè adimplere: Vt autem consentiant, sunt attentius commonendæ.* Hæc Pontifex. Vbi glossa: *Specialissimus est casus iste, quod vir potest emittere votũ præter licentiam vxoris.* Fit nimirum hoc propter commune bonum Reipublicæ, cui meritò priuatum cedit: & votum hoc licitè voueri, docet Syluester V. *Votum, Quinto*, cum Reimundo, Innocentio, Ostiensi; Et verba Pontificis per se clara sunt; nec multa explicatione egent. cui doctrinæ aduersari videtur S.Thomas, qui in *Quodlibetis suis* hanc quæstionem proponens: *Vtrum vir possit accipere crucem ad transfretandum vltra mare, nolente vxore, si de eius incontinentia timeatur*: Respondet; *ea, quæ sunt necessitatis, non esse prætermittenda propter ea, quæ sunt propriæ voluntatis: Ex necessitate autem viro impositum esse, vt gerat curam vxoris, eò quod vir sit caput mulieris; accipere verò crucem & mare traiicere, in cuiusuis arbitrio consistere. Hinc si vxor sit talis, quæ sequi non possit maritum, propter legitimum impedimentum, & de eius incontinentia timeatur, suadendum non esse, vt dimissa vxore accipiat crucem; secus autem, si vxor continere voluntariè proponat, vel velit, & possit sequi virum suum.* Hæc S.Thomas.

Cap. Ex multa ext. de Voto & Voti redempt.

S.Thom.Quod. 4.art.11.

Alij tamen absque distinctione docent, votum hoc, inuita vxore, suscipere ius fasque esse: nam communis Ecclesiæ necessitas, & amor, quo eidem obligati sumus, præponderat priuato nexui, quo quis obligatus est vxori, præsertim cùm periculum illud incontinẽtiæ, precibus ad Deum fusis, & id genus aliis mediis, cum diuina gratia, quæ omnibus præsto est, vitari, omnesque carnis illecebræ superari possint. Et quamuis personæ, cuius continentia periclitatur, consultius foret, si maritus tale votum non emitteret; consultius tamen est Reipublicæ vt emittat. Imò non desunt Doctores, inter quos Ostiensis citatus à Syluestro, & Panormitanus citatus à Nauarro, & ipse Nauarrus, qui arbitrantur, vxorem quoque, quantumuis reclamante marito, peregrinationem Hierosolymitanam licitè & validè vouere posse: præsertim si ea sit conditione; vt impensa sua aliquos, qui pro terra sancta propugnent, sustentare possit.

Nauar. cap.12. Man. num.62.

Voti huius executionem, legitima ex caussa, præsertim sedis Apostolicæ auctoritate & iussione, potuisse aliquandiu differri; exploratum est apud omnes Doctores: nam, vt Pontifex dicit: *Non est*

voti

voti dicendus transgressor, qui quod vouit, auctoritate sedis Apostolicæ distulit adimplere. Quocirca mandauit Innocentius III. Strigoniensi Archiepiscopo, ne, tametsi iam voto obstrictus, iter Hierosolymitanum iniret; donec turbatus Hungarici regni status tranquillaretur; quia absentia eius non parum detrimenti Regno allatura erat. At verò Andream Ducem, Regis Hungariæ filium, idem Pontifex ad celerem voti solutionem; etiam anathematis & regni amittendi metu proposito adegit: *Licet*, inquit, *vniuersis liberum sit arbitrium in vouendo, vsque adeò tamen solutio necessaria est post votum, vt sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire. Accepimus siquidem, quod cum Rex Hungariæ Pater tuus agens in extremis, votum, quod vouerat Domino, Hierosolymitanam prouinciam in forti manu, humili corde visitare, sub interminatione maledictionis paternæ commiserit tuæ fidei exequendum, & tu assumpto Crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione qualibet promisisti, &c. mandamus, quatenus postpositis cæteris sollicitudinibus vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis, debitum acceptæ Crucis exsoluens, propositum iter arripias, & humiliter prosequaris: ne si onus tibi à patre iniunctum, & à te sponte susceptum, occasione qualibet detrectaueris, paterna te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priueris, cuius recusaueris onera supportare: sciturus ex tunc anathematis te vinculo subiacere: & iure, quod tibi, si dictus Rex, sine prole decederet, in regno Hungariæ competebat, ordine genituræ, priuandum, & regnum ipsum ad minorem fratrem tuum, appellatione postposita, deuoluendum.* Hæc Pontifex, qui Andream successorem Regni ad solutionem voti compulit; quia sponte sua id in se receperat: alioqui non potuisset compelli; Nam votum *personale* cuiusmodi est quod de peregrinatione quapiam nuncupatur, non transmittitur ad hæredem, nisi hæres volens libensque illud amplectatur; vt docet Syluester ex Reimundo & Paludano; & Nauarrus.

Cap Non est Ext. de Voto, &c.

Cap. Licet. Extra de Voto, etc.

Exstat inter epist. Innocent. pag. 5.

Syluest. V. Votum 2. Nauar. in Man. cap. 12. num 56.

Iure porrò ad solutionem voti Hierosolymitani adigebantur; quia præceptum Domini est: *Vouete & reddite.* Cito nimirum, si nihil aliud sit impedimento; nam vt hilarem, ita & celerem datorem diligit Deus. *Si quid vouisti, ne moreris reddere,* monet vox diuina. Periculum enim *est in mora*, vt vulgo dici solet; hic præsertim, vbi cum gente ad arma tam prompta, & ad perniciem Christianis struendam tam attenta & vigilante negotium erat.

Psalm. 75.

2 Cor. 9.

Eccles. 5.

Quanta quæso insania est, ait Petrus Blesensis scribens aduersus illos, qui diem ex die ducebant; & opem, quam Christianis non modò ex charitate, sed & ex voto ferre debebant; procrastinabant, *in tam anxiæ necessitatis articulo dilationes mittere, innectere viam, protelare salutem, Christi dissimulare iniurias, permittere, vt lupus in ouile desæuiat, & tunc primò parare subsidium, cùm oues deuorauerit vniuersas. Certè qui opportunitatem deserit, oppor-*

Blesens. Tract. de peregrin. Hierosol.

 portu-

portunitas eum fugit. Filij hominum vsquequo graui corde? Quomodo estis ad salutaria pigri, ad vana & caduca solliciti? Numquid vinitores exspectant donec vindemia transeat, aut institores, donec nundinæ finiantur; aut messores, donec tempus messionis excurrat? Hæc & plura alia in eandem sententiam Blesensis. Hinc etiam Pontifex in mandatis dederat Archiepiscopo Cantuariensi, *vt eos, qui signum crucis assumptum abiecerant, ad resumptionem ipsius & executionem voti compelleret.*

Cap. Quod super his.

Idem mandauit Innocentius in Constitutione seu Ordinatione pro recuperanda terra sancta. *Ne hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, vniuersis Ecclesiarum prælatis districtè præcipimus, vt singuli per loca sua, illos, qui signum Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos, quàm alios cruce signatos, & quos adhuc signare contigerit, ad reddenda vota sua Domino diligenter moueant & inducant, & si necesse fuerit per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras eorum, omni tergiuersatione cessante, compellant: illis duntaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod, secundum Sedis Apostolicæ prouidentiam, votum eorum commutari debeat meritò, vel differri:* Et hæc non iniuria statuit Innocentius, vel potius Synodus Lateranensis cum Innocentio; *cum vox clamet prophetica*; (licet enim eiusdem Innocentij verba vsurpare) *Vouete & reddite Domino Deo vestro, vt primum ad consilium; secundum ad imperium referatur.*

Cap. Magna. Extra de Voto, &c.

Nec tamen adeò rigidè & seuerè hoc votum animos obstringebat, vt nullius prorsus mitioris vel interpretationis vel commutationis, vel dispensationis capax esset. Ea de caussa Pontifex consultus, quid cum infirmis & egenis, voto tamen Hierosolymitano obligatis agendum esset; hæc rescripsit. *Debiles & inopes magis illuc in defectum, quàm ad profectum accedunt, cum isti pugnare non possint, & illi mendicare cogantur; nisi fortè sint nobiles & magnates, qui suis secum expensis bellatores adducant: vel artifices & agricolæ, qui de laboribus suis sibi possint acquirere necessaria. Quamuis non multi talium* (artificum & agricolarum) *propter breuitatem possessionum & paucitatem inhabitantium ibi sint opportuni.*

Cap. Quod super his. ext. de Voto.

Alibi etiam monet idem Pontifex, vt si quis sit ineptus ad pugnãdum, aptus autem ad eundum; melius esse, vt votum redimat, quàm consumat expensas; *quamuis possit & aliter responderi*, inquit Pontifex, *quod non sunt inutiles ad pugnandum, qui etsi per se pugnare non possunt, maturitate tamen consilij adesse valent pugnantibus, & personæ defectum per alios releuare.*

Cap. ex multa.

Sed quid statuendum de illis, quibus peregrinatio Hierosolymitana pœnitentiæ loco imposita erat; Imponi enim à Confessariis solebat; vt cùm aliunde, tum ex titulo Decretalium *de voto & voti redemptione*, manifestum relinquitur. Respondet Pontifex, posse redimere vo-

Cap. Quod super his.

re votum, qui propter debilitatem *non potest iter iniunctæ peregrinationis implere*: licet ille votum redimere nequeat, *qui quamuis sit impotens ad bellandum, potens tamen est ad eundum*; hic enim non tam spectatur succursus terræ sanctæ; quàm vt per labores & molestias itineris Deo pro peccatis satisfiat. Quod extenditur etiam ad Clericos, ipso Pontifice id decernente; Etsi enim ex ipso officio Clericali inhabiles sunt ad pugnandum; si tamen Hierosolymitana profectio eis pœnitentiæ loco imposita esset; neque infirmitate detinerentur, noluit Pontifex, vt voti redemptione gaudere possent: quanquā poterant, si sponte sua ad hoc iter sese obstrinxissent; nisi consilio aut officio prædicationis multum valerent; aut *obsequio Magnatum deputati essent*; aut diuitiis adeò abundarent, *vt in expensis suis aliquos secum ducere valerent bellatores.*

Ex his nullo negotio expedietur quæstio illa; *vtrum Episcopus absq; consensu Pontificis, & Clericus, inconsulto suo Prælato*, iter Hierosolymitanū vouere queat. Concorditer respondent Doctores, & inter illos Ostiensis, & Panormitanus, posse; tempore generalis *Passagij*, vt loquuntur; hoc est, quando crux prædicatur, & communis expeditio in terram sanctam suscipitur: quod satis clarum ex cap. *Ex multa*, & aliunde; & hoc ipso, quod auctoritate Sedis Apostolicæ crux prædicatur, omnibus videtur peregrinationis illius vouendæ potestas fieri; omnibus, inquam, qui ope sua huiusmodi expeditioni aliquid vtilitatis adferre possunt: licet enim alioqui *iuxta Canonica instituta*, vt inquit Pontifex, *Clericus absq; sui Episcopi licentia peregrinari nō debeat, & Episcopus non minus, imò potius Sedi Apostolicæ sit obstrictus*: ac proinde etiam peregrinationis votum suscipere non queat, sicut nec vllum aliud, quo vinculum, per quod Ecclesiis suis ministri addicti sunt, & obligati, dirimatur; hoc tamen locum non habebat, quando generatim pro defensione aut liberatione terræ sanctæ expeditio suscipiebatur. Hinc Pontifex cōmutauit votum Hierosolymitanum Episcopi Trecensis, quod emissum fuerat absque consensu Ecclesiæ Trecensis, & Sedis Apostolicæ. Si votum hoc non valuisset; nulla prorsus commutatione opus fuisset. Clericorum itidem votum simpliciter approbatur cap. *Ex multa. §. De Clericis*, vt obseruandum & explendum; vel certè commutandum. Nec vel verbulo monet Pontifex attendendum esse, num votum illud consensu Episcopi, an sine consensu nuncupatum fuerit.

Ostien. cap. Vlt. de Voto & Voti redempt.

Cap. Magna ext. de Voto.

Adhuc tamen dubitatio restat; num votum vltramarinum suscipi posit à Clerico vel Episcopo absq; facultate, etiam extra tempus generalis expeditionis seu *Passagij*. Quidam affirmant, Aliqui, vt

Sylue-

Sylv. Votum 3. Syluester rectius negant, idque probant ex cap. *Fraternitati*, de Clericis, vbi habetur, *Clericum alterius Diœcesis, absq; commendatitiis litteris sui Episcopi non debes recipere:* Si recipiendus non est absque litteris Episcopi, non potest ergo peregrinari absque litteris & consensu Episcopi sui; ergo nec voto ad peregrinationem vllam sese obligare; nisi in prædicto casu.

De Monachis res longè est liquidior: nihil enim vouere possunt independenter ab Antistitis sui consensu; præsertim si sit eiusmodi quiddam, quod ad religiosæ disciplinæ perniciem tenderet; ex quo genere inprimis excursiones & vagationes sæpè speciosò peregrinationis nomine velatæ. Tempore tamen generalis peregrinationis Prælatis Regularibus licitum fuit hoc vltramarinum votum emittere; Patet id cum ex multorum Abbatum exemplis, tum ex cap. *Postulastis: extra, de voto & voti redempt.* vbi duo Ordinem Regularem professi, quorum vnus iam Cruce signatus erat, alter Cruce insigniri optabat; consuluerunt Pontificem, num vicesimam prouětuum Ecclesiarum suarum deputatam succursui terræ sanctæ, possent secum deferre. Respondet Pontifex, posse; nec improbat alterius votum, & alterius nuncupandi voti desiderium: *dummodo, inquit, Ecclesia vestra per absentiam vestram enormiter non lædãtur; & vos vtiles fueritis terræ sanctæ verbo pariter & exemplo, dimissis procuratoribus idoneis in Ecclesiis vestris:* quibus positis, addit hanc clausulam: *Potestis & tenemini votum peregrinationis implere.*

Cæterùm, quando votum peregrinationis Hierosolymitanæ redimebatur, siue ob perpetuum impedimentum conficiendi illud iter, siue aliam legitimam ob caussam, faciendum id erat, persolutâ certâ pecuniæ summâ, quæ in emolumentum terræ sanctæ cedebat, vt ex capitulis tituli *de voto & voti Redemptione* colligitur. nam redemptio voti à commutatione voti in hoc differt; quòd commutatio propriè fit à quacunque materia voti in aliam; vt si peregrinationẽ Vide Ioan. Azor lib 11. Instit. Mor. c. 17. voueris, quam Episcopus in ieiunia & Eleemosynas commutet: Redemptio verò voti est peculiaris eius commutatio, nempe in pecuniam: Quo fit, vt omnis redemptio voti, sit commutatio; non autem Cap. Magna. de Voto. omnis commutatio, redemptio; quæ in hoc sita, vt quis soluat *expensas, quas in eundo, morando, & redeundo facturus erat, vtq; ipsum etiam laborem laboribus recompenset, sollicitius instando vigiliis, deuotius vacando orationibus, & in ieiuniis fortius sese exercendo.* Istæ enim conditiones exiguntur à Pontifice pro redemptione voti: licet posteriores istæ nõ habeant locum apud omnes; illos præsertim; qui eundo non multum emolumenti terræ sanctæ allaturi erant: vel ob imperitiam pugnãdi; vel ob senium, vel alias ob caussas.

Rescr-

Reſeruatum autem erat, & hodie etiam reſeruatur, votum Hieroſolymitanum ſummo Pontifici: id quod apud Doctores omni controuerſia caret. Sed quæritur, vtrum non tantùm illud votum vltramarinum, quod fit gratia ſubſidij terræ ſanctæ, eiuſque incolis ferendi, Pontifici reſeruatum ſit; ſed & illud, quod tantummodo fit ſtudio & amore pietatis augendæ & exercendæ. Abbas, & quidam alij, dicunt votum prioris generis Pontifici reſeruatum; non autem poſterioris. Contrà exiſtimat Syluester: Omne votum vltramarinum Pontifici reſeruatum eſſe. Conciliat vtroſque Ioannes Azor: nam prior ſententia vera eſt, ſecundum ius antiquum & commune; quod Ius votum vltramarinũ primo modo acceptum Pontifici reſeruabat, quia erat magni momenti, & nuncupabatur à primariis viris, & ſi ab Epiſcopis relaxari potuiſſet, ceſsiſſet id in grande nocumentum Chriſtianorum in Palæſtina degentium; & ſubſidio externo admodum egentium, quippe qui Saracenis vndiq; cingerentur. Nihilominus tamen more & conſuetudine receptum eſt, vt in vniuerſum voti vltramarini quomodolibet facti abſolutio, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectet. Quo ſenſu vera eſt illa altera Syluestri ſententia.

Syl. V. Votum 4.
Azor lib. 11. Inſt. cap. 19.

CAPVT IV.

De Indulgentiis concedi ſolitis omnibus illis, qui nomina ſua in ſacram militiam tradebant.


T ad arma pro recuperatione terræ ſanctæ homines promptius & alacrius concurrerent; excitati & non parum inflammati ſunt propoſitis præmiis, partim ſpiritualibus, partim temporalibus; priora hoc capite enumerabimus: poſterioribus ad ſubſequens reſeruatis. Primas igitur inter munera ſpiritualia iure ſibi vendicat Indulgentia; & quidem plenaria; qua omnes donabantur, qui Hieroſolymitanâm peregrinationem ſuſcipiebant. Vrbanus Pontifex in oratione; quam ad Concilium Claromontanum habuit; *Nos autem de miſericordia Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos* (Saracenos) *arma ſuſceperint, & onus ſibi huius peregrinationis aſſumpſerint, iniunctas ſibi pro ſuis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia deceſſerint, & peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros.* Matthæus VVeſtmonaſterienſis de Vrbano Pontif. & Synodo Claromontana. *Nec adhuc ſoluto concilio, conceſſa eſt à Papa, cui conceſſa eſt poteſtas à Domino, vice beati Petri, ligandi atq;*

soluendi super terram, generalis indulgentia peccatorum se cruce signaturis, & iam signatis.

Vitriacus de eodem Vrbano Pontifice. *Non multo autẽ tempore pòst, venerabilis Pater Apostolicæ Sedis Antistes Vrbanus, prædictũ Petrum in Galliam subsecutus, conuocato generali Concilio apud Clarũmontem Aluerniæ ciuitatem, calamitates & oppressiones fidelium in terra sancta commorantium, & tam Dominicum sepulchrum, quàm alia loca sancta ab immundis canibus conculcata & profanata diligenter exposuit omnibus, quos Spiritus sanctus ad vltionem iniuriarum Crucifixi, & ad terræ sanctæ liberationem inspiraret, in remissionem omnium peccatorum tam sanctam & Deo placitam peregrinationem iniungens.*

Bertoldus Constantiensis: *His temporibus maxima multitudo de Italia, & omni Gallia, & Germania Hierosolymam contra Paganos, vt liberarent Christianos, ire cœpit, cuius expeditionis Dominus Papa* (Vrbanus) *maximus auctor fuit. Nam & in præteritis synodis studiosissimè omnes de hac expeditione promouit, eamq́; eis in remissionem omnium peccatorum faciendam firmissimè commendauit.*

Abbas Vrspergensis de eodem Vrbano Pontif. *In hoc eis doctor egregius remissionem omnium condonat peccatorum, si renunciatis omnibus, quæ possidebant, crucem post Christum vnanimiter portantes, periclitantibus conchristianis ferrent auxilium.*

Apud Otton. Frising. lib. 1. de Gest. Frid. Imp. cap. 35. Eugenius Pontifex in epistola; qua Christianos ad bellum sacrum cohortatur. *Nos autem vestrorum quieti, & eiusdem Ecclesiæ destitutioni paterna sollicitudine prouidentes, illis, qui tam sanctum, tamq́; pernecessarium opus & laborem, deuotionis intuitu, suscipere & perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam præfatus prædecessor noster Papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis à Deo concessa, concedimus & confirmamus.* Idem Pontifex. *Peccatorum remissionem & absolutionem iuxta præfati prædecessoris nostri institutionem, omnipotentis Dei, & beati Petri Principis Apostolorum auctoritate nobis à Deo concessa, talem concedimus, vt qui tam sanctum iter deuotè inceperit & perfecerit, siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium renumeratore percipiat.*

Innocentius III. in Concilio Lateranensi: *Nos omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quã nobis (licet indignis) Deus ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum.* Similia habet in epist. ad Archiepiscopum Magdeburgensem, & in alia ad populum Viennensem.

S.Ber-

S. Bernardus epistola ad Episcopum, Clerum & populum Spirensem. *Suscipe signum crucis, & omnium pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris; indulgentiam obtinebis.*

Petrus Blesensis Tract. de peregrinatione Hierosolymitana accceleranda. *Priuilegio siquidem Petri Apostoli, & auctoritate Ecclesiæ generali proposuerat Dominus in hoc signo verbum reconciliationis, vt viæ Hierosolymitanæ assumptio esset pœnitentia consummata, & sufficiens satisfactio de commissis.*

Thomas Cantipratensis. *De Indulgentia, quæ crucem suscipientibus prædicatur, nullus fidelium dubitare permittitur, quin integraliter verè pœnitentes & confessi Indulgentiam recipiant omnium peccatorum, & in ea desiderij voluntate, qua pro fide, si se obtulerit locus, mori gestiunt, totaliter à pœna simul absoluantur & culpa.* *Thom. Cant. lib. 2. Exemplorum cap. 2. sect. 10.*

Nec opus plures huius Indulgentiæ, & quidem plenariæ, testes producere; quia factum liquet, vt & hoc, Martinum Kemnicium Hæreticum, largiter mentitum, quando scribere non erubuit: nullam doctrinam, nullumque vsum Indulgentiarum ante annũ M C C. in Ecclesia exstitisse. Nam Vrbanus Pontifex, vt & alij quidam ante prædictum annum floruerunt; & Indulgentias promulgârunt; vt contra Kemnicianam impudentiam fusiùs ostendit Cardinalis Bellarminus. *Kem. 4. p. exam.* *Bellar. lib. 1. de Indulg. cap. 17.*

Extensæ autem sunt istæ indulgentiæ etiam ad illos, qui aliquid in subsidium terræ sanctæ contribuerent, licet ipsimet peregrinationem non obirent. Innocentius III. In Concilio Lateranensi. *Eis, qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in proprijs tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes iuxta qualitates subsidij & deuotionis affectum, omnes, qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt; aut consilium & auxilium impenderint opportunum.*

Eiusdem Indulgentiæ postea participes effecti sunt, qui contra Hæreticos militabant. Idem Pontifex. *Catholici, qui Crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoq; sancto priuilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur.* *Cap. Excõmunicamus ext. de Hæret.*

Quærit S. Thomas, vtrum cruce signatus, qui moritur, antequam iter arripiat, habeat *plenariam indulgentiam* peccatorum: Respondet, hoc pendere ex voluntate & diplomate Pontificis. *Si enim indulgentia concedatur accipientibus Crucem in subsidium terræ sanctæ, cruce signatus statim habe-* *S. Tho. Quodl. 2. art. 16.*

habebit indulgentiam, inquit S.Thomas: *Etiamsi decedat antequam iter arripiat, quia sic caussa indulgentiæ erit non iter, sed votum itineris, si autem in forma litteræ contineatur, quòd indulgentia debetur his, qui transierint vltra mare, ille, qui decedit, antequam transeat, non habet indulgentiam, quia non habet indulgentiæ caussam.*

S.Tho. Quodl. 5.art.14.

Quærit idem S.Thomas, *vtrum melius moriatur Crucesignatus, qui moriatur in via eundi vltra mare, quàm ille, qui moritur redeundo.* Respondeo, inquit S.Thomas, *quòd quanto aliquis cum pluribus meritis moritur, tanto melius moritur, &c. Manifestum est autem, quod ille, qui moritur in redeundo de vltra mare, cæteris paribus, cum pluribus meritis moritur, quàm ille, qui moritur in eundo: Habet enim meritum ex assumptione itineris, & vlterius ex prosecutione, in qua fortè multa grauia est passus: & ideo, cæteris paribus, melius moritur ille, qui moritur redeundo, quamuis ire sit magis meritorium, quàm redire, genus operis considerando.* Hæc S.Thomas.

Tyr.lib.3.cap.5.

Qui ibidem in obiectione quadã ait, eum, qui proficiscitur Hierosolymam *prosequendo votum suum*, paratumque morti sese exponere pro Christo, si moriatur, *mori tanquam Martyrem.* Tyrius. *Instar Martyrij non immeritò reputabant, in agone huiusmodi vitam amisisse.* Vitriacus de eodem exercitu Hierosolymam obsidente; *Maxima frequenter Dei Martyres perpessi sunt detrimenta.* In Gestis itidẽm Ludouici Regis Franciæ, F. Ludouici Crassi hæc leguntur; vbi agitur de clade quadam Christiano exercitui à Turcis illata. *Multi fuerunt, qui illa die, pro Christo Martyrium receperunt.*

Innoc.epist.ad Alex.Imp.Cõstantinop.fol. 520.

Innocentius III. Pontifex. *Inter arcanas & inscrutabiles caussas inuasionis, & detentionis caussæ orientalis, hanc etiam Dominus sua forsan miseratione præuidit, vt multi relictis parentibus & amicis, imò etiam omnibus, quæ habebant, Christum, assumpto salutiferæ crucis signo, sequentes in defensione terræ ipsius Martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclesia lætetur, & augeatur in cælis, vnde militans dolere ac minorari videtur in terris.* S.Bernardus ad Templarios. *Quàm gloriosi, si reuertuntur victores de prælio, quàm beati moriuntur Martyres in prælio.* Vrbanus Pontifex ad Synodum Claromont. apud Malmesburiensem: *Habituri post obitum felicis Martyrij commercium.* Videtur tamen his locis, Martyrij vocabulum latiore significatione vsurpari: plerique enim Theologi docent, ad Martyrium requiri, vt mors non obeatur quasi ex consequenti, vt fit, quando quis intendit aliquid aliud, & præter eius intentionem mors sequitur. nam ob defectum huius conditionis mors militum in bello, etiamsi propter fidei defensionem occumbant, non est Martyrium: & Martyrum itidem est; vt occidenti non repugnent; quod professioni euntium Hierosolymam ex instituto aduersabatur; nam vel maximè

Vide Gregor.de Valent. Tom.3. d.8.q.2.p.1.

Saracenis

Saracenis repugnare; & sceleratam gentem excindere debebant.

Vt autem paucis rem ipsam complectar; aut moriebatur quis in itinere, morbo correptus, & tam molesta peregrinatione fractus; aut moriebatur in prælio, aut præsidio aduersus hostes Christiani exercitus: neutroque modo propriè Martyr erat; ob caussam iam allatam; & ideo quoque, quia mors ad Martyrium necessaria àctiuè inferenda est ab aliquo aduersario, & iniustè, qualis hic nullus; cùm quis, morbo deuictus, decedit; licet decedat in opere, Dei caussa suscepto.

Non est tamen dubitandum plurimos ex his, qui ad terram sanctam variis temporibus sese contulêre, Martyrij palmam propriè adeptos esse; quia sæpe à Saracenis, etiam extra prælia capiebantur; & exquisitis tormentis excruciabantur, ob odium Christi & nominis Christiani; ex quorum numero vnus fuit Thiemo Archiepiscopus Salisburgensis: Cuius passio nuper publicata exstat. Nec dici potest huiusmodi peregrinos semper à Saracenis fuisse captos & interemptos, eò quod essent & haberentur hostes temporales, (quā caussam negant viri docti ad Martyrium sufficere, licet quis innocenter interficiatur) longè credibilius est crebrò excruciatos, & neci datos præcisè propter Christianam religionem, quam gens illa detestabilis penitus execratur. Meritò autem olim irrisus ac explosus fuit Nicephorus Phocas Imp. Constantinop. *qui, quod in se fuit*, ait Zonaras, *decreto sanxit, vt milites in bellis interfecti, pari cum Martyribus honore colerentur, & similibus hymnis ac veneratione celebrarentur.* Verùm de Martyrio Crucesignatorum plura agemus in Apologia huic libro subiuncta.

Henriquez lib. de Baptismo cap. 38.

Cap. 4.

CAPVT V.

De præmiis, & priuilegiis temporalibus, quæ sacræ & Cruciatæ militiæ à Pontificibus & Principibus concessa fuêre.



IDIMVS præmia spiritualia sacris militibus proposita. Enumeremus iam temporalia. Vrbanus Pontif. in Concilio Claromontano. *Eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos* (Saracenos) *laborem istum* (peregrinationis) *assumpserint; sub Ecclesiæ defensione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuersis inquietationibus, tam in rebus alienis, quàm in propriis statuimus manere securos. Si verò quisquā molestare eos interim ausu temerario præsumpserit, per Episcopum loci excommunicatione feria-*

Tyr. lib. 1. c. 15.

tur, & tamdiu sententia ab omnibus obseruetur, donec & ablata reddantur, & de illis damnis congruè satisfiat. Episcopi verò & presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officij suspensione mulctentur, donec misericordiam Sedis Apostolicæ obtineant.

Eugenius Pontifex epist. ad Ludouicum Francorum Regem. *Vxores & filios eorum* (cruce signatórum) *bona quoq; & possessiones sub sanctæ Ecclesiæ, nostra etiam & Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione manere decernimus: Auctoritate etiam Apostolica prohibemus, vt de omnibus, quæ cùm crucem acceperint, quietè possederint, nulla deinceps quæstio moueatur, donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur. Quicunque verò ære premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde inceperint, de præterito vsuras non soluant: & si ipsi, vel alij pro eis occasione vsurarum adstricti sunt sacramento vel fide, Apostolica auctoritate eos absoluimus.* Eadem Innocentius III. & cum illo tota Synodus Lateranensis: additque: *Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit vsurarum, eum ad restitutionem earum Ecclesiastica censura cogi mandamus. Iudæos verò ad remittendas vsuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omninò communio denegetur. His autem, qui Iudæis debita soluere nequeunt in præsenti, sic principes seculares vtili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, vsqueque de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis, computare. Porrò Ecclesiarum Prælati, qui in exhibenda iustitia crucesignatis & eorum familiis negligentes exstiterint, sciant se grauiter puniendos.*

Similia habet Innocent. III. epist. ad Archiepiscopū Magdeburg. Tom. 2. fol. 564. Et in epist. ad Viennens. fol. 565. & alibi sæpe.

Voluit insuper Innocentius, & cum illo pariter Synodus Lateranensis, vt Cruce signati immunes essent, *à collectis, talliis, aliisq; grauaminibus*; in quorum gratiam anathemate etiam percussit adiutores & fautores prædonum & piratarum; qui peregrinis in itu redituque multum detrimēti inferebant. Excommunicauit præterea, illos falsos & impios Christianos, qui *contra ipsum Christum, & populum Christianum Saracenis arma, ferrum & ligamina galearum deferebant, vt & illos, qui eis galeas vel naues vendebant, quiq; in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercebāt, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendebant consilium vel auxilium in dispendium terræ sanctæ.*

Hæc & similia saluberrimè à Pontificibus in gratiam Cruce signatorum sancita passim legimus. De clericis in exercitu sacro versantibus hæc Innocentius. *Clericis indulgemus vt beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes, & si necesse fuerit, & per idem tempus pignori valeant obligare.* Exstat & apud Rigordum diploma, in quo multa

Rigord. de gestis Philippi Augusti.

multa priuilegia à Philippo Francorũ Rege peregrinis concessa sunt, cum ipse profectionem in Palæstinã adornaret. similia priuilegia inuenies in Annalibus Anglicanis Rogeri data cruce signatis ab Henrico Rege Angliæ, qui cum Philippo Franciæ Rege crucem susceperat; mortuus tamen antequam iter iniret. *Fol. 366.*

Porrò, quia pro tantis exercitibus maximis impensis opus erat; variæ rationes conquirẽdi sumptus excogitatæ & adhibitæ sunt. Initio enim pleriq; fortunis diuenditis, suis militabant stipendiis, præsertim Principes. Dignum verò admiratione illud est, quod Anonymus, sed fidus scriptor, refert; Fridericum Barbarossam edicto prohibuisse, vt nullus expeditioni suæ adscriberetur, *qui ad minus in biennium sumptus itineris habere non posset.* Otto de S. Blasio, de eodem Friderico. *Pauperioribus ad minus trium marcarum expensam, ditioribus pro posse expensas præparare, indixit. Egentibus autem pondo trium marcarum sub anathemate profectionem fecit indici, nolens exercitum vulgo minus idoneo prægrauari.* Plerique ergo ære suo militabant. *In Append. ad Otton. Frising. cap. 32.*

Sed postea cùm hæc ratio non modò priuatorum; sed & Principum facultates exsuperare videretur, ad exactiones deuentum est. Innocentius III. *Ex communi Concilij approbatione statuimus, vt omnes omnino Clerici tam subditi, quàm Prælati, vicesimam partem Ecclesiasticorum prouentuum vsq; ad triennium conferant in subsidium terræ sanctæ, per manus eorum, qui ad hoc Apostolica fuerint prouidentia ordinati. Quibusdam duntaxat religiosis exceptis, ab hac prætaxatione meritò eximendis, illis similiter, qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi.* Idem Pontifex scribens ad Archiepiscopum Magdeburgensem, eiusq; suffraganeos, mandat; vt ab omnibus Clericis & Religiosis *Quadragesimam* redituum partem pro subsidio terræ sanctæ exigant. In eandem sententiam misit Innocentius diplomata per totam Alemanniam, per Tusciam, per Lombardiam, per regna Franciæ, Angliæ, Hungariæ, per Sclauoniam, Hyberniam, Scotiam. *Innoc. in constit. de recup. terræ sanctæ.* *Tom. 2. operum Innocent. fol. 562. & seq.*

Quid verò ipse Pontifex & Cardinales? Audito. *Ne in humeros hominum onera grauia, & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus, &c. ecce nos de his, quæ vltra necessarias, & moderatas expensas potuimus reseruare, triginta millia librorum in hoc opus cõcedimus, & donamus præter nauigium, quod Crucesignatis de vrbe atq; vicinis partibus conferimus, assignaturi nihilominus ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti, &c. Nos autem & fratres nostri S.R.E. Cardinales plenariè decimam persoluemus, sciantq; omnes se ad hoc fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam obligatos, &c.* Similia in epistola *ad vniuersos Christi fideles per Viennensem prouinciam.* *Tom. 2. fol. 565.*

Quod


Quod ad laicos attinet; hæc in Concilio Lateranensi decreta sunt. *Volumus & mandamus, vt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij, qui curã obtinent animarum, studiosè proponant sibi commissis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum, solum, verum, æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & Barones, aliosque magnates, nec non communiones ciuitatum, villarum, oppidorum, vt qui personaliter non accesserint in subsidium terræ sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum.*

Illud insuper idem Pontifex mandauit, vt in Ecclesiis Gazophylacium constitueretur; in quod fideles eleemosynas suas pro terræ sanctæ defensione conferre possent. *In singulis Ecclesiis truncum concauum poni præcipimus, tribus clauibus consignatũ, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiæ sacerdotẽ, tertia per aliquem religiosum laicũ conseruandis: & in eo fideles quilibet, iuxta quod eorum mentibus Dominus inspirauerit, suas eleemosynas deponere in remissionem suorum peccaminum moneantur, &c.* Fecit etiam potestatem Episcopis; *vt circa eos, qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subuenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum, & rerum facultate pensatis, ac considerato nihilominus deuotionis affectu opus iniunctæ pœnitentiæ commutare possent in opus eleemosynæ faciendæ.* Hæc & id genus alia Innocentius & alij Pontifices.

Innocent. epist. ad Arch. Magdeb. & ad Viennen.

Neque verò ipsi Reges ac Principes iter Hierosolymitanum absque huiusmodi contributionis ope semper suscipere valuerũt. Quare cùm Henricus Rex Angliæ cum Philippo Rege Franciæ Crucem assumpsisset *statutum est*, inquit Rogerus in Annalibus Anglicanis, *vt vnusquisque decimam redditũum, & mobilium suorũ in eleemosynam daret ad subuentionem terræ Hierosolymitanæ, exceptis armis, & equis, & vestibus militum, & exceptis equis, & libris, & vestibus, & vestimentis, & omnimoda capella Clericorum, & lapidibus preciosis tam Clericorum, quã Laicorum facta prius excommunicatione ab Archiepiscopis, Episcopis, Archipresbyteris singulis, in singulis parochiis super vnumquemque, qui decimam prætaxatam legitimè non dederit sub præsentia & conscientia illorum, qui debent interesse.* Quæ exactionum genera multis dura & aspera accidêre: & fortè accidit, vt interdum, prætextu belli sacri, nimium onerarentur Ecclesiæ & Ecclesiastici; quod Petrus Blesensis satis indicat duabus epistolis, quas eo ipso tempore scripsit, quo *vltramarinæ* expeditiones adhuc in vsu erant.

Blef. epist. 112. & 121.



CAPVT

CAPVT VI.

De prima prædicatione Crucis.



ANNO Domini 636. Heraclij Imperatoris anno 27. capta est Hierosolyma à Saracenis, post biennij obsidionem, populusque Christianus seruitutis Mahometanæ durissimo iugo oppressus; nec exiguo tempore; sed vsque ad annum Domini Millesimum nonagesimum nonum; quo inuicta occidentalium Principum dextera tyrannidi Saracenicæ finem imposuit; libertatemque locis sanctis; & Christianis ad loca sancta proficiscentibus, restituit: neque enim incolæ vrbis & terræ sanctæ duntaxat infandis iniuriis ab infidelibus afficiebantur & exagitabantur; verùm etiam non modica iniuriarũ pars redundabat id ipsos peregrinos, qui pietatis amore loca illa sacratissima adire ac religiosè visere volebant: quibus, vt inquit Tyrius, *per mille mortis genera, perque hostium regiones ad vrbem accedentibus, negabatur introitus, nisi in porta aureus, qui pro tributo constitutus erat, ianitoribus daretur. Sed qui in itinere cuncta perdiderant, & vix cum incolumitate membrorum ad loca peruenerãt optata, vnde tributum soluerent, non habebant. Sic ergo fiebat, vt ante vrbem ex talibus mille vel plures collecti, & exspectantes introeundi licentiam fame & nuditate consumpti deficerent: Hi tam viuentes quàm mortui miseris ciuibus intolerabili erant oneri. Nam & viuentes alere, & cibo quocunque modo sustentare satagebant, & mortuos sepulturæ tradere nitebantur, cum tamen eis supra vires sua essent negotia. Quibus autem, soluto pretio, vrbem dabatur ingrediendi facultas, hi maiorem ciuibus ingerebant sollicitudinem, timentibus, ne fortè deambulantes incautè, tanquam loca sancta visere volẽtes, sputis & alapis afficerentur, ad postremum autem, ne clam suffocati interimerentur, &c.*

Igitur nec foris nec domi quies erat ciuibus, quibus mors diebus imminebat singulis, & quolibet mortis genere deterior seruitus dura & intolerabilis incumbebat. Accedebat etiam ad miseriarum cumulum, quod Ecclesias eorum reparatas violenter ingressi, dum diuina celebrarentur, cum furore & strepitu terrorem fidelibus incutientes, super altaria sedebant, nullã facientes locorum differentiam, subuertebant calices, & vasa diuinis obsequiis mancipata conculcantes, confringebant marmora, clerum contumeliis & verberibus afficientes. Ipsum quoque Dominum Patriarcham, qui erat pro tempore, quasi vilem & abiectam personam, de sede propria per barbam in solum dabant præcipitem. Plerumque etiam raptum, & quasi vile mancipium tractum, sine caussa detrudebant in carcerem, vt sic populum affligerent patri compatientem. Hæc & plura alia de miseriis Christianorum in Palæstina Tyrius.

Quo rerum statu Hierosolymam venit *sacerdos quidam Petrus nomine de Regno Francorum; (*quidam Hispanum faciunt*) de Episcopatu Ambianensi, qui re & nomine cognominabatur Eremita. Statura quidem pusillus, sed viuacis ingenij, & oculum habens perspicacem, gratumque, & sponte fluens ei non deerat eloquium*: qui audita partim, partimque visa calamitate populi Christiani, literas à Patriarcha Hierosolymitano ad principes occidẽtales accepit; quibus rogabãtur, vt terræ sanctæ subsidio accurrerent; seruitutemque Mahometanam à fidelium ceruicibus depellerent.

Legatione sua gnauiter & industriè functus est Petrus: excitatus etiam ad hoc cœlesti visione: nam cùm in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis pernoctaret, soporque vigiliâ fessum altior oppresisset, *visus est ei Dominus noster Iesus Christus, quasi coram positus astitisse, & eandem legationem iniunxisse dicens: Surge, Petre, propera, & quæ tibi sunt iniuncta, intrepidus perage. Ego enim tecum ero. Tempus est enim vt purgentur sancta, & serui meü subueniatur.* Hac cohortatione Petrus erectus in viam sese dedit; & prospera vsus nauigatione, Barium peruenit; inde Romam ad Vrbanum Papam, cui literas Patriarchæ & fidelium, qui Hierosolymis habitabant, tradidit; eorumque miserias exposuit, vt & *abominationes, quæ in locis sanctis fiebant à gentibus immundis.*

Deinde transcurrens omnem Italiam, zelo diuino succensus, Alpes transiens, occidentales Principes omnes sigillatim circuit, instat sollicitus, increpat, arguit, atq; cooperante diuina gratia, monendo quibusdam persuadet, vt fratribus in tanta afflictione positis subuenire non differant: & loca sancta, quæ Dominus propria dignatus est illustrare præsentia, infidelium spurcitiis diutius profanari non permittant. Nec visum est ei sufficere, quòd hoc apud Principes disseminaret, nisi etiam & plebes & inferioris manus homines ad id ipsum piis exhortationibus animaret. percurrens ergo nationes piè sollicitus & regna, pauperibus & abiectissimis personis legationi suæ fideliter satisfaciens, idipsum euangelizabat. Cui tantam gratiam (eius fidei meritum respiciens) contulerat dominus, vt rarò vnquam sine fructu populos conueniret.

Cist. Orient. Hap. 16. *Non multò autem post tempore,* (nempe anno M. X C V. in Nouembri) inquit Vitriacus, *Venerabilis pater Apostolicæ Sedis Antistes Vrbanus prædictum Petrum in Galliam subsecutus, conuocato generali Concilio* (in quo Episcopi aliique prælati 310. teste Malmesburiensi) *apud Clarummontem Aluerniæ ciuitatem, calamitates & oppressiones fidelium in terra sancta commorantium, & tam Dominicum sepulchrum, quàm alia loca sancta ab immundis canibus conculcata & profanata diligẽter exposuit omnibus.* Exstat oratio eius

Tyr. lib. 1. ca. 15. diuino spiritu plenissima apud Tyrium & Robertum Monachum

Robert. lib. 1. S. Remigij. Inter cætera autem quæ in illa Synodo Vrbanus præclarè dixerat & fecerat, hoc non extremum locum obtinet; quod Episco-

piſcopos, aliosque præſules ſedulò monuit; vt & ipſi ad ſuum quique gregem reuerſi Crucem ſedulò prædicarent, & cauſſam Hieroſolymitanam ſtudioſè populo commendarent: quod & præſtitum: *nam Epiſcopi, prout in mandatis acceperant*, inquit Tyrius, *fideles ſe cooperantes exhibebant, plebes ſuas ad id ipſum inuitantes, & circuëuntes parochias ſuas verbum vitæ diſſeminabant in populis, nec cadebat vel vnus apex ſine fructu ſuper terram: Ita vt verè dici poſſet, quòd verè illud verbum Domini impleretur: non pacem veni mittere, ſed gladium.* Primi ergo Prædicatores Crucis fuêre Petrus Eremita; Vrbanus Pontifex, & Antiſtites, qui horum veſtigia ſecuti ſunt.

CAPVT VII.

Admiranda, quæ virtute Crucifixi & Crucis primam Crucis prædicationem ſubſecuta ſunt.

IN hac Crucis prima prædicatione vel maximè eluxit, quàm verum ſit illud Dei oraculum: *Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terrã, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Nam *hac fama* Crucis prædicatæ, *commouit diuerſos populos & ignotos,* inquit Otto Friſingenſis, *ſcilicet ex Aquitania atque Nortmannia, Anglia, Scotia, Hybernia, Britãnia, Galicia, Gaſconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, Burgundia, cæteroſque populos non ſolùm terram, ſed & inſulas maris ac vltimum Oceanum inhabitantes.*

Iſaiæ 55.

Otto lib. 7. ca. 2.

Fama boni totum dilapſa per orbem, ait Malmesburienſis, *dulci Chriſtianorum animos infecit aura, qua circumquaque ſpirante, nulla fuit tam remota gens, tam abdita, quæ non ſui partẽ mitteret. Tanto Chriſtiani numero mare tranſiuerunt*, ait Annalium Flandricorum ſcriptor, *vt occidens vniuerſus demigrare viſus ſit in orientem. nam vt veriſſimè comperimus*, ait Abbas Vrſpergenſis in Chronico, *tam ignotos effundit Oceanus populos, cuius non dicam mores, & habitus, ſed ne loquelam quidem quiſquã huius litoris habitator vel de ipſius Marinariis agnoſceret: rurſumque alios, quibus nihil præter panem & aquam in vſu victus eſſet: itemque quoſdam, quibus argentum pro ferro in omnibus ſuis vtenſilibus eſſet. Hinc & vndecunque augebatur quotidie ſignatorum numerus, & vt prælibauimus, in huiuſmodi expeditionem totus feruet, totus concutitur, vel potius transformari videbatur mundus.*

Diuidebatur enim maritus ab vxore, inquit Tyrius, *vxor à marito, filij à parentibus, nec erat charitatis vinculum, quod huic feruori poſſet præiudicium*

facere; ita vt de claustris multi egrederentur Monachi; & inclusi de carceribus, in quibus se incluserant spontanei propter Deum. Non erat in regnis occidentalibus, qui aut ætatis aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor, aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant, omnes vnanimiter corde & ore votum profitebantur.

Quo factum, *vt ex vniuerso orbe tam innumerabilis multitudo conflueret,* Rud.lib.4.ca.6. inquit Rudolphus, *quantam nullus hominum prius sperare poterat; primitus enim ordo inferioris plebis: deinde verò mediocres; postbac permaximi quiq; Reges & comites ac præsules. ad vltimum verò, quod nunquã contigerat, mulieres multæ nobiles illuc* (Hierosolymam) *perrexerunt: pluribus enim erat mentis desiderium mori, priusquam ad propria reuerterentur. Orientalibus* tamen *Francis*, teste AbbateVrspergensi, *Saxonibus, Thuringis, Baioariis & Alemannis hac tuba minimè insonuit.* Otto dicit. *Orientales Francos* & alios modò nominatos *hac expeditio minus permouit.* Permouit igitur, sed *minus*, quàm alios, *propter illud maximè schisma, quod inter regnum & sacerdotium à tempore Alexandri Papæ vsque hodie,* verba sunt Abbatis, *tam nos Romanis, quàm Romanos nobis inuisos & infestos iam heu confirmauit. Inde est, quod omnis penè populus Theutonicus in principio, profectionis huius caussam ignorantes, per terram suam transeuntes, tot legiones equitum, tot turmas peditum, totq; cateruas ruricolarum, fœminarum ac paruulorum, quasi inaudita stultitia delirantes subsannabant, vtpote qui pro certis incerta captantes, terram natiuitatis vanè relinquerent, terram repromissionis incertam, certo discrimine appeterent, renunciarent facultatibus propriis, inhiarent alienis.*

Excusat tamen Abbas Germanos, & meritò. Nam meliora edocti non erant: & postea copioso fœnore in tot expeditionibus Germanorum Imperatorũ & Principum compensarunt id, quod prima hac videri poterat neglectum. Etsi penitus non neglecta hæc prima expeditio. subiungit enim Abbas Vrspergensis. *Quamuis nostra gens ceteris multò sit insolentior, respectu tamen miserationis diuinæ inclinatur tandem ad verbum eiusdem renunciationis furor Theutonicus, à commeantium scilicet turbis rem ad integrum edoctus.* nam in exercitu, quem Petrus Eremita ductabat, plurimi fuêre Germani, cùm ad tria millia huius nationis contenderent ad oppidum quoddam iuxta Nicæam expugnandum, vt Tyr.lib.1.ca.13. refert Tyrius: Et in exercitu ad Antiochiam enumerat Tyrius, etiam Sueuos, Frãcones, Saxones & Bauaros, quorum etiam sæpe meminit Robertus Monachus, vt & alius Auctor Anonymus, in suis de bello sacro Historiis. & ex sola ciuitate Ratisbonensi, capta iam Antiochia, mille quingenti viri Cruce signato exercitui sese adiunxerunt; teste Auctore Anonymo.

Nec

Nec defuerunt prædigia cæleſtia, quibus inducti Germani, de hac militia meliorem mentem acceperunt; & vt aliarum nationum homines Crucis ſignaculum aſſumpſerunt. nam, vt Abbas ait, *ſignum in ſole viſum, multaque, quæ tam in aëre, quàm in terris portenta apparuerunt, ad huiuſmodi exercitia non paucos antea torpidos excitauerunt. E quibus aliqua hîc interſeri duximus vtiliſſimum: cuncta verò longiſſimum. Et nos cometen in plaga meridiana ſtantem, ſuumq́ ſplendorem in obliquum gladij more protendentẽ, tunc circa Nonas Oct. vidimus.* Et poſt alia huius generis recenſita, addit idem Chronographus. *Item alius ſubita mentis mutatione compunctis vel viſone nocturna edoctis, prædia resq́ familiares diſtrahere, ſignumque mortificationis veſtibus aſſuere placuit, &c.* Tyr. lib. 4. ca. 13.

Tandem ſubiungit. *Huiuſmodi ſignis, tota creatura in creatoris ſe militiam cohortante, nil moratur inimicus ille, cæteris etiam dormientibus ſemper peruigil, bono illi ſemini zizania ſua ſuperſeminare, Pſeudoprophetas Dominicis exercitibus, falſos fratres, & inhoneſtas fœminei ſexus perſonas ſub ſpecie religionis intermiſcere, ſicq́ per aliorum hypocriſin atque mendacia, per aliorum verò nefarias pollutiones Chriſti greges adeò turbabantur, vt, iuxta boni paſtoris vaticinium, etiam electi in errorem ducerentur. Inde fabuloſum illud confictum de Carolo Magno, quaſi de mortuis in id ipſum reſuſcitato, & alio neſcio quo nihilominus rediuiuo: friuolum quoque illud de anſere, quaſi dominam ſuam deducente, multaq́ id genus.* Nec mirum in tam innumerabili hominum multudine repertos, qui vel ſomnia pro rebus veris venditarent, vel tanquam Iudæ quidam Apoſtolis, hoc eſt, populo Dei ſeſe admiſcerent. Quî enim in tanta colluuie & diuerſitate nationum & morum omnes ſinceri eſſent?

Non diſsimulat hoc Tyrius. Ait enim. *Nec tamen apud omnes erat in cauſſa Dominus, & virtutum mater diſcretio votum excitabat: ſed quidam ne amicos deſererent, quidam ne deſides haberentur, quidam ſola leuitatis cauſſa, aut vt ſuos creditores, quibus multorum debitorum pondere tenebãtur obligati, declinantes eluderent, aliis ſe adiungebant.* Bertoldus Conſtantienſis. *Nimium tamen ſimpliciter innumerabilis multitudo popularium iter illud arripuit, qui nullo modo ſe ad tale periculum præparare nouerunt & potuerunt. Vnde & eorũ non parua pars occubuit, &c. Non erat autem mirum, quod propoſitum iter ad Hieroſolymam explere non potuerunt. quia non tali humilitate & deuotione, vt deberent, illud iter adorſi ſunt: nam & plures apoſtatas in comitatu ſuo habuerunt, qui abiecto habitu religionis, cũ illis militare propoſuerunt. Sed & innumerabiles fœminas ſecum habere non timuerunt, quæ naturalem habitum in virilem nefariè mutauerunt, cum quibus fornicati ſunt, in quo Deum mirabiliter, ſicut Iſraëliticus populus quondam, offenderunt.* Hæc Bertoldus.

Certè in Conradi Imperatoris expeditione Hierosolymitana fuisse mulieres habitu virili, imò & armis indutas, testatur Nicetas Choniates, si quæ tamen fides habenda Germani nominis hosti infenso. En verba Nicetæ. *Inter quos* (Alemannos) *& mulieres erant, non coniunctis pedibus, sed virorum instar diuisis, super pallia equitantes, hastatæ atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores. Inter quas vna excelluit, quasi altera Penthesilea, quæ ob fastigia & limbum vestium auro intertextum Auripes vocabatur.* Ista Græcus ille. At Otto sequentia: *Fuere quidam ex eis, qui falsa specie religionis eandem militiam aggrederentur, inter quos Emicho quidam Comes de partibus Rheni, vsurpans sibi ducatum ferè duodecim millium, Iudæos vbicunque reperit, vel delere, vel Ecclesiæ incorporare satagebat.*

Nicet. lib. 1. de gest. Manuelis Imp.

De his vide Tyrium lib. 1. c. 27. & seqq.

Eiusdem farinæ erat Godeschalcus, *non verus sed falsus Dei seruus*, inquit Vrspergensis; qui & ipse non exiguam manum prædatum potius, quàm contra Saracenos pugnatū eduxit: *Hacque est caussa*, ait Abbas, *qua quidam simpliciores fratres, vtpote rem ignorantes, scandalizati, totum huius profectionis conatum vanum atq; friuolum ipsi nimis præproperi iudices interpretati sunt. Paleis tamen ex area Dominica huiusmodi ventilabro decussis* (plerique enim perierunt in Vngaria) *vidimus grana triticea naturalis soliditatis grauitate perdurantia, Gotefridum scilicet cæterosq; verè Dominicæ militiæ duces, cum suis singuli super omnem stellarum dispositionem speciosis castris, ab vniuersis, quas pertransibant gentium principibus, pacem ac fauorem humilitatis atq; charitatis exemplo, vt verè Christi discipuli consequentes, donec diuersis itinerum difficultatibus, Bulgaria permeata, Constantinopolitanas attigerunt arces.*

Fuere etiam impostores qui opera mirificissima à sese patrata gloriarentur; de quibus Vrspergensis. *Iidem tamen seductores, quemadmodum singuli suis à fructibus sint cogniti, quomodo veste sub ouina lupi sint denotati, hi potissimè, qui ex illis adhuc supersunt, licet vt perquiratur, scilicet, quo portu iuxta promissum suum absq; nauigio mare transierint, quibus prœliis vel locis multos paganos parua manu strauerint, quas eorum munitiones illico ceperint, quaue postremò parte murorū Hierusalem castra posuerint, & cætera: nihilq; habentes, quod respondeant, tam de oblationibus fidelium per hypocrisin susceptis, quam de cæsis ob rapinam, quas seduxerant, turbis, propria maximè Apostasia, necesse est vt pœnitentiam agere cogantur.* Hæc Abbas de zizaniis exercitus sacri *innumerabilis quasi arena maris*, ait Auctor Aquitanicæ historiæ.

Nam Genebrardus ex Fucherio dicit fuisse 600000. Et fortè ita est, computata tota multitudine; etiam imbelli: Etsi ipse ad hanc summam milites ascendisse ferat. qui numerus disertè quoq; ponitur in Epitome bellorum sacrorum nuper in lucem data. Quid, quod numerum Cruce signatorum longè maiorem fuisse oportet, cum collecto-

Genebr. in Chronol.

lecto & recensito ad Nicæam vniuerso exercitu, reperti sint *peditum promiscui sexus sexcenta millia. Equitum verò loricatorum centum millia*, vt scribit Tyrius sub finem libri secundi. nimirum postquam iam variis locis tam multa millia Cruce signatorum occubuerant. imò cum à Nicæa expugnata discessêre. *æstimabâtur, septingenta millia*, inquit VVilhelmus Malmesburiensis. Quod profectò inter admiranda Crucis maximè admirandum est: quando enim simile quid à condito mundo vnquam auditum; Nulla tuba, nullus lituus, nullum classicum vnquam ad arma exciuit tam multos, tam citò, tam ad arduum supraque vires humanas bellum; quàm Crux Crucisque prædicatio. *VVilhel. lib. 4. de Reg. Angl.*

Cæterùm in hac *Cruciata* militia *præcipui & præeminentes exstiterunt*, inquit Vitriacus, *Dux Northmannorum, Comites Tholosanus & S. Ægidij, & Flandrensium, Blesensium & Carnotensium, Hugo frater Regis Francorum, Godefridus Dominus de Bullion, Dux Lotharingiæ, cum fratre suo Balduino. De regno etiam Siciliæ Boemundus cum Tancredo cognato ipsius*; & plures alij, quos lege apud Tyrium. *Tyr. lib. 1. ca. 17.*

Inter Ecclesiasticos potissimùm claruerunt Ademarus Episcopus Podiensis, qui primus in Concilio Claromontano Crucem assumpsit, *Vir vita venerabilis*, ait Tyrius, *qui postea Apostolicæ sedis legatione functus, in eadem legatione populo Dei tam fideliter, quàm prudenter præfuit: & Guillelmus Aurasicensis Episcopus, vir verè religiosus ac timens Deum.*

At verò ex Laicis primum fuisse comitem Tolosanum Raimundum, qui Crucem acceperit, scribit VVilhelmus Malmesburiensis, cuius & hæc est verissima de hac re sententia. *Nunquã proculdubio tot gentes in vnam coiêre sententiam, nunquam tanta barbaries imperio vni & pœnè nullis ceruicositatem substrauit suam. Hoc est miraculum Domini magnum temporibus nostris factum, sæculis omnibus inauditum* inquit Henricus Huntindoniensis, *vt tam diuersæ gentes, tot fortissimi proceres, relictis possessionibus splendidis, vxoribus & filiis, omnes vna mente loca ignotissima, spreta morte, petierint.* *VVilh. lib. 5. de Reg. Angl.* *Hen. lib. 7. Hist.*

CAPVT VIII.

Quâ alacritate, & ordine sacer exercitus iter Hierosolymitanum inierit.

NEQVE verò prôptius crux assumpta est, quàm assumptæ, prout par erat, satisfactum. *Transcussa hieme*, inquit Tyrius, *cũ prima veris subsequẽtis se obtulêre initia, & frigore depulso grata terris est reddita temperies, equos præparant, arma exerũt, cõponunt sarcinas, & mutuis se, q. simul erãt pfecturi, inuitant legationibus, etc. Nõ erat vspiã in tot pũinciis, quot habet occidẽs, dom' otiosa vel vna, etc. dum hic pater familias,* *Tyr. lib. 1. ca. 17. Anno Domini M.XCVI.*

hic

hic filius, illic verò tota domus ad migrãdum se congregaret. Nullus necessitudinum amor, ait Malmesburiensis, *affectus patriæ vilis, solus Deus præ oculis: quidquid in horreis, quidquid in tricliniis repositum, responsurum erat vel auari votis agricolæ, vel thesaurorum incubatoris, deseritur: in solum Hierosolymitanum iter esuritur. Gaudium erat euntibus, mœror remanentibus. Dirigebantur frequentes epistolæ, quibus se mutuò excitabant, attentius moram increpantes, & monentes properare celerius: diligenter præordinantes, quando oporteat eos iter arripere, vbi conuenire, & qua via tutius commodiusque possint incedere: nec enim poterant tot tamque infinita populorum millia in vnaqualibet regione sibi reperire necessaria.*

Delecta, vbi omnibus conueniendum erat, Constantinopolis in Thracia, aut Nicæa in Bithynia: quò variis viis itum. Nam primus omnium anno Redemptionis M. XCVI. *mense Martio, quidam Galterus, cognomento Sensaueir, vir nobilis, cum ingenti multitudine pedestrium turmarum, nam paucissimos secum habebat equites, in viam sese dedit, peragratáque Germania, Vngaria, Bulgaria, Constantinopolim satis feliciter aduenit.* Quem paulò post, eadem via, etsi non pari fortuna, secutus est Petrus Eremita, cum ingenti multitudine, *quam ex omni populo, & tribubus, & linguis, & nationibus collegerat, quasi ad quadraginta millia,* teste Tyrio, tandemque maxima accepta in Bulgaria clade, Constantinopolim attigit, transmissoque Bosporo vnà cum Galteri exercitu castra posuit in Bithynia, vbi dum miles contra professionem suam, Crucis immemor; ducibus obtemperare abnuit; funditus propemodum periit.

Tyr. lib. 1 ca. 18.

Tyr. cap. 19.

Petrum eadem via secutus est Godeschalcus, de quo capite superiore, *quasi ad quindecim millia secum* ducens: post quem eadem via ingressę sunt *turbæ innumerabiles, & peditum manus infinita, absq; duce & rectore, passim & imprudenter incedentes:* quibus se etiam cum suis adiunxit comes Emico: ita vt, auctore Tyrio, ducenta millia peditum, equitum verò quasi ad tria millia conficerentur. Qui tamen omnes, iusto Dei iudicio, vel cæsi vel fusi fugatiq; sunt ab Vngaris; nec immeritò, vt fatentur, qui hæc talia memoriæ prodiderunt; quia perpetratis sceleribus indignos sese reddiderant, qui crucem Christi humeris ferrent, & in militia Crucigera militarent.

Tyr. lib. 1 cap. 27 29. & seqq.

Simili exitu, & fortè simili caussa, consumpti sunt, qui per Saxoniam, & Bohemiam, Folcmaro Presbytero duce, iter agebant: de quibus hæc Vrspergensis: *Paucissimi, qui remanserant, adhuc testari solent, quod Crucis signum super se cælitus apparens ab imminente eos nece liberasset.*

Eodem anno Millesimo nonagesimo sexto, mense Augusto Godefridus Lotharingiæ Dux cum maximis & instructissimis copiis iter ingressus per Germaniam, Vngariam & Bulgariam Constantinopolim venit: traiectoque Bosporo Chalcedone castra metatus est.

De

De quibus ob summam Ducis æquitatem, moderationem & religionem erga Deum, potissimùm accipias illud quod Malmesburiensis testatur; *Præcipuum erat videre miraculum, cum tam infinita multitudo sensim per terras Christianorum, & non prædabunda procederet, & non esset, qui coërceret. Feruebat in omnibus alterutra dilectio, vt si penes aliquem quid repertum esset, quod suum non esse cognosceret, per multos dies passim agnoscendum proponeret, suspendebaturq; interim inuentoris auiditas, dum fortè illius, qui perdiderat, corrigeretur necessitas.*

Post Godefridum Boamundus, Princeps Tarentinus, transmisso cum suo exercitu, Dyrrhachium appulit; & inde Constantinopolim terrestri itinere processit; vt & non longè pòst, eâdem via, Comes Flandrensium cum copiis suis; per Dalmatiam verò Comes Tolosanus, & Episcopus Podiensis cum suis: Tandem per mare Adriaticum & Dyrrhachium Robertus Nortmannorum Comes, & alij in eodem comitatu & exercitu, viri clarissimi & fortissimi.

Cæterùm tot nouæ & instructissimæ copiæ, quarum aliæ post alias Constantinopolim deferebantur; Græcis non modò stuporem, sed & timorem incusserunt, præsertim Alexio Comneno Imperatori Constantinopolitano; qui licet initio, vt scribit Abbas Vrspergensis, summum Pontificem Vrbanum sæpius rogasset, vt totum occidentem contra Barbaros pro defensione orientis concitaret; vbi tamen verba ad rem collata vidit; Græcum se esse nequaquam oblitus est; vt idem Abbas, & Tyrius, & alij non semel testantur, quidquid enim calamitatis extra Bulgariam in Thracia, & Bithynia sacræ militiæ euenit; id huius dolo; technis, versutia, summoque applausu euenit, conuenienter suo ingenio, cui, vt scribit Nicetas Choniates, propria vxor iam iam animam exhalaturo acclamauit. *O marite, & viuens omnibus dolis instructus fuisti, aliud dicere, aliud sentire solitus: & nunc è vita discedens, à consuetudine ista non discedis.* Certè iam tum, propter tam atroces iniurias Cruce signatis exercitibus illatas, mereri cœperunt Græci; vt cum Regia ciuitate in manus illorum traderentur, quos Principes nostri euersum ibant.

Scribunt Zonaras & Glycas hanc tantam Francorum ex occidente in orientem expeditionem præsignificatam fuisse huiusmodi prodigio. *Locustarum infinita multitudo ab occidente orta, & tanta, vt inter volandum nubibus æquipararetur, & solem obumbraret, vrbe maxima, & finibus eius peruolatis, quieuit.* Hæc illi, penes quos fidem facti, & veritatem interpretationis esse volumus: Etsi nihil caussæ, cur hanc expositionē repudiemus; cum locusta sit ex illis *quatuor terræ*, quæ *sunt sapientiora sapientibus*; vt ait sapientissimus Salomon; addens; *Regem locusta non* E *habet,*

Zon. in Annal. Glyc. in Annal. Simile quid narrat Vrsper. in Chronico.

Prouerb. 30.

habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Neque exercitus isti Regem habebant; quando Constantinopolim venerunt; Et tamen per turmas ordinatissimas egrediebantur & ingrediebantur, vt non semel experti Græci, non sine damno. *Non perlustrauerunt radij solares,* inquit Henricus Huntidoniensis, *à prima sui creatione tantam, tam præclaram militiam, tam verendam, tam numerosam turbã, tot & tam bellicosos duces. Cesset Troia, cessent Thebæ duces & principes, destructionis suæ, vt excusentur, nominare. Hic adfuerunt electissimi omnium temporũ filij fulgentes occidentis: omnes crucis signo insigniti: omnes in regnis suis reliquorum fortissimi.*

CAPVT IX.

Præclara & Heroica facinora à Cruce signato exercitu patrata.



TRAIECTO *Bosporo constrauerunt viam plurimo sudore,* ait Robertus, *vsq; Nicæam, &c. Posueruntq; ligneas cruces per reflexus viarum, in testimonium, vt cunctis notum fieret, quod via illa erat peregrinantium.* Primò omnium obsessa Nicæa; cum aliis nominibus, tum gemino Concilio isthic celebrato clarissima: Nec obsessa tantùm fortiter, sed & feliciter expugnata, repulsis maxima strage Turcis, qui numerosissimis copiis obsidionem soluere tentarant. Vrbs ex pactis conuentis Alexio Imperatori Byzantino tradita, non vt Zonaras, Glycas, & alij fabulantur, grandi pecunia vendita. *Sic enim sacramenta firmauerant,* ait Abbas Vrspergensis, *vt vrbes quasq; suo Imperio detractas, pristinæ ditioni, si vincerent, redderent, ipsiq; vicissim tam armis, quàm stipendiis regiis intra metam eandem se foueri non dubitarent.*

Tyr. lib. 3. c. 12. Digressi à Nicæa rursus fundunt Turcarum exercitum, qui, vt Tyrius ait, *ducẽtorum millium dicebatur excedere numerum,* omnes equites. VVilhelmus Malmesburiensis 360. millia sagittariorum fuisse ait.

Ex quo illud etiam discimus militare celeusma, quo se cruce signati ituri in hostẽ animabant simul ac armabant, fuisse hoc: DEVS VVLT, DEVS VVLT. *Acclamato,* inquit, *signo militari,* DEVS VVLT, *dissipatos ordines hostium inuadunt.* Alibi. *Signũ Christianorum latis fragoribus ingeminant:* DEVS VVLT, DEVS VVLT. Sic Græci hostẽ adorientes clamabant; teste Cedreno, σαυρὸς νενίκηκε, *Crux vicit.* Leo Imperator. *Cum iam ad conflictationem mouet exercitus, consueta Christianis vox vsurpanda est, νικητικὸν τοῦ σαυροῦ: Crucis victoria.* Idem. *Quando densata acies ad vnius sagittæ iactũ ab hostibus absuerit, & conflictatio futura est, dicito: ἕτοιμοι, parati. Alius statim excipiat & clamet, βοήθει, iuua, & confestim vna claraq; voce, omnes*

Cedr. in Basil. Leo lib. de appar. bellico cap. 11. Cap. 7.

omnes personent: ὁ Θεὸς, *Deus*. Sic olim Gedeon manus cum Madianitis conserturus præcepit trecentis, quos secum ducebat. *Clangite & concl amate: Domino & Gedeoni, &c. clamaueruntq́: Gladius Domini & Gedeonis.* Videntur & cruce signati Græcorum more, aliquando Crucem insonuisse initio cōflictus. Henricus Huntidoniensis de Christianis ad Antiochiam. *Christiani signum Crucis acclamantes, tam acriter in prima inuasione hostes percusserunt, & propulerunt, vt statim fuga darentur.* Iud. 7.

Symbolum hoc militare, DEVS VVLT, DEVS VVLT, natum esse ex vnanimi totius multitudinis ad orationem Vrbani Pontificis apud Clarūmontem acclamatione, docet Robertus Monachus; nam vbi Papa finem dicendi fecerat, *ita omnium, qui aderant affectus in vnum concitauit, vt omnes acclamarent*; DEVS VVLT, DEVS VVLT. *Quod vt venerandus Pontifex Romanus audiuit, erectis luminibus in cœlum Deo gratias egit, & manu silentiū indicens ait: Fratres charissimi, hodie in vobis est ostensum, quod Dominus dicit in Euangelio: vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, vna omnium vestrum vox non fuisset. Licet enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis vna fuit. Propterea dico vobis, quod Deus hanc à vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum, quia verbum hoc à Deo est prolatum. Cum in hostem fiet bellicosi impetus congressio, erit vniuersis hæc ex parte Dei vna vociferatio*: DEVS VVLT, DEVS VVLT. Robert. lib. 1. Hist. sacra.

Idem Robertus de Cruce signatis quando venerunt ad Boamundum Ducem. *Cum verò per campos discurrendo se bellico vsui exercerent, & iocando inuicem alter in alterum hastas vibrarent, omnes vna voce clamabant dicentes*: DEVS VVLT, DEVS VVLT. *Et hoc signum erat bellici clamoris ipsorum. Et cum hæc iterum audiret vir prudens, & mente capax, magis ac magis in Deo exultauit; quia omnia hæc non tantùm hominum esse intellexit.* Robert. lib. 2.

Quomodo autem idem Boamundus Crucem assumpserit; hunc in modum refert Robertus. *Qui* (Boamundus) *eadem deuotione succensus; duo preciosa pallia iussit afferri, & ex eis corrigiatim incisis, præcepit cruces fieri. Tunc dixit omnibus tam peditibus, quàm militibus, si quis est Domini, iungatur mihi, &c. Et cum his & istis similibus animosus miles finem daret, omnes clamauerunt, qui aderant, dicentes, nos tecum ibimus, & absq́ retractatione viam sancti sepulchri promittimus. Tunc vir sapiens, & astutus Cruces iussit afferri, quas præceperat fieri. Quibus allatis, dixit; si dictis vestris facta vnire vultis, de crucibus istis vnusquisq́ accipiat vnam, & acceptio Crucis, sponsio viæ fiat. Tunc tot ad accipiendum confluxerunt, vt multis ad accipiendum affectantibus Cruces defuerint. Audientes igitur optimates Apuliæ & Calabriæ, & Siciliæ, quod Boamundus viam sancti sepulchri susceperat, omnes ad eum confluunt, & tam medio-*

tres, quàm potẽtes, senes quàm iuuenes, serui quàm Domini viam sancti sepulchri promittunt. Sed ad institutum.

Peragratis domitisque longè lateque variis prouinciis, tandem Antiochiam peruenit cruce conspicuus exercitus: quam & obsidione cinxit; & in potestatem redegit, multis prius non semel trucidatis, qui vel Antiochenis opem latum ibant; vel ex vrbe in obsidentium castra impressionem fecerant. *Capta est autem Antiochia*, inquit Tyrius, *anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octauo mense Iunio, tertia die mensis*: cœpta obsideri decima die mensis Octobris anno nonagesimo septimo. Vix vrbem Cruce signati intrauerant; cum ab ingenti Turcarũ exercitu (trecenta millia fuisse refert VVilhelmus Malmesburiensis, *cum viginti septem Ammiratis*) obsessi, inclusi & in maximas angustias coniecti sunt.

Tyr. lib. 6. c. 14. Tandem tamen Deus populum sibi consecratum respexit, *& gemitus eorum exaudiuit*, inquit Tyrius, *mittens ei consolationem de sede maiestatis suæ. Quidam enim Petrus clericus, vt dicitur, de regione Prouinciæ, ad Episcopum Podiensem, & Dominum Comitem accessit Tolosanum, asserens, quod ei beatus Andreas Apostolus in somnis apparuerit, & eum ter vel quater cõmonuerit diligentissimè, quatenus ad principes loqueretur & nunciaret, vt lanceam, qua Domini nostri Iesu Christi latus fuerat perforatum, in Ecclesia principis Apostolorum occultè repositum cum omni studio perquirerent, eiq́; locum certis designauerit indiciis. Qui accedens ad prædictos Deo amabiles viros, verbum, sicut ei iniunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodem Apostolo multis terroribus ad hoc compulsum. Nam cùm sæpe legationem hanc sibi assumere, quoniam pauper & nullius prudentiæ erat, detrectasset, vrgentissimam Apostoli visionem, nisi cum mortis periculo declinare se non posse profitebatur. Hi autem reliquis principibus verbum secretius communicantes, eundem Clericum præsentem constituunt, vt ab eodem modum & formam visionis acciperent: quibus verbis fidem habentes, ad locum, quem eis intra septa prædictæ Ecclesiæ designauerat, conueniunt, vbi, effossam terram in altum aliquatenus, lanceam, sicut prædixerat, reperiunt. Quod audiens populus, tanquam immissa de supernis consolatione, currunt vnanimes, & donis muneribusq́; tam preciosum multo honore præuenientes inuentum, ceperunt, quodammodo à suis anxietatibus respirare, & in obsequiis diuinis reperiri fortiores. Fuerunt & alij nonnulli, qui se dicebant, visiones Angelorum & sanctorum Apostolorum vidisse: quibus quasi inuicem consonantibus, fides habebatur amplior, & populus à sua deiectione resurgebat in immensum.*

Robert. lib. 5. Mirabiliora litteris prodidit Robertus Monachus. *Erat quidam Admiraldus de genere Turcarum in illa ciuitate regia, cum quo Boamundus plurima & priuata pacis tempore habuit colloquia. Hic inter cetera quodam die requisiuit*

quisiuit ab eo, vbinam castra posuerit ille candidatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio. Dicebat enim quod aduentum illorum nunquam poterant sustinere, sed statim vt viderint illos, incipiebant pauere, illi ipsos vt ventus turbinis opprimerent, & isti vulnerabant, isti obruebant, & isti occidebant. Cui Boamundus ait. Putasne alium exercitum esse quem vides nostrum? Cui ille: per Mahometem meum præceptorem iuro, quoniam si hic adessent, tota eos planities non caperet. Omnes habent equos albos miræ celeritatis & vestimenta, & scuta, & vexilla eiusdem coloris. Sed forsitan ideo absconduntur, ne virtus vestra nobis manifestetur. Sed per fidem, quam habes in Iesum, vbi castra eorum locata sunt? Boamundus itaq; spiritu Dei illustratus, illico sentit hanc, quam viderat Dei visionem esse, nec, quòd quærebat ex tentatione, sed ex bona voluntate procedere: & respondens inquit: licet sis extraneus à lege nostra, quia video te bona erga nos voluntate, bonoq; spiritu animatum, aperiam sibi aliquod fidei nostræ sacramentum. Si tantum profundi intellectus haberes, gratias Creatori omnium referre deberes qui tibi ostendit exercitum candidatum, & scias quia in terra non conuersantur, sed in supernis mansionibus regni cælorum. Hi sunt qui pro fide Christi martyrium sustinuerunt, & in omni terra contra incredulos dimicauerunt. Horum præcipui sunt signiferi, Georgius, Demetrius, Mauricius, qui in hac temporali vita militaria arma gestauerunt, & pro Christiana fide capite plexi sunt: Hi quotiens nobis expedit, iubente Domino Iesu Christo nobis suffragantur, & per hos inimici nostri præcipitantur. Et vt me verum cognoscas profiteri, inquire & hodie, & cras, & in die altera an in tota regione hæc eorum castra poterunt inueniri. Quod si inueniuntur, redarguti in conspectu tuo à mendacio erubescemus. Et cum in tota regione nequiueris illos inuenire, si nobis necesse erit, in crastinum videbis adesse. Vnde igitur tam citò veniunt? nisi à supernis sedibus in quibus morantur. Vide plura eiusdem argumenti apud Robertum.

Addit Henricus Huntindoniensis, Vincentius, & Robertus Monachus, etiam Christum Dominum cuidam sacerdoti apparuisse: quam apparitionem hunc in modum commemorat ex aliorum scriptis Vincentius. *Cuidam sacerdoti aparuit Dominus, cum beatissima genitrice sua, & Petro Apostolo Cruce super caput resplendente, exprobrans beneficia, quæ Christianis contulerat, & ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium: cumq; minaretur se vindicaturum de illis, & mala sua illis redditurum, Mater misericordiæ, & beatus Petrus ciciderunt ad pedes eius supplicantes, ne pro paucorum culpis cunctis irasceretur, qui precibus eorum acquiescens dixit presbytero: Vade, & dic populo meo, lupanar & prostibulum, & omnem à vobis remouete abusum, & infrà quinq; dies, si reuersi fueritis ad me, reuertar ad vos, & opportunũ vobis prouidebo auxilium: & interim quotidie cantetur; Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua, contere fortitudinem illorum Domine, &c.*

Huntind. in Chron. *Vincent. lib. 25. spec. Hist. c. 100.* *Robertus lib. 7. quem vide.*

Hæc Vincentius & alij; quibus inde etiam probabilitas accedit, quod, Tyrio referente; ex communi Principum ad Antiochiam decreto, *fatuas & leues mulierculas ad exercitu sequestrarunt, adulteria & omne fornicationis genus sub pœna mortis inhibentes. Commessationes & ebrietates, & periculosum alearum ludum, incauta iuramenta, in pondere & mensura fraudem, & omnem circumuentionem, furtum & rapinam interdicētes*, constitutis quoque iudicibus, qui in huius interdicti violatores animaduerterent. Eadem Auctor Anonymus, qui huius ipsius expeditionis tempore viuebat, ab hæretico quodam ante aliquot annos euulgatus. Hæc isti de Cruce signatis Antiochiæ obsessis, qui diutius obsidionis impatientes, inuento tam precioso lanceæ thesauro, hostibus aperto campo obuiam iêre, propitiato prius numine per malè commissorum confessionem & corporis Dominici communionem.

Tyr. lib. 4. c. 23.

Podiensis Episcopus Dominicam secum deferebat lanceam: *Sacerdotes verò sacris induti vestibus, turmas circumeuntes & conuentus, crucem deferebant in manibus, & sanctorum patrocinio peccaminum promittentes indulgentiam, & plenam delictorum remissionem his, qui fortiter in acie desudarent, & paternarum traditionum, & Christianæ fidei vellent esse defensores. Episcopi nihilominus, principes & exercitus primicerios tam seorsum, quàm in publico exhortantes, quanta eis diuinitus dabatur exhortationis gratia, instabant, benedicentes populum, & Domino commendantes. Et erant immixti præcedentibus ad prælium Deo deuoti Sacerdotes & Leuitæ, stolis amicti albis, signum crucis mirabile deferentes in manibus.* En castra Dei, en aciem verè ex Christianæ militiæ disciplina ordinatam. Cui meritò accini poterat illud: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.*

Ita etiam Robertus lib. 7. Tyr. lib. 6. c. 16.

Tyr lib. 6. c. 19.

Num. 24.

Nec defuit sacro exercitui, pleno gradu, & explicatis signis in hostem alacriter tendenti cœlestium miraculorum consolatio. *Quidam enim ros suauissimus immissus desuperius*, inquit Tyrius, *modicus, sed gratissimus, super nostrum exercitum descendit, ita placidus, vt quasi in eo benedictionem & gratiā suam videretur Dominus infudisse. Quicunq; enim eo imbre cœlitus immisso conspersus est, ita plenam mentis & corporis hilaritatem, & integritatem sospitatis suscepit, tanquam nihil laboris, nihil molestiæ, tota illa expeditione passus esset: nec solùm hominibus, verùm etiam equis vigor pristinus à Deo restitutus est in integrum, vt qui per multos ante dies non nisi folia, & cortices arborum habuerunt pro pabulo, hostium equos hordeo pastos & palea, tota illa die, & celeritate vincerent, & laboris patientia. Tanta ergo ex illius benedictionis rore nostris legionibus victoriæ spes & fortitudinis gratia videbatur accessisse, vt de eis videretur esse dictum: pluuiam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ. Et Spiritus*

sancti

sancti gratiã manifestè se non dubitarent accepisse. Hoc primum miraculum, & futuræ victoriæ non leue indicium.

Alterum non minus sic describit Tyrius. *Tanta diuina virtus Turcis timorem immiserat, vt vel resistere, vel à se insectantium propulsare iniurias nec attentarent; Decem enim ex nostris videbantur eis quasi multa millia, nec erat, qui à facie nostrorum fugientibus posset ministrare consolationem.* Impletum nempe tum etiam est hoc promissum Dei. *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinq; de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* Tyr. lib. 6. c. 22. Leuit. 26.

Quin & cœlites in conflictu visi, qui non parum terroris hostibus incussêre: *Persuadebant sibi videre antiquos Martyres*, inquit Malmesburiensis, *qui olim milites fuissent, quiq; mortis precio parassent præmia vitæ, Georgium dico, & Demetrium* (Robertus addit *S. Mauricium) vexillis leuatis à partibus montanis accurrere, iacula in hostes, in se auxilium vibrantes. Nec diffitendum est adfuisse Martyres Christianis, sicut quondam Angelos Macchabæis similis duntaxat caussa pugnantibus.*

Addamus & hoc, quod auctor Anonymus prodidit, de Turcorum principe, conspectu lanceæ Dominicæ, omni facultate sese mouendi destituto. *Nequaquam fuis fugitiuis, & attritis sociis ad opem contendere poterat Corbahon, nam illi Podiensis Episcopus cum omni manu prouincialium fortiter in faciem resistebat, eiq; lanceam Dominicam semper opponebat. Vnde colligendum est, quod Deo & Domino nostro Iesu operante, virtus illius, diuinitus sibi timore immisso, elanguit, & corda suorum tremuerunt, quia sic immobilis permanebat in obstaculo, & visione cœlestis armaturæ, vt si omnis pugnæ immemor cum infinito suo satellite haberetur.*

Profligatis hostibus ad spolia sese conuerterunt, quæ tanta in Turcarum castris reperta, *vt cuiuslibet auarissimi exercitus satietatem posset, vel temperare, vel exstinguere*, inquit VVilhelmus. Tantum enim *rerum necessariarum inuenerunt copiam*, ait Tyrius, *vt iam auri & argenti, & gemmarum, holosericarum, & preciosarum vestium, nec non & vasorum tam artificio, quàm materia commendabilium, neq; numerus esset, neq; mensura; equorum etiam, sed & gregum & armentorum. Annona quoq; nihilominus, & victualium tanta ibi reperta est abundantia, vt iam nescirent, quid eligerent, etiam suprema, qui prius laborauerunt inopia.* Lib. 6. c. 22.

Accidit autem hoc 28. Iunij anno Christi M.XCVIII. Nec ex tantis exuuiis nullas Deo decimas, beneficiorum immemores, dedicarunt. *Obtulerunt de spoliis hostium*, inquit Tyrius, *aurum, argentum, vnde fierent candelabra, cruces, & calices, & textus Euangeliorum, & cætera Ecclesiasticis necessaria vsibus vtensilia. Holoserica quoq; ad opus sacerdotalium instrumentorum, & altarium operimenta.* Eadem Anon. lib. 5 cap. 1.

Obser-

Obſeruandum porrò ex relatione Tyrij, an hodiernis ſectariis non bellè conueniat cum Turcis in profanatione ſacrarum ædium & demolitione imaginum. Accipe Tyrij verba. *Gens Turcarum impia, loca profanauerat venerabilia; & eiectis inde cultuum diuinorum miniſtris, vſibus profanis ea deputauerant, in aliis equos, & iumenta quaſi in ſtabulis collocantes, in aliis verò indigna iis locis exercentes negotia. Venerabiles quoq; Sanctorum imagines ex ipſis deraſerant parietibus, & quaſi in viuentes perſonas deſæuientes, oculos effoderant, & mutilauerant nares, & luto ſumpto de immundis, obduxerant; deiecerant altaria, & nefandis operibus inquinauerant ſanctuarium Domini.* Abbas Vrſperg. de Eccleſiis, quas Turcæ in Aſia occupauerant. *Vidimus*, inquit, *& adhuc videre miſerabile ſpectaculum eſt, in ſemidirutis partium illarum Oratoriis, ipſam Saluatoris noſtri, eiuſq; glorioſiſſimæ genitricis, ſeu quorumlibet Electorum picturas truncatis naribus, & auribus, manibus & pedibus, deſolatarum Eccleſiarum quodammodo luctum viſibiliter prætendere.* An non ſimilia Hæreticæ impietatis documenta paſsim in oculos noſtros incurrunt?

Tyr. lib. 6. c. 23.

Cæterùm vt poſt hanc pugnam, qua, vt ait Matthæus VVeſtmonaſterienſis, *nulla maior Chriſtiano exercitui cum Saracenis fuit,* Deus ſuos incredibili rerum omnium copia exhilarauit; ita eoſdem poſt diſceſſum à Nicæa ſimili vbertate lætificauerat, adeò vt, quod Abbas Vrſpergenſis ſcribit *aries nummo, & bos ficlo*, ſeu, vt Sigebertus ait: *vix duodecim nummis* venderetur, quod ipſimet principes teſtantur in epiſt. ad Paſchalem Pontif. quæ exſtat apud Dodechinum, & Vrſpergenſem.

Græci ſcriptores, vt Zonaras, Glycas, alij, acriter inuehuntur in noſtros, præſertim Boamundum, quod Imperatori Alexio Antiochiam ex pactis non reddiderint; quantumuis licet non ſemel repoſcenti. Sed rectè Tyrius ait: *iniquum eſt ei fidem ſeruare, qui contra pacta nititur verſari. Nam cum noſtris principibus ex compactis teneretur obligatus, quod conuocatis exercitibus ſtatim nos ſequeretur, & per mare nauibus continuum eis miniſtrari faceret commercium, & rerum venalium toto itinere exhiberi preciperet opulentiam: vtrumq; neglexit fraudulenter adimplere, cum ſine difficultate vtrumq; potuiſſet effectui mancipare.*

Tyr. lib. 7. c. 20.

Nec omittenda controuerſia, quæ de lancea ſimul ac in lucem prodiit, excitata, & poſtea renouata fuit; ſed à quo? Ab Arnulpho Toloſani Comitis familiari & capellano, *viro quidem litterato, ſed immundæ conuerſationis, & ſcandalorum procuratore*; ait Tyrius; num vera & legitima eſſet; an verò commentitia & ſuppoſititia. *Cumq; diu ſuper hoc,* addit Tyrius, *in populo ſermo diſcurreret contradictorius, hic qui eam reuelationem ſibi factam eſſe aſſerebat, vt populo fidem faceret, & omnem tolleret ambiguita-*

Tyr. lib. 7. c. 18. Eadem Anonymus lib. 5. cap. 32.

biguitatem, rogum copiosum iubet accendi, pollicens auctore Domino, certo per ignem experimento, fidem se facturum incredulis, quòd nihil confictum, nihil commento adumbratum in eo facto intercessisset, sed sola reuelatione diuina ad notitiam hominum, & consolationem totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cuius incendij feruor etiam circumpositos terrere poterat: conuenit vniuersus populus à maiore vsq; ad minorem, in ea sexta feria, quæ sanctum Domini Pascha præcedit, in qua & mundi Saluator pro salute nostra passus legitur, vt tantæ rei plenum haberet experimentum. Qui verò tam periculosum examen sponte subiturus erat, &c. oratione facta, in conspectu circumseptarum legionum, assumpta secum prædicta lancea, per ignem transiuit, quantum populo videbatur, illæsus. Hæc Tyrius. Sed quia post paucos dies decessit; quæstio non modò, non est finita, sed & litibus adaucta; aliis aientibus, accelerati obitus occasionem tentatum incendium fuisse; aliis dicentibus, incolumem ex igne exiisse; sed egressum ab irruente, caussa deuotionis, turba ita oppressum, *vt vitæ finem administrarent.*

CAPVT X.

Hierosolyma capta, regnumq; Hierosolymitanum institutum, & amplificatum; hostes Crucis virtute sæpius profligati; ciuitatesq;, imò prouinciæ totæ subactæ.



ECREATO nonnihil apud Antiochiam exercitu Cruce signato, copiisque quæ hinc inde dispersæ, in vnum conductis, Hierosolymam versùs fausto pede processerunt, multis vrbibus in via aut in deditionem acceptis, aut vi expugnatis: Venerunt autem Hierosolymã anno Domini M.XCIX. septimo die Iunij, *diciturq; fuisse aduenientium numerus,* inquit Tyrius, *promiscui sexus, ætatis & conditionis, quasi ad quadraginta millia, inter quos expeditorum vix poterant esse viginti millia peditum, equites autem mille quingenti. In vrbe verò dicebantur virorum fortium, & optimè armatorum quadraginta millia.* Tyr.lib.8.c.5.

Porrò cùm quidam cæteros antegresi ex agro Hierosolymitano prædam abduxissent; & ad exercitum regresi exposuissent, vndenam præda illa aduenirct; Cruce signati, *audito nomine ciuitatis, pro qua tot & tantos labores pertulerant, præ feruore deuotionis lacrymas & suspiria cohibere non valentes pronos in terrã se dederunt, adorantes & glorificantes Deũ, de cuius munere venit, vt sibi à fidelibus dignè & laudabiliter seruiatur, &c. Vnde progreßi pusillum è vicino vrbem sanctam contemplantes, cum gemitu & suspiriis* Tyr.lib.7. cap.vlt.

F *præ*

præ gaudio fusis spirituali, pedites & nudis ex plurima parte vestigiis, cœpto feruentius insistentes itineri, subitò ante vrbem se constituerunt.

Tyr.lib.8.c.11. Pridie, quàm generalis oppugnatio indiceretur, *indictæ sunt vniuerso populo Litaniæ, & assumptis* CRVCIBVS, *& sanctorum Patrociniis, (hoc est, reliquiis) Episcopi & Clerus vniuersus induti sacerdotalibus, & Leuiticis indumentis, nudis pedibus & cum multa deuotione populum subsequentem vsq; ad montem Oliueti præcesserunt, &c.* Subdit Tyrius. *Ciues autem & à turribus, & muro positi admirantes, quid sibi vellet huiusmodi circuitus, arcubus, & balistis tela in turmas iaculabantur: sed &* CRVCES (en morem Caluinianum) *in nostrorum opprobrium & contumeliam, quas super murum locauerant, sputis, & aliis immundis actionibus ignominiosè tractantes, in Dominum nostrum Iesum Christum, & eius salutiferam doctrinam conuicia, & verba blasphemiæ impudenter congerebant.* Sed carò stetit illis hæc petulantia, quam sanguine luerunt; multis millibus interemptis, capta vrbe anno Domini

Tyr.lib.8.c.24. M. XCIX. decima quinta die mensis Iulij, *circa horam diei nonam: anno tertio, ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis onus sibi assumpserat; præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ Domino Vrbano Papa secundo.*

Nec cœlestibus prodigiis hęc expugnatio caruit: cùm enim quadam die exercitum desperatio inuasisset; omnibus machinamentis, quæ capiendę vrbi adhibebantur, in irritum recidentibus, *adfuit diuina virtus,* inquit Tyrius, *quæ rebus desperatis necessariam, & pro votis hilariter intulit consolationem. Nam de monte Oliueti miles quidam, qui tamen postea non comparait, splendidum & refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus, vt redirent in idipsum, & congressionem iterarent. Quo signo exhilaratus animo Dux Godefridus, qui cum fratre suo Eustathio in superiore castelli nostri cœnaculo ad vrbem impugnandam, & ad cautius tuendum ædificium erat constitutus, populum, & maiores cœpit ingentibus reuocare clamoribus. Factumq; est, prauia Domini misericordia, quod vniuersus cum exultatione ad pugnam reuersus est populus, cum tanto feruore, vt tanquam viribus integris de nouo incipere viderentur prælium. Deniq; qui prius aut fessi, aut læsi vulneribus operam subtraxerant, nunc receptis animis, & viribus geminatis vltrò se offerebant, instantes animosius.*

Tyr.lib.8.c.22. Illud item miraculis adscribendum; quod Tyrius memoriæ prodidit; Ademarum Episcopum Podiensem, qui Antiochiæ obierat; *à multis in sancta ciuitate visum esse, ita, vt multi viri venerabiles, & fide digni eum super ciuitatis murum, primum omnium adscendisse, & cæteros animasse ad congressum, oculis corporeis se vidisse constanter assererent. Et postea plurimis loca venerabilia circumeuntibus, eadem die manifestus apparuit: aliiq; quàm plures, qui in toto itinere diuinis obsequiis mancipati, piam in Christo dormitionem acceperant, in eadem ciuitate apparuerunt multis.*

Nec

Nec omittenda Ducis Godefridi pietas, qui machinæ suæ seu castello, ex quo ad muros vrbis applicato, fortissimè dimicabat; crucem imposuit, tutelæ gratia. *Erat*, inquit Anonymus, *crux in summitate eiusdem machinæ, figuram continens Domini* IESV *auro fulgidißimam, quam Saraceni iactu mangenarum assiduè moliebantur percutere: Sed nulla eis feriendi facultas, aut amouendi concessa est.*

Tandem hostibus profligatis & concisis, *armis depositis, in spiritu humilitatis, & in animo contrito, nudis vestigiis, lotis manibus, & sumptis mundioribus indumentis, cum gemitu & lacrymis loca venerabilia, &c. cœperunt cum omni deuotione circuire, & cum intimis deosculari suspiriis: speciatim autem Dominicæ Passionis & Resurrectionis Ecclesiam, vbi Clerus, & populus fidelium, &c. de restituta libertate Redemptori gratias exhibentes; cum crucibus & sanctorum patrociniis Principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis & canticis spiritualibus introduxerunt Ecclesiam.* Tyr. c. 2.

Octauo die à capta vrbe conuenerunt Principes, Regis creandi gratia. Electus est concordibus suffragiis Dux Godefridus; qui munere accepto nomen & insignia Regis, coronamque & sceptrum repudiauit; asserens (qua erat Christianæ submissionis abundantia) indignum, vt ea in vrbe, in qua Christus pro salute generis humani spinis coronatus fuerat, ipse coronaretur auro. Ita Tyrius, & plerique alij. Rectius omnino, quàm fragmētum Historię Francicæ, quod à Principibus cautum memorat, ne regium diadema intra sanctam vrbem gestaret. Nam totum hoc factum modestiæ, & religionis fuit; non imperij. Si enim successores diademate regali vsi sunt; cur non licuisset etiam Godefrido, si libuisset? Cuius primordia regnandi illustrauit Deus inuenta parte non modica Crucis Dominicæ. Rem his verbis describit Tyrius. *Per idem tempus inuenta est in parte sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ, seorsum, portio vna Crucis Dominicæ, quam ob metum gentilium, quorum iugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautelam, multò antè, paucis admißis, occultauerant. Hanc studio & opera cuiusdam hominis Syri, qui eius tam pretiosi depositi fuerat conscius, repertam, theca reconditam argentea, primùm ad Domini sepulchrum, deinde ad templum Domini, cum hymnis & canticis spiritualibus deportantes, persequente eam vniuerso Clero, & populo, consolationem quasi de cœlo missam omnes in commune acceperunt, arbitrantes se laborum & molestiarum suarum mercedem condignam recepisse.*

Tyr. lib. 9. c. 9. Vitriac. c. 20. Tyr. lib. 9. c. 5. Anonym. lib. 6. cap. 38.

Scribunt nonulli, inter quos Henricus Huntindoniensis, qui eo tempore viuebat, Regnum Hierosolymitanum Roberto Normānorum Duci oblatum fuisse; hunc verò formidine laborum & periculorum id repudiasse, ac propterea Numine offenso, nihil amplius prosperè euenisse. Idem Matthæus VVestmonasteriensis.

At ecce, vix arma Cruce signatus exercitus posuerat, cum resumenda fuêre; Aegyptiis cum innumerabili Saracenorum multitudine vrbi sanctæ imminentibus. *Nostri, qui nil minus diligerent, quàm obsidiales ærumnas denuò perpeti,* inquit VVilhelmus Malmesburiensis, *sumpta ex Dei parte audacia, ex vrbe versus Ascalonem prodeunt, obuia hostibus inferentes pectora, portabantq; secum partem Dominici ligni, &c. cumq; hostium exercitum conspexissent innumerabilem,* verba Vrspergensis refero, *genibus flexis Deum inuocauerunt, vt qui in aliis necessitatibus sibi semper adfuerat, in præsenti bello confractis viribus paganorum & Diaboli, regnum Christi & Ecclesiæ à mari vsq; ad mare vsquequaq; dilataret.*

Ex epist. princip. Orient. ad Occidentales, Exstat apud Dodechin. in append. ad Marianũ Scotum: Ex eadem pleraq; sumpsit ad verbum Abbas Vrsperg. Anon. lib. 6. cap. 43.

Vniuersus populus, inquit Anonymus, *bello armatur, in voce exultationis, & omni dulci modulatione iucunditatis, citharis & musicis, tanquam ad conuiuium pergentes lætati: sanctæ Crucis signaculo ab Arnolfo, Petro, cæterisq; sacerdotibus muniti & signati, confessionis puritate confortati sunt, &c. Præfectus autem ciuitatis Rametis* (erat hic Saracenus, sed Christianis fœderatus) *videns populum in tibiis, citharis, musicorumq; sonis, ac voce exultationis iucundari & psallere, &c. admiratus est vehementer, & Ducem super his sciscitatur dicens: Miror, & sufficienter mirari nequeo, vnde populus hic in tanta lætitia, & voce exultationis glorietur, quasi ad conuiuiũ iturus, cum hodie mors illi præsens sit, & præsens Martyriũ vniuersos præstoletur, &c. Ad hæc Dux fide plenus, &c. sciscitanti viro super his sapienter exposuit, cur in spe hodiernæ mortis, præsentisq; prælij ingenti gaudio dulciq; melodia Christianus populus delectaretur. Dicebat enim, populus hic, quem vides & audis in voce exultationis aduersus inimicos properare, &c. scito, quod certus est hodie de corona regni cælorum, &c. Idcirco non timemus mortem, &c. Hoc verò signum sanctæ Crucis, quo munimur & sanctificamur, proculdubio spiritale nobis scutum est contra iacula inimicorum, & in eodem sperantes tutius aduersus pericula cuncta stare ardemus. In hoc vtique ligno sanctæ Crucis redempti sumus de manu mortis & inferni, ac potestate Angeli nequam, &c.*

En quantum cruce signati milites in cruce Dominica spei & præsidij posuerint. Videntnr autem sacerdotes, qui crucis lignum ferebant, exercitui ipso crucis ligno cruce efformata benedixisse; eo modo, quo nunc etiam reliquiis, sacrisque crucibus benedictio dari solet.

Adiungit Anonymus. *Ducis responsione audita; rogatur per perennis vitæ instructionem suprà dictus gentilis, vt cum & ipse caussa Christianissimi Ducis, & Catholici populi contra gentem, & confratres suos pugnaturus esset, eodem sanctæ Crucis signaculo muniatur & sanctificetur, quatenus fide & spe eiusdem sanctæ Crucis, & Crucifixi incolumis ab armis & inimicorum insidiis conseruaretur. Vtrum autem statim aut post bellum baptismum susceperit, incertum habemus, præ-*

ter

ter quod quidam profitentur, quod visa virtute, & victoria Christianorum, baptismi gratiam perceperit. Huius verò sanctæ Crucis signaculo de manu Arnolfi (Patriarchæ) *vniuerso cœtu Christianorum cum gentili Principe sanctificato, ad arma sumenda, loricas induendas, &c. omnium fit labor & intentio.*

Nec mora, clamantibus ad se Deus adfuit, atq; tantas audaciæ vires ministrauit, vt qui eos in hostem currere videret, fontem aquæ viuæ sitientem ceruum segnem haud iudicaret, miro videlicet modo, cum in exercitu Christiano non plusquam quinq; millia equitum, & 15. millia peditum fuissent: & in exercitu hostiū centum millia equitum, & quadringenta millia peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis Deus apparuit, cùm antequam confligerent, pro solo impetu eorum hanc multitudinem in fugam conuertit, & omnia eorum arma diripuit, &c. De spoliis verò non est quærendum, quantum captum sit, vbi thesauri Regis Babyloniæ occupati sunt. Tantam variæ supellectilis, & peregrinarum copiam inuenerunt diuitiarum, vt vsq; ad nauseam satiati, mella fastidirent & placentas, inquit Tyrius, *& pusillus & abiectus dicere posset: Inopem me copia fecit.* Tyr. lib. 9. c. 12.

Ceciderunt ibi plusquam centum millia Maurorum gladio, ait Vrspergensis: *timor autem illis tantus erat, vt in porta ciuitatis ad duo millia suffocati sint: de his verò, qui in mari interierunt, non est numerus, spineta etiam ex ipsis multos obtinuerunt. Pugnabat certè orbis terrarum pro Christianis, &c. Nubes etiam ab æstu solis Christianos defendebant, & refrigerabant. Sic igitur palma sine labore concessa,* ait Tyrius, *cum ingentibus gratiarum actionibus reuersi sunt Hierosolymam, tam principes, quàm vniuersus Christianus exercitus, onerati manubiis, & prædam inauditam secum trahentes, gaudentes, & exultantes in Domino, tanquam victores capta præda, quando diuidunt spolia.* Quocirca posteris quoque temporibus *non in fortitudine sua, neq; in multitudine, sed in sola protectione Dei spem habentes, & salutiferæ Crucis vexillum secum semper in prælio deferentes, inimicis partim fugatis, partim trucidatis, partim carceri mancipatis, vrbes munitissimas, & castra inexpugnabilia Christo subiecerunt.* Vitriacus c. 22.

Parta hac victoria pleriq; Principes peregrinationis voto fideliter ac feliciter persoluto, domū rediêre, remanentibus ad noui regni solamē simul & amplificationē, Duce Godefrido, & Tancredo, cuius in hac tota expeditione prædicantur ab omnibus historicis insignia, & heroica prorsus facinora. quibus hunc Panegyricum iam olim meritò decantauit VVilhelmus Malmesburiensis : *Prædicabiles profectò principes, & quorum titulis nullas vnquam affiget metas postera, si rectum iudicet, ætas: viri qui ab extremo Europæ frigore in importabiles se orientis calores immerserunt, vitæ suæ prodigi, dummodo Christianitati laboranti succurrerent. Qui præter metum Barbaricorum incursuum, semper pro incommoditate ignoti poli suspecti, securitatem quietis, & sanitatis in patria contempserint, & pauculi numero tot inimicorum vrbes fama, & effectu virtutum presserint, memorabili*

fiducia Dei exemplo; vt illic non dubitarent subsistere, vbi vel pestifero afflarentur aëre, vel Sarracenica occiderentur rabie. Cedant ergo poëtarum praeconia, nec priscos Heroas vetus attollat fabula. Nihil vnquam horum laudi comparabile vlla genuêre secula. Nam & si qua fuit illorũ virtus, in sepulchrales fauillas post mortem euanuit, quod potius in mũdialis pompa fumum, quam in vllius boni solidum effusa fuerit. Istorum autem fortitudinis sentietur vtilitas, & ostendetur dignitas, quamdiu orbis volubilitas, & sancta vigebit christianitas.

Dux porrò magnanimus, & cui vix quisquam in religione comparabilis inueniatur, inquit Vrspergensis, *parua licet manu fultus, magna quaeq; in Domino cœpit attentare, reliquias gentilium quacunq; remanentes persequi. praesidia locis opportunis instituere, Ioppen diu destructam, portumq; ibi iam diu desolatum renouare, Ecclesias, Clerumq;, quantum potuit, reparare: cœnobitas alibi congregare, donaria multa tam Monasteriis, quàm Hospitali, quod nunquam defecerat in Hierusalem, deuotissimè conferre.*

Verumenimuerò occulto Dei iudicio accidit, vt recens tenerumque adhuc Hierosolymorum regnum tanti Ducis vita diutius frui non posset; vix enim exacto anni spatio ad meliorem vitam à Deo euocatus terrenam Hierusalem cum cœlesti illa cõmutauit, mortuus v. Kalend. Augusti, Anno Domini M. C. *Sepultusq; in Ecclesia Dominici sepulchri, sub loco Caluariae, vbi passus est Dominus*: cuius tumulo haec epigraphe inscripta fertur. *Hic iacet inclitus Dux Gotfridus de Bullion, qui totam istam terram acquisiuit, cuius anima regnet cum Christo.*

Tyr. lib. 9. c. 23. In epis. Bell. sacrorum Tom. 6. Antiq. Lect. Vide Tyr. lib. 11. c. 17. Auen. lib. 6. cap. 54.


Non est autem silentio inuoluendus mos regredientium Hierosolymis in patriam: palmas quippe secum ferre solent digma additi sepulchri Dominici. Malmesburiensis de Balduino qui Edessa; & de Boamundo, qui Antiochia Hierosolymam pietatis caussa adierant, cum ad suos reuerterentur. *Post circumcisionem Domini sumptis in Hiericho palmis, quod insigne peregrinantium antiquitas instituit, sedes quisq; suas raptim repetere properarunt.* Hinc saepe legas illud: *Palmati redierunt Hierosolymis.*

CAPVT XI.

Memorabilia, quae virtute crucis in regno Hierosolymitano gesta post obitum Ducis Godefridi, vsq; ad mortem Balduini Primi coronati Regis.



D V C I Godefrido successit in regno Hierosolymitano Balduinus frater eius; qui antequam sacer exercitus Antiochiam perueniret; ab eo discedens, copiasque non modicas seorsum ducens bonam Ciliciae partem sibi subic-



ſubiecerat, non tam reluctantem, quàm volentem ac lubentem. *Nec ſolum Cilicia*, inquit VVilhelmus, *ſed Armenia & Meſopotamia familiaritatem viri appetiuere:* Comes Edeſſæ factus, & quocunque proficiſceretur *ab Armeniis & Syris grato excipiebatur gaudio, & indulgenti fouebatur hoſpitio cum* CRVCIBVS, *& candelabris per tramites occurrentibus*, vt idem VVilhelmus ſcribit.

Edeſſa igitur euocatus ad regnum Hieroſolymitanum, ſubditos otio langueſcere non permiſit; ſed foras in hoſtem, finium amplificandorum cauſſa eduxit: & primo Antipatridem cepit: auxilio Genuenſium, mox Cæſaream; in cuius expugnatione *Patriarcha crucē Dominicam prætulit*, vt ait Anonymus, ad *defenſionem & protectionem gentis Catholicæ ſtola ſancta, & cādida pro thorace indutus, quē vſq; ad muros tota manus pugnatorum ſequi non dubitauit.* Paulo pòſt inter Liddam, & Ramulam cum equitibus ducentis ſexaginta, peditibus verò nongentis Aegyptiorum equitum vndecim millia, peditum verò viginti millia profligauit, ſed tamen *præuio ligno Crucis Dominicæ, quam quidam Abbas religioſus cum multo Dei timore geſtabat in manibus.* *Anon lib. 7. cap. 56.* *Tyr. lib. 10. c. 17.*

Longè accuratius ſcribit de hac victoria Abbas Vrſpergenſis. Adſcribam eius verba, quia ad crucis illuſtrationem plurimùm faciunt. *Egreſſus X L. millium exercitus de Babylone, primùm ad obtinendam Ioppen tendens, non longè ab Aſcalone, ſumptis nimirum inde ſociis conſedit. Balduinus verò rem non ignorans, ſuos vndique, &c. in Ioppen congregat, vbi tunc non parua manebat peregrinorum turba, &c. Deniq; cuiuſdam diei hora tertia, præcedente Regem ligno Dominicæ Crucis, &c. extra ciuitatem Ioppen totius populi conuentus eſt factus, iuſſuq; Regis Arnoldus quidam, &c. Clericus, ſic in medio concilij eſt exorſus. Beata gens, &c.* Et cum concionem eius, quantuſque animorum motus ſubſecutus fuiſſet, expoſuiſſet; ſubiungit: *Protinus ante Crucem reparationis noſtræ confeſſione peccatorum vnanimi humiliatione facta, ac poſt dictam indulgentiam ab Apoſtolico Legato, qui tunc fortè aderat, benedictione accepta, Domini inclamantes adiutorium, caſtro ſunt alacres redditi, indeq; ſummo mane ad ſeptem millia peditum, milleq; equites recenſiti, periculo ſunt ingenti cum gaudio magno præſentati. Viſa igitur ſtatione barbarorū, tanta ferueſcere cœperunt fide, vt vnuſquiſq; ſe ſolum tot legiones ſternere poſſe non dubitaret: indeq; contigit, vt dum per vnum penè miliarium inordinatè currendo minus cautè ſe hoſtibus infundunt, prima cohors à latere inuaſa illicò tota rueret. Quare Balduinus efferatus animo, tanto illos equitatus impetu violat, vt ſicut cera à facie ignis ante ipſum liqueſcerent.*

Referebat mihi venerabilis Abbas Gerardus, qui tunc Crucem Dominicam ſemper lateri Regis contiguus præferebat, nunquam ſe tantum niuis vel pluuiæ, quantam tunc telorum contra Regem volare denſitatem vidiſſe: ac poſt LIGNI

PRE-

PRECIOSI *intuitum, nullum ex hostibus, telis se vel armis, sed vniuersos fugæ præsidio se commisisse.*

Commemorat deinde quomodo prȩda castrisq; hostium opulentissimis direptis, terra mariq; obsessæ ciuitati Ioppensi Rex subsidio accurrerit; additque admirabile prorsus virtute sanctæ Crucis patratum miraculum. *Sequenti* (ab aduentu Regis) *die, multam nobis abundantiam frumenti, cunctorumq́ victualium cum peregrinis fratribus ad duodecim millia æstimatis, naues triginta deferebant: quas cum hostium classes inuadere niterentur, mira Dei potentia per virtutem sanctæ Crucis, quæ, dum nil carnalis adiutorij de ciuitate conferri posset, in altum è contra, iubente Rege, leuabatur, adeò repressit, vt nullo conatu, vel arte remigandi de loco moueri, vel vnam de tot nauibus posse, tam pagani, quàm Christiani populi nimis mirarentur.*

Anon. lib. 7. cap. 64. 65. 66. Auctor Anonymus, qui ipso tempore primæ expeditionis viuebat, idem prælium describit; sed aliter: nam tres acies ex nostris prope ad internecionem deletas ait; *Rex ergo tam graue exterminium suorum fieri videns, vehementer cum duabus aciebus, quæ secum remanserant, timore concussus est. Ad hæc duo Catholici Episcopi, Gerhardus & Baldevvinus, quorum alter Gerhardus Crucem Dominicam præferebat ad confusionem, & occæcationem Sarracenorum, & liberationem Christianorum, Regi in mansuetudine, & correctione sic locuti sunt. Timemus, Domine Rex, ne ob discordiam, quæ inter te & Dominum Patriarcham orta est, hodie nostris victoriæ fiat impedimentum. Ideo monemus te, vt cum illo in concordiam redeas, & sic Domino Deo pacis satisfacias, quatenus à præsenti periculo liberemur.* Quibus Rex, *rectè*, inquit, *monuistis, & hæc dicens, ab equo desiliit, & coram Dominica Cruce procidens in terram, adorauit Dominum cæli, & hæc Pontificibus responsa dedit: patres & fratres in Christo charissimi, pastores & doctores, peritissimi, iudicium mortis nobis præstò est, &c. inimici innumerabiles obstant in arcu, &c. de quorum manibus sic me Dominus Deus eruat, vt non cum illo pacem componam, &c. Et hoc dicto cum iureiurando, confessionem delictorum suorum coram iisdem Episcopis fecit. Deinde corporis & sanguinis Dominici percepta communione, decem milites loricatos cum Gerhardo Episcopo, lignum sancta Crucis præferente, reliquit. Ipse verò ascendens, equum, &c. præmisit quartam aciem, &c. & in momento cum sua quinta acie affuit, agens graue prælium cum hostibus, ac repetens, cædes & strages non modicas operatus est.*

Cum sic Rex per medios hostium globos irrumperet, campos occisorum cadaueribus sterneret, quidam nominatissimus Ammiraldus, Episcopo Crucem ferenti occurrit in furore vehementi, vt raptim caput eius detruncaret. Sed diuina vltione & percussione præuentus, subitanea morte suffocatus expirauit. Deinde alter Ammiraldus, dum subito ipsum Regem Christianorum impeteret, mox equus illius trans ceruices hasta Regis confixus est, quæ ipsum etiam Ammiraldum eodem ictu &

& impetu trans pectus & iecur viriliter perforauit, sicq; ambo equus scilicet & sessor eius à Christiano Rege occisi sunt. Itaque duobus Ammiraldis, exercitus Babyloniorum magnis ductoribus, primo diuina vltione, altero Regis transfixione (in- teremptis *) Rex & vniuersi sui recuperatis viribus per medias acies Sarracenorũ, in multitudine densatas, irruperunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ* CRVCIS, *inauditam illorum occisionem facientes vsque ad vesperum, donec hinc & hinc fatigati vtrinque se à bello continuerunt.*

Verùm Rex & reliquiæ fidelium obtinentes camporum planiciem in castris inimicorum pernoctauerunt. Sarraceni verò desperati in montis cacumine ea nocte remanserunt. Patet hîc profectò, quomodo virtus sanctæ Crucis non solùm contra inuisibilium iacula præualet inimicorum, sed etiam aduersus arma visibilium; quia in prima, secunda, tertia, ac quarta acie superbia, ac fortitudo gentilium vincendo præcessit, in quinta vero acie, in qua lignum sanctæ ac venerãda Crucis ante Regem & eius socios præferebatur, tota virtus infidelium cœpit infirmari, humiliari & conculcari. Sed & Principes eorum ferocissimi, Deo gloriam non dantes, nec sanctæ Cruci, sed in eam sibi oppositam audacter & insipienter irruentes, subitanea morte præoccupati perierunt. Hæc Anonymus de hoc prelio planè memorabilia; & ad Crucis gloriam illustrandam contra Crucis inimicos obseruatu dignissima.

Cæterùm copiis his partim trucidatis, partim cæsis restabant aliæ ad Ioppen; quæ cùm quibusdam non viderentur aggrediendæ, exercitu Christiano adeò imminuto, Rex hac oratione vacillantium animos erexit. *Quid consulam nescio, nisi vt in nomine Domini Iesu, & in virtute sanctæ Crucis vniuersi stemus aduersus incredulos pugnantes; potens est enim Deus etiam de istorum manibus nos liberare, &c. Hac Regis exhortatione milites omnes & pedites* (quorum vniuersim tantùm erant 40. equites & 200. pedites) *roborati in spe vitæ æternæ, inimicorum turmas* (erant viginti millia) *operientes, visas à longè, armis properè induuntur, lignumque Dominicum semper ante faciem habentes, graue prælium cum hostibus commiserunt. Occæcati itaque & infirmati Sarraceni in obstaculo tam venerabilis ligni, timore illis immisso, non diu perseuerarunt in bello. Visa quippe Christianorum audacia, & suorum nimia ruina, alij versus Ascalonem fugientes, alij versus montana Hierusalem, victi ac dispersi diffugium fecerunt, Rege eos in graui exterminio crudeliter insequente.* Hæc Auctor ille Anonymus; sed fide dignissimus: Nam literis mandauit; quæ suo æuo gesta, quæque ab illis, qui interfuêre, didicit.

Nec silentio præterire debemus miraculum vetus, quia iam pridem vsitatum; nouum, quia tunc præter solitum, dilatum; anno Domini M.C I. populo Dei ostensum in vigilia Paschę: quod ex relatione Herimanni presbyteri in literas misit Vrspergensis. *Die sacratissimi sabbati, quo secundum antiqua misericordiæ Domini εὐαγγέλιον, baptismate iam*

consecrato, lumen de cœlo nobis ministrari deuoti nimis exspectabamus vsq; ad vesperã, orationibus solitis institimus: tuncq; propter peccata nostra, desiderato dono cœlesti, quod etiam in conspectu gentium olim Christiani ante nos semper suscipere solebant, omnimodò frustrati, absque omni festiua synaxis officio, noctem illam Dominicæ resurrectionis lugendo tantùm & mœrendo transegimus: summo autem mane cum Litaniis à sepulchro Domini nudipedes processimus: ingressiq; ante templum Domini, quo scilicet loco, id est, in monte Morea in area Dauidem in maxima tribulatione exauditum, cunctosq; exaudiendos qui idem corde deuoto orauerunt, Salomoni promissum legimus. Mox post preces lacrymasq; ne nos deserẽdo, Christus nomini suo blasphemiam inter gentes præpararet, fusas, necdum atrium illud famosum egredimur, & ecce concrepantia signa laudes altisonas in occursum nobis ab his, qui remanserant reboantes audiuimus, intrantes verò Ecclesiam prænominatam (sepulchri Domini) *lampades duas, cœlitus incensas immenso gaudio repleti conspeximus. Quid plura? A baptismi officio, quo pridie cessaueramus, incipientes, totum seruitutis nostræ pensum, Domino dudum subtractum, vsque ad Missæ completionem, latissima deuotione persoluimus, nobis quoque egressis inter Missam Syrorum, qui semper post nostrũ egressum eodem psallere choro solent, lampades aliæ diuinitus accenduntur; ante vesperas verò & inter ipsas vespertinas laudes vsq; ad sedecim huiusmodi lumina visibiliter ampliantur, sicq; contigit, vt pauci intra Hierusalem seu Christiani seu pagani reperirentur, qui tam euidentem Christi potentiam se non vidisse testarentur.*

Eiusdem annui miraculi, nonnihil dilati, meminit VVilhelmus Malmesburiensis; sed malè initio templum sepulchri, in quo accidebat, confundere videtur, cum templo Domini, eo loci exstructo, vbi erat olim templum Salomonis; quodq; Mahometana superstitio suis vsibus destinarat, & à cuius aditu quiuis Christianus arcebatur: postea tamen distinguit.

De origine & antiquitate huius miraculi; quo quotannis in Vigilia Paschæ lampades ante sepulchrum Domini perpetim ardere & lucere solitæ diuinitus accendebantur; hæc idem scriptor. *Quod miraculum, quando cœperit, vel si ante tempora Saracenorum fuerit, nullius historiæ cognitione discernitur.* Tempore Sarracenorum antequam inclytus Dux Godefridus Hierosolymam occuparet, miraculum hoc viguisse manifestum fit ex iam iam audita relatione Herimãni Presbyteri. Addit Malmesburiensis. *Legi ego in scripto Bernardi Monachi, quod abhinc annis ducentis quinquaginta, id est, anno incarnationis octingentesimo septuagesimo idem Hierosolymam profectus, ignem illum viderit, hospitatusq́ue fuerit in Xenodochio, quod idem gloriosissimus Carolus Magnus construi iusserat: vbi & bibliothecam ingentis expensa compegerat.* Hæc ille de igne cælitus misso; qui & incolis & peregrinis magno in honore semper fuit. Malmesburiensis de

VVilhel-

VVilhelmo Comiti Pictauiensi, aliisque Principibus. *Benigno apud Ioppen hospitio excepti, Hierosolymam proximo pascha contenderunt, vbi sacrosanctum ignem latis hauserunt oculis, deuotis adorarunt animis.*

Exspectabatur auidissimè ea die & hora, qua quotannis cœlo demitti solet; magno populi adstantis, & miraculum præstolantis, & cereos gestantis accursu; inter quos adfuit quadam vice etiam Odolricus Aurelianorum Præsul: Ex cuius oculati testis relatione hæc litteris mandauit Rudolphus. *Die magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab vniuerso populo præstolatur, ibi cum cæteris idem præsul adstabat. Iamque dies ipsa in vesperum transiens repentè penes horam, qua sperabatur ignis affuturus, vnus Sarracenorū scurra impudentissimus, ex plurima illorum multitudine, quæ annuatim semper cum Christianis adesse solet, exclamauit, vt Christianis mos est, cum primum videtur aios, Kyrieeleison, cauillanter cachinnum emisit: extensaque manu arripuit cereum de manu cuiusdam Christiani aufugere tentans.* Videtur locus corruptus; itaque legendus: *Hagios, Sancte: Kyrieeleison; & cauillanter, &c.* vt sensus sit; Sarracenum illum ludibrij gratia, Christianos, *Hagios, Kyrieeleison*, igne viso, clamare solitos, imitari voluisse, non sine cachinnis. Rudolph. lib. 4. Histor.

Pergit Rudolphus. *Qui illico arreptus à Dæmonio turpiter nimium vexari cœpit, quem prosequens Christianus, cereum abstulit. Ille verò tortus acerrimè protinus inter Sarracenorum manus expirauit. Quod factum omnibus in commune terrorem immisit: Christicolis tamen gaudium & exultationem præbuit. Statim verò, vt assolet Dei virtute erumpens ignis ex vna lampadarum, quæ septem ibidem pendere cernuntur.* (plures ponit Vrspergensis) *cursim eructando, cæteras inflammauit; quam* (lampadem) *cum suo oleo præfatus Episcopus emens auri libra à Iordano, qui tunc præerat Patriarcha, secum detulit; atque in sede propria reponēs, plurima infirmis contulit beneficia.* Hæc Rudolphus de lampadibus in templo Dominici sepulchri quotannis pridie Paschæ accendi consuetis. *In nocte Dominica Resurrectionis ignis sacer descendit de supernis,* inquit Vitriacus, loquens de sepulchro Dominico. Mittebatur ergo cœleste hoc lumen, quando iam noctescebat.

Sed ad Balduinum Regem reuertatur oratio; qui hactenus partis victoriis adiecit deuictam Ptolemaidem siue Acconem. Postea rursus, equitibus quingentis & bis mille peditibus adiutus, quindecim millia Sarracenorum partim cedit, partim in fugam vertit: Vbi *Dominus patriarcha*, inquit Tyrius, *viuificæ crucis lignum præliaturis ingerens, & percurrens agmina, monet & hortatur vt eius meminerint, qui nobis peccatoribus salutem in eodem ligno operari voluit; præcipit etiam, vt in remissionem peccatorum circa hostes nominis & fidei Christianæ decertarent viriliter, ab eodem mercedem exspectantes, qui suis solet centuplum retribuere.* Tyr. lib. 11. ca. 3.

Anon. lib. 9. cap. 49.

Nec vana fuit cohortatio; nam hostes cæsi fusiq; sunt, vt antea dictum, *prius tamen*, vt ait Anonymus, *signo sanctæ Crucis cunctis Christianis à Domino Patriarcha sanctificatis*, dispersi etiam illi, qui in classe erant, *vi turbinis ab inuicem diuisi*, inquit Tyrius, *viginti quinque naues ex eis fretum non sustinere valentes in nostra littora impegerunt: ex quarum remigibus & nautis, exceptis mortuis, nostri in vincula coniecerunt, plusquam duo millia.* Huius prælij tam felicis meminit etiam Malmesbur. & adscribit, *præuia Cruci Dominicæ, qua superius bellum caruerat*: cùm scilicet Balduinus cum paucis in nimis multos temerè irrumpens Ramulæ fermè captus est, plerisque suorum trucidatis.

Progressione temporis in potestatem venit Tripolis, item Berythus, Sidon; ædificata munitissima castra, Mons regalis, in Syria Sobal, & Alexandrinum, quod vulgo *scandalum* nominabant, ante Tyrum. sed & Ascalon tributaria facta. Abbas. *Hoc anno M. C V. Balduinus Rex Ascalonem à mari copiosissima classium multitudine, à terra verò non paruo cingens exercitu, tributariam sibi fieri longa obsidione coëgit.*

Anon. lib. 10. cap. 47.

Operæpretium erit annotare hîc id, quod in obsidione *Sidonis* euenisse scribit Anonymus. Habebant Christiani secum, more consueto ac solenni, *Crucem Dominicam: quam Rex à Hierusalem detulerat ad protegendum populum Dei.* Hanc *Apostatæ quidã & præuaricatores fidei* cuiusdã turris propugnatores, conspicati, *deridētes illudebant*, & sibi contrariò *crucem facientes, & in culmine turris figentes, sputo & vrina, ipsi insipientes & maligni, inhonorare præsumebant. Quod pius Rex & omnis populus deplorantes, Deum cæli flebili voce inuocant, vt fontem misericordiæ suæ aperiens, apostaticis viris & stultis Sarracenis demonstrare velit, quod non rectè agentes diuinæ maiestati blasphemiam irrogare præsumpsissent. Mox eorum precibus exauditis, absq; hominum labore sic turris illa concussa & diruta est, iam vespere mundo imminente, vt lapis super lapidem non remaneret, & increduli homines ruina illius suffocati, obruerentur.*

Rursus cum Turci Edessæ Christianos admodum vrgerent; eisq; opitulatum accurrissent, Rex Balduinus, & plerique Christiani principes, prælioq; inito prima acies in fugam versa fuisset, *Balduinus & Tancredus videntes suos defecisse, & vsque ad exercitum in fugam remissos, prolato signo sanctæ Crucis, contra inimicos in spe salutis & victoria laxis frenis Turcos impetu adeunt. Sed Turci solito more, equorum cursu per centum & centum, per mille & mille, nequaquam bellum secum committere passi sunt.*

Anon. lib. 11. cap. 42.

Tandē vastata & direpta in Aegypto vrbs antiquissima *Pharamia*; vbi Balduinus in morbū delapsus, cùm Hierosolymā reportaretur, in via mortalitatē expleuit anno Christi M. C X V I I I. cùm regnasset annos decem & octo; sepulturę mandatus iuxta fratrem sub Caluaria

in lo-

in loco, qui dicitur Golgotha; *vir multis laboribus emeritus*, ait Malmesburiensis, *& cuius gloriæ nullus prætendit nubila liuor, nisi quod fuerit pecuniæ iusto tenacior, sed huius culpæ facilis, & vera erit excusatio, quod necessaria in remanẽtes effusio munerum inbibuerit, quo minus mercaretur fauorem abeuntium. Illud constanter asseuerauerim*, ait idem Auctor de eodem Balduino, *parua manu, magna illũ prælia persæpe lusisse: nec vnq̃ campum fugisse præter apud Ramulã, & apud Ascharonẽ*, de qua pugna hæc Malmesburiensis. *Altera illi pugna posterioribus annis fuit, in qua milites nostri Turcorũ copia pressi, & in fugam acti, etiam salutare vexillum amisére. Sed cum longiusculè fugissent, reuersi sunt, pudor famæ trepidos animauit, vt ignominiam propulsarent, &c. Nostri crucem reportarunt, fusis aduersariis campum vindicãtes. ceciderunt ibi plures, quos ego quoq; norã, etc.* Videtur hęc clades eadem cum illa, quę describitur à Tyrio, vbi dicit; *Rex ipse relicto vexillo, quod gestabat in manibus, & Arnulphus Patriarcha, qui cum eo erat, & alij regni Principes, relictis castris, & impedimentis omnibus vix euaserunt.* Nihil tamen de recuperatione impedimentorũ Tyrius: & nihil de amissione sacrosanctæ Crucis; eam enim non Rex, sed Patriarcha, aut sacerdotum quispiam ferre consueuerat. Sed vt amissa fuerit, certum est recuperatam, cum apud alios Reges semper copiis in acie consistentibus præportata sit; vt suis locis monebimus. Hæc de Balduino. Neque eo regnante alij Principes, vt Tancredus, Comes Edessanus, Tiberiadensis, & alij otio sese dediderunt; sed fines prouinciarum suarum longè lateque protulerunt, summotis hostibus: & non rarò ad internecionem deletis. *Tyr. lib. 11. c. 19.*

Addam coronidis loco, quod Vrspergensis accidisse tradit proximo die Paschæ, post mortem & sepulturam Regis Balduini. *Valdè mane Dominicæ Resurrectionis die cœlum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, vt lunæ, quæ tunc clarissima nimirum videbatur, lumen inæstimabili fulgore detergeret, & per vnam vel amplius horam (quod multis testibus comprobamus) omni solis luce clarior permaneret. Ipso tamen spatio Crux non modica per idem foramen dependens, apparuit; cuius tam auri, quàm gemmarum varietas euidenter discerni potuit.*

CAPVT XII.

Altera expeditio Cruciata in terram sanctam.



NVMERENT alij arbitratu suo has sacræ militiæ expeditiones. Mihi minores percensere non propositum, nisi obiter; sed generales tãtùm, & publico populorum concursu celebratas. qualis illa, quæ incidit in annũ Domini M. C I. *populosa profectio*, inquit Vrspergensis, qui interfuisse videtur, *& quæ penè priori posset numero duntaxat æquari*: ait, *numero duntaxat*; non enim *Vide Auct. Anonymum li. 8. cap. 1. & seqq.*

enim prospero successu; non ordine; non, vt Tyrius inquit, pietate, non religione; etsi nec numero, vt fatebitur, qui copias huius cum copiis primę expeditionis compararit. Instituta est hęc expeditio *post auditas vltra spem res Hierosolymæ prosperè gestas, à residuis totius occidentis gentibus, maximè ab his, quorum prius votis timor, vel diffidentia, inopia vel imbecillitas obstiterant: primum ab Episcopis Mediolanensi, Papiensi, cęterisq; Longobardorum populis ad quinquaginta millia signatis.*

Anon. lib. 8. cap. 1. & 6. Anonymus ait fuisse triginta millia Longobardorum, quos Constantinopolim secutus est *Conradus, Stabularius Henrici III. Romanorum Imperatoris cum duobus millibus Teutonicorum. Dehinc Stephanus Blesensium Comes, pœnitentia ductus, Hierosolymam reditum parat. Stephanus quoque Dux Burgundiæ, Milo etiam de Braio, VVido pariter rufus capite, &c.* Et plurimi alij ex Francia & Aquitania, ita vt, teste Anonymo, summa omnium ad ducenta & sexaginta millia excreuerit; quando, traiecto Bosporo, per Asiam simul iter facere inceperunt. sed non fausto pede, vt postea dicemus.

His tantis copiis iam per hostiles prouincias multum progressis; imo & dispersis, fugatis, & propemodum ad internecionem cæsis; *Comes & Princeps potentissimus de ciuitate Niniue, quod vulgò dicitur Nauers, VVilhelmus nomine, de terra & regno occidentalis Franciæ egrediens, & iter per Italiam faciens, ad portum, qui vocatur Brandiz* (Brundusium) *nauigio alto mari inuectus est cum quindecim millibus equitum & peditum virorum pugnatorum, &c. Et post plurimum itineris cum omni manu & apparatu suo Constantinopolin profectus ab Imperatore benignè & honorificè susceptus est, &c.*

Hos, sed alia via, terrestri scilicet, per Hungariam, secutus est *VVilhelmus Comes & Princeps Pictauensium, de sanguine Henrici III. Imperatoris Romani, cum Duce Bauariorum VVelfone, & cum Comitissa nobili, nomine Ida, de Marchia Osterrich, in ingenti manu equitum & peditum, & feminei sexus supra CLX. millia.*

Exst. Tom. 4. Antiq. Lect. In hoc cœtu fuit etiam Thiemo Iuuauiensis seu Salisburgensis Archiepiscopus, de quo hæc Auctor, qui Acta eius in litteras misit. *Secundus venerat annus post eum, quo sancta ciuitas Hierusalem, de sub iugo gentium ceruicem erexerat, nec dum tamen aut bella omnia patrata, aut armis parta pax & securitas fuerat. Initium illud misericordiæ stillauit Deus sub Duce Godfrido, qui cum aliis, quos idem spiritus repleuerat primoribus, 70. millia expeditorum adduxerat, acceptaque victoria, Rex Hierusalem creatus ex sententia omnium, & vnctus est.* (Ita auctoris te, cæteris, quod ad vnctionem attinet, refragãtibus.) *Horum opus pro nomine Christi adiuuare conflagrauerunt ex Alemannia, Bauari, Sueui, tam proceres nõnulli, quàm populares, tradentes in hoc mundo animas suas, vt in resurrectione vitæ resumerent eas: caput horum & fidus, vt ita dicam.*

dicam, quo cuncti regerentur per mare, facer Thiemo factus, simul cum Duce VVelfone Hierosolymitanæ peregrinationis iter inuadit.

Qua porrò de caussa Guelpho iter hoc susceperit, indicatur his verbis in Historia de Guuelfis Principibus. *Volens de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere, Hierosolymitanum iter arripuit, quod & in maximis persecutionibus & periculis Vngariam & Græciam transiens persoluit. sepulchrum enim Domini & alia loca sancta omnibus suis penè amissis visitauit.* Exst. Tom. 1. Antiq. lect.

Tres ergo distincti exercitus distinctis temporibus transmisso S. Georgij brachio per *Romaniam* iter facere cœperunt: omnes diuerso tempore à Turcis, fraude & proditione Imperatoris Græci Alexij, funditus propemodum deleti; paucis fuga seruatis. Primi fuerunt Longobardi, & alij, de quibus paulò antea; tanti numero, vt cuiuis exercitui, etiam numerosissimo, resistere posse viderentur. Sed quis resistat proditoribus, & incommodis, quæ ex proditione enasci, etiam tantas copias vel maximè in perniciem præcipitare solent. Certè Vrspergensis, Tyrius, & alij, caussam huius cladis in vnicum Alexium conferunt.

Stragem hanc adeo miserandam tragicè describit Anonymus, vbi eo die, quo de summa rei pugnatum est; huiusmodi factum de Mediolanensi Episcopo memorat. *Episcopus Mediolanensis in medio exercitus exsurgens, diuino tactus spiritu, hac die bellum affuturum prædixit, & sermonem ad populum Dei viuentis faciens, omnes ad Confessionem delictorum venire admonuit, quos in nomine* IESV *Apostolica auctoritate à peccatorum nexibus absoluit, vniuersos post datam indulgentiam brachio S. Ambrosij, Mediolanensis Episcopi, sanctificans & benedicens, quin & lancea Dominica, quam Reimundus secum attulerat, est aucta ad sanctificandum & benedicendum populum.* Anon. lib. 2.

Exponit deinde, quomodo à Turcis hæ tantæ copię disiectę dissipatæq; fuerint. A quorum cæde vix Turcæ conquieuerant, cum ecce adsunt copiæ VVilhelmi Niuernensis, quas eadem fortuna excepit. His vix dum dissipatis, dissipantur etiam copiæ VVilhelmi Pictauiensis & VVelfonis. Principes & alij quidam fuga elapsi Constantinopolin reuerterunt, & Antiochiam per mare contēderunt. Culpam euersi tam florentis exercitus in Alexio hęrere affirmat Vrspergensis, qui Alexij improbitatem viuis coloribus depingit, vt & Tyrius, de hac ipsa expeditione loquēs, tametsi Germanorum & Longobardorum nullam mentionem facit; sed duntaxat Aquitanorum & Francorum. eundemq; comparat scorpioni, *cui cùm non sit in facie quod formides, prudenter feceris, si caudæ posterioris declinare poteris maleficium*, inquit Tyrius: quem tu lege, vnaque Vrspergensem, vt videas iam tum Constantinopolitanos Imperatores seruitutem Turcicam fundēdo Christiano- Tyr. lib. 10. c.

stiano-

ſtianorum ſanguinem,eorumq; felici progreſſui remoras opponendo cœpiſſe mercari.

De tam innumero populo, ait Vrſpergenſis, *heu, heu, non credimus mille viros remanſiſſe, quos poſtea vix oſsibus barentes, Rhodo, Papho, cæterisq́; portubus, raros etiam Ioppæ vidimus: è quibus Bernardus Comes, & Henricus Comes Ratiſbonenſis, Hieroſolymæ obierunt; Dux verò VVanilphus*, (VVelfus, ſic legendũ) *reuertendo moriens Papho eſt humatus. VVelfo Hieruſalem perueniens*, inquit Anonymus, *adorato Ieſu Domino & eius ſepulchro, poſt aliquot dies nauigio vſque ad inſulam Cyprum reuerſus eſt.* Vbi & ipſe infirmitate detentus, mortuus & ſepultus eſt.

Capti ſunt ex illis Thiemo Archiepiſcopus Salisburgenſis, Marchioniſſa Auſtriæ, & alij plurimi; *Et ab Alexio Memphæorum Regi ſeu Admiraldo præſentati*; vt ait Otto, nec reticet Vrſpergenſis. *Quam hiſtoriam miſerabiliter ac luculenter in modum Tragœdiæ, quidam ex his, qui ſe eidem interfuiſſe teſtatur, executus eſt*, inquit Friſingenſis. *Comprehenſus inter alios venerabilis præſul Thiemo, ad idololatriam, vt tradunt, à Rege angariatur, Ille inducias petens fanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſsimus idola, quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſta comminuit. Ob eas productus ac exquiſitis ſuppliciis & tormentorum generibus affectus, glorioſo Martyrio coronatus eſt. Quod ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſsima traditio* habet, inquit Otto. *Quod autem idola comminuit, ex hoc credere difficile eſt, quia conſtat vniuerſitatem Sarracenorum, cuius Dei cultricem eſſe, librosq́; legis, nec non & circumciſionem recipere, Chriſtum etiam & Apoſtolos & Apoſtolicos viros non improbare: in hoc tantum à ſalute longè eſſe, quod Ieſum Chriſtum humano generi ſalutem afferentem, Deum vel Dei filium eſſe negat, Mahometq́; ſeductorem, tanquam Prophetam magnum ſummi Dei veneratur & colit.* Hæc Otto, nec abs re: nam Sarraceni Iudæorum inſtar omnia ſimulacra abominantur, vt notum eſt.

Exſtant Thiemonis Acta, nuper vulgata; & fortaſsis illa, quæ Otto vidit ac legit. quid pro excuſatione ſcriptoris hæc talia chartæ mandantis dici queat, inuenies in præfatione, quæ Actis præponitur. Nec ſolùm iſte Auctor, quiſquis fuit, Sarracenos Idololatras facit; ſed & Abbas Vrſpergenſis aliquoties: *Quamuis idolorum reſponſis*, inquit, *certificati, acrius, quàm antea vnquam reſiperent.* Et in oratione ſua ſic Arnoldum Chriſtianos alloquentem inducit. *Ecce paganorum litteræ, Dei nutu, ante diem heſternam, comprehenſis legatis ablatæ, vaticinata perhibentes Dæmonia, nos illorum præliis hoc anno delendos, &c.* His adde VVilhelmũ Malmeſburienſem: qui ait Sarracenos in *templo Domini ſimulacrum Mahometi collocaſſe.* Eadem de imagine Mahometi Vitriacus. Sed potius ex vulgi ſermonibus, quàm ex vero.

Quod

Quod verò attinet ad *Admiraldum*, cuius meminit Otto: variè hoc nomen & ſcriptum,& corruptum,& acceptum eſt tam à Græcis, quàm à Latinis.In vita S. Ludouici & alibi inuenias *Admiratus*: Apud Malmesburienſem; *Ammiratus*: vulgo iam Admiralius. Græci *ἀμηρά-λιος*, *Ameralius* vel *Amirarius*,& apud Huntidonienſem,*Amiralius*,apud Tagenonem,*Almuratus*. Item *Ameras*. Hinc recentioribus *ἀμηρεύειν*, *Ameram agere*. Apud Rogerum:*Admiralis*. Apud Robertum, *Admirauiſus*. Itē *Admirabilis*,*&* *ἀμήρισσα*, *Ameriſſa*,coniunx *Ameræ*. Reperitur quoq; *Amireus*,*Ammuratus*. Apud Cedrenū in Heraclio legimus *Ameradas:conſtitutis*,inquit,*quatuor Ameradis*,*qui Arabibus Chriſtianā religionē amplectētibus*, *bellum facerent*. Hinc & apud pleroſq; Europæos *Amiral*, pro Thalaſsiarcho ſeu præfecto maris; quæ ſignificatio in hoc nomine iam admodum recepta; licet olim Principem ſeu Regulum ſeu Dynaſtam ſignificaret:nec inferioris notæ tantum; ſed & ſupremæ. Vnde toties apud Georgium Protoveſtiarium *Ameras Mahomet*, pro Turcico Imperatore, qui Conſtantinopolim cepit: Et Arabum Principibus *Ameræ* appellatio præ cæteris ſemper arriſit. verùm hæc per parecbaſin.

Sic igitur, vt vidimus, dolo improbiſsimi Imperatoris Græci, altera hæc expeditio *Cruciata* in terram ſanctam miſerrimè diſsipata, &Turcarum acinacibus confecta eſt: qui tandem depoſita larua, apertum ſeſe *Cruceſignatorum* hoſtē profeſſus, *diu tectam ſua perfidia toxicatā rabiem euaginat*, vt ait Vrſpergenſis, *Turcis*,*quibus iam nulla vel rara in oriente ſpes remāſerat*, *ſe tutiſsimè conciliat*,*&* *ò turpiſsimum facinus*, *Nicæam*,*&c.* *Solymanni Tyranni filiis reddidit*, *cuſtodias ad prohibendum tranſitum peregrinis*,*terra mariq; conſtituit*, *&* *Babylonicum Regem contra noſtros frequentibus nunciis animauit*. Quibus, vt & aliis iniuriis excitatus Boamundus Princeps Antiochenus,cùm in Apuliam rediiſſet; inde in Alexij prouincias traiecto mari duxit; & omnia latè ferro & igne vaſtauit; Etſi & ipſe à vaferrimo homine deceptus,pacem quouis bello deteriorē fecit.Multis, ob hanc impreſsionem, in ditiones Alexij conuiciis lacerant Græci ſcriptores Boamundum; ſed nimirum Zonaras,& ſimiles hæc talia commentariis ſuis illinentes, maluerunt videri conuiciatores maledici,quàm veri amantes hiſtoriographi.

Ne quis tamen arbitretur,nihil emolumenti ex hac altera,eaque publica expeditione exſtitiſſe; an non inſignis & omnium ore prædicandus iſte fructus,quod virtute Crucis excitati, tot Epiſcopi, Archiepiſcopi,Principes,& in his Guelfo,ſeu VVelfus IV. qui toti Germaniæ terrori erat; tot comites,nobiles; & de plebe promiſcua innumerabilis cohors,Domino ſeſe conſecrarunt; parati nō modò quaſcunq; moleſtias ſubire,ſed & ſanguinem pro Chriſto fundere. Quid

mirabilius, quàm tot phalangas vno animo, & natale solum deserere; perque mare & terram, perque Græcorum & Turcarum insidias ad sepulchrum Christi properare? Nam quod conatus ex voto non successit; id nequitia Alexij euenit; cui cur Deus frenum non iniecerit; ille nobis exponat, qui consiliarius eius fuit. *Iudicia tua abyssus multa*; clamat Propheta. verè *abyssus*; Et quidem penitus impenetrabilis; nisi hactenus, quod certò compertum habemus; suo præmio apud Deum non carere conatum; licet speratus successus non subsequatur. Nec tamen nulla ad terram sanctam hinc manauit vtilitas; nam aliquot saltem terrestri itinere; pluresq; per mare Palæstinam attingentes; Christianorum rebus in arcto positis, & solatio & leuamento fuêre. Et hæc de altera expeditione, primo Balduini Primi coronati Regis anno, à supradictis nationibus suscepta.

CAPVT XIII.

Trophæa Crucis sub Balduino Hierosolymitano Secundo Rege coronato, & sub Fulcone Rege Tertio.



ALDVINO primo successit Balduinus de Burgo, Comes Edessanus, *coronatus & consecratus anno Domini M. CXVIII. secundo die Aprilis, præsidente sancta Ecclesia Romanæ Domino Gelasio Papa Secundo*; qui felicitatis, & strenuitatis suæ egregium specimen anno secundo regni sui edidit, congressus cum Gazi Turcorum potentissimo satrapa, & recenti victoria à Principe Antiocheno relata, mirum in modum superbiente. septingentis enim equitibus, paucisque peditibus immensam multitudinem Turcorum fugauit, cæsis quatuor millibus; vt præter Tyrium testatur epitome Bellorum sacrorum; *exceptis letaliter faucijs, & captiuis*. Parta est hæc tam nobilis victoria non sine Crucis beneficio. Aderat enim Patriarcha Antiochenus, monens atque exhortans populum *signo Crucis Dominicæ*: & Turcis quidem maxima spes erat in tanto numero; *nostris autem in præsentia victoriosissimæ* CRVCIS, *& in confessione veræ fidei spes amplior & indeficiens.* Turcis deuictis, *Antiochiam, palma insignis, occurrente ei vniuersæ ciuitatis Clero & populo, cum Domino Patriarcha victor ingressus est, &c. Rex verò cum Domino Cæsariensi Archiepiscopo, & honesto comitatu lignum viuificæ Crucis remisit Hierosolymam, ita vt in die Exaltationis eiusdem à clero & populo cum hymnis & canticis spiritualibus honorificè sit recepta.*

Non diu pòst Gazi rursus impressionem in Antiochenos fines molitur. At Balduinus, *Rex impiger, assumpto sibi salutiferæ Crucis ligno, equitumq;*

Tyr. lib. 12. ca. 4.

Tyr. lib. 12. c. 12.

Tyr. lib. 12. c. 14.

qnitumq́ honesto comitatu, ad partes illas properat: Verum Gazi derepentè exstincto, Turci campo se credere non ausi, pedem retulêre. *In secundo autem bello,* inqnit epitome, *secum habens mille, & centum equites, duo millia peditum, Regem Damasci cum quindecim millibus, & ex illis duobus millibus interemptis, fugam appetere coëgit.*

In tertio bello Regem Ascalonitarum cum ingenti populo Ægypti dorsum vertere fecit. In quarto bello Terquinum (alij Boldequinum) *Regem Damasci proiectis de ipsius exercitu duobus millibus, ad fugam potenter artauit.* Tandē à Balac Turco ex improuiso captus, & in vincula coniectus, quinto Regni sui anno, duos annos in carcere transegit. quem vt liberarent, Christiani omnes, *quasi vir vnus* de vniuersa prouincia accurrerunt, assumpta sibi CRVCE Dominica. Tyr.lib.12.c.20.

Interea Regni curam gessit *Eustachius Grener*; sub quo Aegyptiorum sedecim millia aduolarunt, exceptis illis, *qui classi deseruientes, dicebantur esse in nauibus.* Quibus occurrit Eustachius, *quasi septem millia populi promiscui, & plebis omnimodæ,* vt Tyrius loquitur, *secum ducens.* Nostri, præuia Cruce Dominica, *fide armati, & cooperante Domini gratia, in victoriæ spem erecti;* in hostes irruunt, & ex illis ad septem millia prosternunt, reliquis in fugam actis: & castris opulentissimis victori relictis. Robertus de Monte ait, hostium fuisse 40. millia. nostrorum, tria millia. *Procedunt,* inquit, *Christiani, &c. principes gradiuntur in fronte, scilicet Patriarcha vexillo offerens CRVCEM Christi: Abbas olim Cluniacensis Pontius, praferens laceam transfixam in latere Christi: Episcopus Bethleemites, ferens in pixide lac sanctæ Mariæ virginis. Sarraceni verò quaqua versum effusi ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos, ne quis possit euadere. Dum ita in promptu hærent Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendorem scisso aëre super paganos subitò cecidisse,* sed non prosperum, *sed satis nociuum, quamuis hunc ipsi Sarraceni non viderint. Illico enim omni virium robore eneruati, passim fugientes caduntur, non solùm à viris, sed etiam à pueris, & fœminis. perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinq́ millia: omnes verò Christiani incolumes reuersi, summum & dulce Epinicion reboant Deo in excelsis.* Tyr.cap.21. Robert in Append. ad Sigeb.

Sub idem tempus aduenit classis Veneta; quæ classem Aegyptiam vrbibus Christianorum insidiantem, partim depressit, trucidatis Epibatis; partim dissipauit. Mox ope Venetorum obsidetur Tyrus, & in deditionem accipitur, Anno Domini M.CXXIV. tertio Kalend. Iulij. Interea Rex Balduinus vinculis exsolutus Hierosolymam venit: paulò pòst contra Borsequinum equites mille & centū; peditum autem duo millia educens, equitum quindecim millia in fugam coniicit, cæsis duobus millibus, è nostris tantū viginti quatuor desideratis. Nec mora, victorias victoriis nectens Ascalonitas com- Tyr.lib.13.c.16.

 pescit:

pescit: & paulò pòst, inclytam de Damascenis victoriam refert; tandem armis meritisque grauis, hinc ad beatius quietiusque regnum migrauit Anno Domini M.CXXXI. vigesimo primo Augusti, regni sui anno decimo tertio. Cui successit Fulco Comes Andegauensium, qui signis sæpius cum hoste feliciter collatis antecessores suos si non superauit; certè æquauit: cui, cùm à Sanguino Turcorum potentissimo & sæuissimo in Castro Montferrando obsessus teneretur; subsidio accurrit, etsi nimis serò, Princeps Raimundus, Comesque Edessanus, *& Hierosolymorum exercitus, salutiferæ lignum Crucis sequentes vnanimiter*, inquit Tyrius. Tribus Castris contra Ascalonem exstructis, multisque aliis præclarè gestis casu equi obtritus obiit, anno Christi M. CXLII. Regni sui vndecimo: quarto Nouembris.

Tyr. lib. 14 c. 28.

CAPVT XIV.

Ordines Crucigeri occasione Expeditionum Cruciatarum & terræ sanctæ defendendæ instituti, ac primò Templarij.



INSTITVTVS est Templariorum Ordo anno Domini M. CXVIII. sub Balduino Rege. *Quidam enim nobiles viri de equestri ordine*, inquit Tyrius, *Deo deuoti, religiosi & timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ, Christi seruitio se mancipantes, more Canonicorum Regularium, in castitate & obedientia, & sine proprio velle perpetuò viuere professi sunt. Inter quos primi & præcipui fuerunt, viri venerabiles Hugo de Paganis*, qui primus postea Magister militiæ templi creatus est, *& Gaufredus de S. Aldemaro.*

Tyr. lib. 12 c. 7. Vide epitomen bellorum sacrorum Tom. 6. Antiq. Lect.

Nec plures initio erant, quàm nouem; & quidem nouem integris annis. *Et quoniam iuxta templum Domini mansionem habuerunt*, inquit Vitriacus, *Fratres Militiæ templi*, &, vno verbo, *Templarij, postea, vt dicitur, sunt appellati. Quibus quoniam neque Ecclesia erat*, ait Tyrius, *neque certum habebant domicilium, Rex in Palatio suo, quod secus templum Domini, ad Australem habet portam, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici templi Dominici plateam, quam circa prædictum habebant Palatium, ad opus officinarum certis quibusdam conditionibus concesserunt. Rex autem & eius milites, prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Christo reliquerant, compatientes, vnà cum Domino Patriarcha de rebus propriis eos sustentabant, quædam beneficia, & possessiones eisdem postea pro remedio animarum suarum conferentes.*

Vitriac. cap. 65. Tyr. loc. cit.

Finis

Finis ordinis huius erat, *vt à latronibus & viris sanguinum*, vt loquitur Vitriacus, *defenderent peregrinos, & stratas publicas custodirent. Cùm enim ex omnibus mundi partibus diuites & pauperes, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus loca sancta visitaturi Hierosolymam pergerent, latrunculi quidam, & raptores, & viarum publicarum prædatores incautis peregrinis insidiantes, multos ex ipsis spoliabant, quosdam autem trucidabant.* Professio igitur istorum erat, vt tuta *itinera*, maximè *ad salutem peregrinorum, contra latronum & incursantium insidias pro viribus conseruarent:* voto solenni ad hoc præstandum adstricti.

Ac primo quidem nouennio *in habitu fuerunt seculari*, teste Tyrio & Vitriaco, *talibus vtentes vestimentis, quales pro remedio animarum suarum populus largiebatur. cumque annis nouem in hac professione, & sancta paupertate communem vitam ducentes concorditer, & quasi vnius moris in domo permansissent, anno gratiæ M. C X V I I I. de mandato Domini Papæ Honorij, & Domini Stephani Hierosolymitani Patriarchæ, instituta est eis regula, & albus habitus absque aliqua Cruce assignatus. Hoc autem factum est in Concilio generali apud Trecas ciuitatem Campaniæ celebrato, sub Domino Albanensi Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, &c.*

Nulla ergo Cruce, quæ professionis proprium stemma foret, initio insigniti sunt. *Post hæc verò Domini Eugenij Papæ mandato Cruces rubeas vestimentis suis exterius affixerunt, vestes albas in signum innocentiæ deferentes, per Cruces autem rubeas Martyrium designantes, eo quod sanguinem proprium secundum instituta regulæ pro defensione terræ sanctæ effundere sunt professi: Et Christi Crucis inimicos viriliter expugnando, à Christianorum finibus propellere: & ad nutum & mandatum eius, qui præest militiæ, non impetuosè, neque inordinatè, sed prudenter, & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in regrediendo postremi. quorum res adeò creuit in immensum*, inquit Tyrius, *vt hodie trecentos plus minusue in conuentu habeant equites, albis chlamydibus indutos, exceptis aliis fratribus (qui dicuntur Seruientes) quorum penè infinitus est numerus. Possessiones autem tam vltra, quàm citra mare adeò dicuntur habere, vt iam non sit in orbe Christiano prouintia quæ prædictis fratribus bonorum suorũ portionem non contulerit, & regiis opulentiis pares hodie dicuntur habere copias. Ex quibus certam pecuniæ summam pro defensione terræ sanctæ summo eorum Magistro, cuius sedes principalis erat in Hierusalem, mittunt annuatim.* *Vitriacus.*

En liberalitatẽ & munificentiam Christianorum erga defensores & propugnatores terræ sanctæ. Et vnde hic tam munificus animus, nisi ex amore Crucis & Crucifixi? Quantas verò vtilitates Ordo iste sub exordia sua Ecclesiæ Dei attulerit, & quantam disciplinæ seueritatem vbique adhibuerit, docet nos Vitriacus, cuius accipe verba: *Quoniam strenui & fortes Christi milites, tanquam alteri Macchabæi, de viribus*

suis non præsumentes, sed in virtute diuina spem omnem ponentes, & in Cruce Iesu Christi summam habentes fiduciam, pretiosæ in conspectu Domini morti corpora sua pro Christo exponebant, Dominus cum ipsis & pro ipsis pugnabat. Vnde adeò formidabiles facti sunt fidei Christi aduersariis, quod vnus persequebatur mille, & duo decem millia, non quot essent, sed magis vbi essent, dum ad arma clamaretur,
Deut.32. *interrogantes, leones in bello, agni mansueti in domo: in expeditione milites asperi, in Ecclesia velut eremitæ & Monachi: inimicis Christi duri & feroces: Christianis autem benigni & mites: vexillum bipartitum ex albo & nigro, quod nominant Bauceant, præuium habentes, eò quod Christi amicis candidi sunt, & benigni, nigri autem & terribiles inimicis.* Hæc fortitudinis exempla.

Sequentia disciplinę. *Et quoniam religionis vigor absque districtione disciplinæ non potest obseruari, viri religiosi & prudentes ab initio sibi præcauentes, & in posterum prouidentes, transgressiones seu negligentias delinquentium fratrum nullo modo dissimulare, vel impunitas præterire voluerunt, sed quantitatem criminum, & peccatorum circumstantias circumspecto examine diligenter ponderantes, à consortio suo quosdam irreuocabiliter eiicientes, crucem rubeam auferebant, ne morbidæ capræ contagio grex ouium macularetur. Alios autem vsque ad condignam satisfactionem ad terram absque mappa cibum tenuem sumere, vt coram omnibus eis rubor, & aliis timor incuteretur, eis iniungentes: quibus etiam ad cumulum maioris confusionis & expiationis, canes, si fortè secum manducarent, non liceret amouere. Alios etiam, vt à gehennali carcere valerent liberari, carceribus & vinculis ad tempus, vel in perpetuum, secundum quod expedire videbatur, coërcebant. Multis insuper aliis modis secundū regulæ salutaris instituta ad obseruātiam regularis disciplinæ, & professionis honestæ rebelles & contumaces compellebāt, &c. Nulli molesti erant, sed ab omnibus propter humilitatem & religionē amabantur. Ex quo factum est, quod nomen honestatis eorum, & fama sanctitatis, quasi cella aromatica redolens suauitatem odoris diffusa est per mundum vniuersum, & impleta est domus sanctæ Ecclesiæ ex odore vnguenti, & memoria eorum in ore omnium fidelium, quasi mellis dulcedinem sapiebat. Milites autem ex vniuerso mundo non solum mediocres, sed & Duces, & Principes eorum exemplo mundi vincula disrumpentes, & omnibus pro Christo renunciantes, ad eos confluebant, professionis & religionis eorum cupientes esse participes, pomposam mundi vanitatem, & carnales delicias à se penitus relegantes, & tanquā stercora reputantes, Christi militiam, & religionis humilitatem diuinitus inspirati, deuotissimè amplexabantur.*

Hæc quidem initio Templarij ad quos etiam & S. Bernardus sermonē exhortatorium & quidem elegantissimum scripsit. Sed posteà *conuersi sunt in arcum prauū, & neglecta humilitate,* inquit Tyrius, *Patriarchæ Hierosolymitano, se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes; sed & Ecclesiis Dei, eis decimas & primitias subtrahentes, & eorum indebitè turbando possessiones, facti sunt valdè molesti.* Quare sub Clemen-

Clemente V. Pontifice penitus sublati, & quotquot comprehendi potuêre, necati sunt: cuius variæ adferuntur ab Historicis caussæ; quas qui nosse auet; Platinam, Ganguinum, Crinitum, Ioannem Azorium & alios consulat. Sat caussæ profectò fuit; si, vt Platina, scribit à virtute maiorum suorum degeneres filij conspirarunt cum Sarracenis in Christianorũ perniciem, & si, vt Ganguinus, refert; tyrones suos non aliter initiabant, quam abnegatione Christi, & conculcatione sacrosanctæ Crucis. Verum nos hæc in medio relinquimus. scimus enim studio partium multa non admodum sincerè scriptis commendari.

Plat. in Clem. V. Crinit. li. 24. de honest. disc. pl. cap. 13. Ganguinus lib. 7. in Philip. Pulch. Petr. Greg. lib. 15. Syntag. c. 33. Azor. lib. 13. Inst. mor. cap. 6.

CAPVT XV.

Milites Cruciferi Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani.



INSTITVTVS est hic ordo anno salutis M.C.XVIII. vel, vt alij tradunt, M.C.XIX. confirmatus ab Honorio II. Pontifice anno Redemptoris M.C.XXIV. vel, quod aliis videtur, anno M.C.XX. cœptus Hierosolymis, nomenque adeptus ab *Hospitali* quodam Hierosolymis in gratiam peregrinorum exædificato, & S. Ioannis memoriæ consecrato, Ioannis, inquam, *Eleemonis* seu *Eleemosynarij* Patriarchæ Alexandrini, pauperum parentis & fautoris optimi & benignissimi, vt Vitriacus & Tyrius, & non pauci alij testantur. Licet Polydorus Virgilius, Petrus Gregorius, Ioannes Azorius, domum hanc hospitalem in honorem S. Ioannis Baptistæ dedicatam velint, idque Azorius ex formula profitendi horum militum liquere tradit. nam cum ciuitas Hierosolymitana adhuc sub Sarracenorum ditione teneretur, Christiani latinæ nationis, præsertim Amalphitani, permissu infidelium, prope sepulchrum Domini duo cœnobia construxerunt, alterum viris, alterum fœminis excipiendis; eaque Deiparę Virgini & B. Mariæ Magdalenæ dicauerunt. Recepta Hierosolyma, cum duo hæc domicilia infinitæ hominum multitudini ad loca sacra concurrenti non sufficerent; addita est domus Hospitalis, & sacellum S. Ioannis à quo *Hospitalarij* seu *Hospitalenses* milites S. Ioannis nomen inuenerunt. Etsi Vitriacus, Tyrius & alij satis apertè scribunt, domum hanc hospitalem prius conditam fuisse; quàm Christiani, Duce Godefrido, Hierosolymam occuparunt; licet ipse Ordo Hospitalensium non nisi vrbe recepta sit institutus.

De his, vt & de Templariis & Teutonicis, vide Renatum Choppinũ li. 2. Monasticorũ.

Vitriacus c. 64. Hist. Orient. Tyr. lib 18 ca 5. Polyd. lib. 7. de Inuent. rerum. Gregor. lib. 15. Syntag. cap. 33. Azor. lib. 13. Instit. cap. 6.

Postquam enim diuina placuit pietati, inquit Vitriacus, *vt ciuitatem redemptionis nostræ per Ducem Godefridum, & alios Christi fideles, ab impiorum dominio liberaret, & eam cultui restitueret Christiano, vir quidam sanctæ vitæ & probatæ*

probatæ religionis nomine Gerardus, qui longo tempore in prædicto Hospitali pauperibus deuotè ministrauerat, adiunctis sibi honestis & religiosis viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis (& quidem nigris) *albam Crucem exterius affigens in pectore, regulæ salutari & honestis institutionibus, facta solenniter professione seipsum obligauit. Cui etiam mulier quædam Agnes nomine, Romana natione, nobilis carne, sed nobilior sanctitate, quæ in Monasterio Monialium vicem gesserat Abbatissæ, in ministerio pauperum adiuncta, eandem regulam & humilitatis habitum votiuè suscepit.*

Finis igitur Ordinis huius & professionis erat peregrinis & pauperibus in Hospitali S. Ioannis sedulò ministrare; & quidquid operum misericordiæ poterant, sollicitè exhibere: & Templariorum etiam more, itinera à latrociniis tuta præstare: Hinc & mortuos in agro Aceldemach sepeliebant; *orationi vacantes, vigiliis & ieiuniis seipsos affligentes, operibus misericordiæ affluentes, parci sibi & austeri, pauperibus autem & infirmis, quos Dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant, panes de pura simila largiebantur infirmis, residuum verò cum furfure, ad vsus proprios reseruabant. Disciplinæ itidem cum primis amantes erant, hinc vt supra de exordiis Templariorum diximus, culpas non relinquebant impunitas. secundum enim quod culpæ reatus exigebat quidam signo crucis à vestimentis auulso tanquam membra putrida prorsus eiiciebantur, alios vinculis & carceri mancipabant, alios ad pedes fratrum in terra cibum arctissimum vsque ad condignam satisfactionem, sumere decernebant. Et quoniam Deus erat cum eis, ab omnibus amabantur. Vnde factum, quod in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ forma sanctitatis eorum. Et ex largitione principum & eleemosynis fidelium modico tempore adeò ditati sunt, quod ab vniuersis occidentalibus prouinciis reditus copiosos colligentes, Casalia sibi & oppida, tanquam terræ principes, comparantes ditioni suæ obiecerunt.*

Nec militibus tantùm constabat iste ordo; aut etiamnum constat; sed & illis, quos *Seruientes* & *Donatos* vocant: imò etiam sacerdotibus: aliquo tamen discrimine; quia, vt ex Constitutionibus huius ordinis refert Petrus Gregorius, decretum est, vt *Donati* crucem *quadrimembrem* non ferant, sed tantum *trimembrem, sublato superiore stipite*. Tenuerunt olim Rhodum insulam; à se bello captam; vel, vt alij scribunt, dono Godefridi Ducis Lotharingiæ: Hinc dicti sunt *Rhodienses equites*; sed hodie à Melita Insula, in qua degunt, *Melitenses* audiunt: neque hos Cromerus in sua Polonica historia carpit, vt putat Petrus Gregorius, sed Theutonicos; hos enim intelligit nomine *Cruciferorum*: quia isti Pomeraniam, Prussiam, & alias Poloniæ vicinas ditiones armis in suam potestatem redegerunt, & ad Christianam religionem adduxerunt.

Gregor. lib. 15. Syntag. cap. 34.

CAPVT

CAPVT XVI.

De ordine Crucifero Theutonicorum.



ON constat, quo anno ordo iste fuerit institutus; & vbi. Aliqui institutum tradunt Hierosolymis anno Domini M.CXCII. vel M.CXCV. Quod fieri nequit; quia eo tempore Saladinus Christianis Hierosolymam iam eripuerat. Probabilius est, quod ab aliis proditum, horum altero anno ordinem hunc auctoritate Apostolica confirmatum per Cælestinum III. Pontif. Maximum. Siffridus Presbyter in Chronico. *Anno Domini M.CCXII. in Accarone* (Accone) *cœpit Ordo fratrum domus Theutonicorum.* In Compilatione Chronologica dicitur inchoatus anno Christi M.CC. *Siffrid.lib.2. Chron.*

At longè verisimilior est sententia Petri Gregorij & aliorum, qui volunt, Hierosolymis institutum, antequam Christiani à Saladino inde eiicerentur. & quidem, vt Vitriacus memorat, hac occasione. *Vitriacus c.66.* *Cùm ciuitas sancta post eius liberationem habitaretur à Christianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis, caussa peregrinationis, pergentes Hierusalem linguam ciuitatis ignorarent, inspirauit diuina clementia cuidam honesto & religioso viro Teutonico, qui in ciuitate cum vxore sua morabatur, quatenus quoddam Xenodochium de bonis suis construeret, in quo pauperibus & infirmis Teutonicis hospitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad ipsum ratione commercij linguæ & noti sibi idiomatis, de gente illa multis pauperibus, & peregrinis, de consensu & voluntate Domini Patriarchæ quoddam oratorium composuit iuxta prædictum Hospitale* (seu Xenodochium) *in honore beatæ Dei genitricis Mariæ. Longo autem tempore in magna paupertate tam de bonis suis, quàm de his quæ colligebat ex fidelium eleemosynis, pauperes infirmos procurabat. Quidam autem & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes, omnibus renunciantes, se & sua Deo & prædicto Hospitali tradiderunt, ministerio pauperum, deposito sæculari habitu, voto se adstringentes. Procedente autem tempore, cùm non solùm de inferioribus, sed de equestri ordine, & de nobilibus Alemanniæ viris Deo deuotis prædicto Hospitali Deo sese obligassent, paupertatem voluntariam, & abiecti in domo Dei esse magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum eligentes, visum est eis Deo gratum esse, & acceptum, & magis meritorium, non solùm pauperibus infirmis seruire, sed insuper animas suas pro Christo ponere, & ab inimicis fidei Christianæ terram sanctam defendendo, Christo tam spiritualiter, quàm corporaliter militare.* Quapropter & Templariorum & Fratrum Hospitalis S.Ioannis professiones in vnam quasi conflarunt; in studio quidem rei bellicę Templarios imitati; in cura autem infirmorum & peregrinorum fratres Hospitalis S.Ioannis, quos excipiebant,

omnique charitatis genere tractabant in Hospitali suo, *quod dicitur sancta Maria Teutonicorum in Hierusalem*, tametsi, vt suprà dictum, ne ipsi quidem Hospitalenses rem militarem à suo instituto alienam censebant. Porro ad differentiam *Templariorum & Ioannitarum* seu *Hospitalariorum*, *Cruces nigras* albis Chlamydibus assuebant, teste Vitriaco; qui etiam votum addit. *Et quoniam vsque ad nostra tempora præsentia in humilitate paupertatis, & feruore religionis permãserunt, auertat Dominus ab eis superbas, auaras, litigiosas, & sollicitudine anxias, & religioni inimicas diuitias.* Hæc Vitriacus.

Crom. Hist. de rebus Pol. maximè lib. 7. Capta Hierosolyma à Saladino, transtulerunt Collegium & *Hospitale* suum Acconem, quæ & Ptolemais inde, vt & ex tota Syria, cum cæteris Christianis expulsi, in occidentem migrarunt, inq; Prussiam à Polonis accersiti, multa cum Prussis finitimisque nationibus bella gesserunt; quæ qui cognoscere cupit, Cromerum adeat.

Ad formam horum trium ordinum in Palæstina natorum, instituti sunt alibi etiam ordines militares Cruciferi, ex quorum numero ille in Liuonia ab Alberto Episcopo introductus, cuius *professores milites Christi* nominabantur, *ensis rubri* imaginem cum *cruce* pallio insutam gestantes; vt auctor est Cromerus. Quorum scopus erat fidem Christianam contra Ethnicos tueri & exstirpata idololatria, religionem veram propagare. *Arnold. lib. 7. Chron. Sclau. cap. 9.* De eodem militari Ordine hæc Arnoldus Lubecensis, vbi de Liuonia ad Christi religionem traducta agit. *Multi continentias vouentes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militiæ se dediderunt, & professionis suæ signum in forma gladij, quo pro Deo certabant, in suis vestibus præferebant. Qui confortati & animo & numero inimicis Dei terrore non paruo formidabiles effecti sunt.*

Azor. lib. 13. cap. 5. Sunt præterea in regno Castellæ, Hispaniæ Regi subiecto, tres ordines militares, inquit Ioannes Azorius, nimirum Milites S. Iacobi sub regula S. Augustini viuentes, quibus insigne in veste candida *crux rubra* in gladij militaris modum conformata. Deinde Milites Calatrauæ, qui in candido vestitu *rubram crucem* gerunt ad læuam. Tertiò, Milites Alcantaræ, quibus nigræ vestes & *crux viridis* ad sinistram. His adde Milites Montesiæ, qui in veste candida *rubra crucis* figuram gerunt. In Lusitania tres quoque ordines militares numerantur. Nempe, Milites Christi, qui vtuntur nigro amictu, & *cruce partim rubra, partim candida*, videlicet, quatuor eius brachia sunt per medium discissa, & linea candida intersecante distincta, ita vt in singulis brachiis binæ cruces appareant, rubra & candida. Deinde milites Auis ab oppido sic appellati, vtentes veste pulla, & *alba crucis* figura. Tertiò, milites *dela palmera*;

palmera; quibus eadem sunt vestimenta & digmata, quæ militibus S.Iacobi in Hispania. His accedit Ordo S.Stephani à Cosmo Medice Duce Florētino institutus, cui in vsu vestis nigra cum *cruce rubra*. Sunt fortaſsis & alij crucigeri ordines, fidei & religionis Christianæ defendendæ gratia erecti. Sed hoc ennumerasse sufficiat. Nunc Hierosolymam reuertamur. nam quæstionem illam, vtrum Ordines isti militares sint religiones propriè dictæ, ablegamus ad Theologorum cathedras. Lege, si placet Azorium. *Azor.lib.13. Instit.cap.3.*

CAPVT XVII.

Trophæa Crucis sub Balduino tertio.



PRIMO statim regni sui anno, quamuis adhuc adolescens, Turcos, ex castro, cui *nomen vallis Moysi, in Syria Sobal,* quod fraudulenter occupauerant, fortiter, ac feliciter eiecit. Altero regni sui anno expeditionem contra Bostrum Arabiæ metropolim suscepit, *implorato de superius auxilio*, inquit Tyrius, *& viuifica Crucis ligno salutari secum assumpto.* Sed res non cessit ex sententia, ob multitudinem hostium, quibus ità cincti fuere, vt de reditu propemodum desperarent. Quocirca quidam Balduino Regi suadere cœperunt, *vt assumpto viuificæ Crucis ligno*, equum, celeritate præstantem conscendens, præsentissimo discrimini sese eriperet. *Quod verbum Rex, licet infra annos puberes constitutus, regia spreuit magnificentia, dicens: propriam se omninò contemnere salutem, si tam Deo deuotus populus, casu tam flebili deperiret.* *Tyr. lib. 16.c.8.*

Cùm verò hostes animaduerterent, sagittis se parum detrimenti Christianis inferre, *ad alia se conuertunt molimina*, ait Tyrius: *erat regio tota vepribus & frutetis humilibus, cardonibus* (carduis) *aridis & Sinapis sylua, veteribus, stipulis & frugibus iam maturis obsita: his omnibus ignem subiiciunt, vento nostris obuio fomitem & vires ministrante. Hic incendij vicinioris afflatu, fumiq; occurentis nube densissima, nostris ingeminatur molestia; cùm ecce ad venerabilem virum Dominum Robertum, Nazarenum Archiepiscopum, qui Crucem Dominicā baiulabat, omnis populus cum clamore & eiulatu conuersus, postulabat eum lacrymis dicens: Ora pro nobis pater, & per hoc viuifica Crucis lignum, quod manibus gestas, in quo nostra salutis auctorem credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutius sustinere non possumus. Erat autem populus in modū fabrorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie, quàm toto corporis habitu nigredine factus decolor, & tam æstatis, quàm incendiorū caumate duplicato, ad supremū, afflictus, siti supra vires laborabat. Ad has itaq; gementis populi voces, vir Deo amabilis, contritus corde, & animo valde compatiens, salutare lignum eri-*

git contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant: & inuocato desuperius auxilio, statim adfuit virtus diuina, & in momento conuersis in oppositum flatibus, incendia tetra simul cum fumi caligine in hostes, qui nostrum præcedebant exercitum, se dirigunt, & quæ in nostram parauerant læsionem, in suam vident retorta perniciem. Stupent hostes nouitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam præsens à Domino Deo suo pro votis impetraret beneficium. Suis ergo occupati necessitatibus, nostris aliquam indulgent requiem, & ad tempus respirare concedunt.

Insigne hoc est Crucis trophæum, omni ære perennius: omniumq; linguis prædicandum: cui adiungatur & hoc in eadem expeditione factum; nam *cùm ducem non haberent, qui agmina præiret, & locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam, ecce subitò cohortes præcedens miles quidam ignotus albi sessor equi, rubei coloris vexillum baiulans, lorica indutus, curtis vsq, ad cubitos manicis antecedebat exercitum. Hic tanquã Angelus Domini exercituum viarũ sequens compendia, & ad aquas ducẽs prius incognitas, congruis & commodis stationibus castrametari docebat, &c. Asserunt autem vnaminiter,* inquit Tyrius, *quibus illius facti adhuc plenior famulatur memoria, quòd hunc, vt diximus, ducem itineris nemo nouerit. nam cum ventum erat, vt castrametaretur exercitus, subitò disparuit, nec vspiam in castris videbatur, manè verò iterum exercitum anteibat.*

Tandem Rex cum exercitu Hierosolymam venit, quo *reuerso, & Cruce quoq, Dominica Hierosolymis restituta, gauisus est populus qui remanserat.* Ista prorsus admiranda Tyrius.

Tyr. lib. 17. ca. 2. Anno Domini M. CXLVII. obsessa est Damascus, *congregatis ex vniuerso regno militaribus tam equitum, quàm peditum copiis, tam ex indigenis, quàm peregrinis, præuio viuificæ Crucis salutari ligno.* Non longo post tempore, cæso Antiocheno principe Raimundo, Sarraceni ingentes spiritus sumpsêre, iam de ipsa Antiochia occupanda consilia agitantes. *Verùm cùm erectis vsq, in cælum animis, Antiochiam irrũpere cogitarent,* inquit

Neub. lib. 1. cap. 21. VVilhelmus Neubrigensis, *audito Christiani principis occasu, magnaminus Rex Hierosolymorum Balduinus cum Cruce Dominica, & militia templi ocior aduolat, & hostium molitiones præueniens, Antiochiam ciuitatem ingreditur. Hostes nihilominus irruunt, ciuitatem obsidione concludunt. Sed qui superbis paulò ante restiterat, humilibus illis dedit vberem gratiam. Deo enim propitio paulatim respirantes atq, inualescentes, hostes iam crebris successibus tumidos non solùm obsidionem deserere, sed etiam finibus suis cum dedecore excedere compulerunt, viribusq, paulatim crescentibus non multò post hostium fines ingressi, eos, qui paulò ante aliena inuaserant, propria cum summo periculo tueri coëgerunt.* Hæc Neubrigensis.

Postea

Postea animum adiecit Rex ad expugnationem Ascalonis. *Conuocatis igitur vniuersis regni proceribus*, inquit Tyrius, *& populo vnanimiter conueniēte, Dominus Rex, Dominusq́ Patriarcha cum aliis tam secularibus, quàm Ecclesiasticis regni Principibus, signum Dominicæ Crucis viuificæ, & venerabile secum habentes, ante vrbem prædictam, felicibus auspiciis, octauo Kalen. Februarij*, Anno Domini M.CLIV. castra posuerunt: quo etiam in Christianorum potestatem venit. Cùm autem obsidio diutius extraheretur, & exercitus Christianus indies plurimas clades ab Ascalonitis acciperet; instituta est deliberatio *coram posita viuifica Cruce*, num obsidio soluenda, an continuanda foret, peruicitque eorum sententia, qui continuandam suadebant; & quidem feliciter. Non enim diu post obtinuerunt ciuitatem, *quam Rex & Patriarcha cum cæteris regni Principibus, & Ecclesiarum Prælatis, vnà cum vniuerso Clero & populo, præuio ligno Dominicæ Crucis, cum hymnis & canticis spiritualibus vrbem ingressi, in præcipuo eorum, & eximij decoris oratorio, quod postmodum in honorem Pauli Apostoli consecratum est, Crucem Dominicam intulerunt. Vbi celebratis solenniter diuinis, post gratiarum actiones, in hospitia sibi deputata se recipientes, lætum & sæculis memorabilem egerunt diem.*

Tyr. lib. 17 c. 28.

Tyr. cap. 30.

Multas deinceps idem Balduinus Rex victorias de hostibus reportauit, præclarasque vrbes non paucas, optabili successu, in ditionem suam redegit; & Sarracenos crebris conflictibus profligauit & attriuit, & in his Noradinum ingentis animi Mahometanum Principem; qui cum Christianorum præsidium, *quod dicitur Sueta*, obsideret, Rex intrepido, Cruce Dominica comitatus, subsidio accurrit; & eo die, quo manus conserendæ, *conuocatis summo diluculo Principibus, adoratoq́ suppliciter viuificæ Crucis ligno, quod Petrus Tyrensis Archiepiscopus, gestabat, de communi consensu*, in hostes itum, & victoria commemorabilis obtenta est.

Tyr. lib. 18. c. 21.

Tandem anno Domini M.CLXII. non annis (obiit enim ætatis suæ trigesimo tertio) sed adoreis & victricibus corollis plenus decessit, anno vigesimo quarto regni sui, Idibus Februarij, in Ecclesia Dominici sepulchri inter suos antecessores sepultus, relicto successore Amalrico fratre suo.



CAPVT XVIII.

Tertia generalis & publica Conradi Imperatoris, & Ludouici Regis Franciæ in Palæstinam expeditio Cruciata.



ANNO *Dominicæ incarnationis M. C X L V. incipiente, in ipsa sacrosancta Natiuitatis Christi solennitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in oriente piaculum*; inquit Otto Frisingensis. *Sanguinus enim quidam Halapensis Syriæ ac Mesopotamiæ, excepta Antiochia & Damasco, Princeps, Persarum verò & Medorum Regis, seu Soldani subditus, Edessam, quæ nunc Rohas dicitur, vnicum Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro magnitudine ac abundantia sui refugium, cum infinita Sarracenorum multitudine circumdedit, ac in ipsa, vt dixi, natiuitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum Episcopo vrbis Christianis in ore gladij occisis, vel miserabili captiuitate in seruitutem redactis, Ecclesias Christi, & præsertim beata Mariæ semper Virginis Basilicam, & eam, in qua reliquiæ S. Thomæ Apostoli reconditæ sunt, ad Saluatoris nostri ignominiam, intro ferens ea, quæ non licebat, fœdè polluit, Christianisq́ penitus exterminatis, vel tributo subactis, Sarracenos ibi ad habitandum collocauit.*

Otto lib. 7. Chron. c. 30.

Tyr. lib. 16. c. 18. *Capta igitur vrbe Edissana,* inquit Tyrius, *rumor lethalis memoriæ plenus personuit, & crebra fama diuulgabatur per occidentem vniuersum, quòd impia gens Turcorum, non solùm vrbem prædictam, sed populum amplius solito Christianum præliis & crebris nimium inuasionibus affligerent. Erant qui verba huiusmodi longè lateq́ in populis, & nationibus disseminarent, & desides ex longa pace dissolutas, ad tantarum vltionem iniuriarum sollicitarent prouincias.*

Inter quos præcipuus *Eugenius Papa Tertius*, vir Deo plenus, teste Tyrio; cuius ad Ludouicum Regem Galliarum, & omnes regni illius Principes, super hoc ipso negotio hæc exstat apud Frisingensem epistola: *Quantum prædecessores nostri Romani Pontifices pro liberatione orientalis Ecclesiæ laborauerunt, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Prædecessor etenim noster felicis memoriæ Papa Vrbanus, tanquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios de diuersis mundi partibus sollicitare curauit. Ad ipsius siquidem vocem vltramontani, & præcipuè Francorum regni fortissimi, & strenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi conuenerunt; & maximo congregato exercitu, non sine magna proprij sanguinis effusione, diuino eos auxilio comitante, ciuitatem illam, in qua Saluator pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrum, passionis suæ nobis memoriale dimisit, & quàm plures alias, quas prolixitatem vitantes memorare supersedimus, à paganorum spurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei, & patrum vestrorum studium, qui per internalla temporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, vsque*

Otto de Gest. Fred. Imp. lib. 1. cap. 35.

ad nostra tempora à Christianis detentæ sunt, & aliæ vrbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatæ.

Nunc autem, nostris & ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno gemitu, & dolore proferre non possumus, Edissa ciuitas, quæ nostra lingua Rohais dicitur, quæ etiam, vt fertur, cum quondam in oriente tota terra à paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate Domino seruiebat, ab inimicis Crucis Christi capta est, & multa Christianorum Castella ab ipsis occupata, ipsius quoq; ciuitatis Archiepiscopus cum Clericis suis, & multi alij Christiani ibidem interfecti sunt, & Sanctorum reliquiæ in infidelium conculcationem datæ sunt & dispersæ. In quo quantum Ecclesia Dei, & toti Christianitati periculum immineat, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namq; nobilitatis & probitatis iudicium fore cognoscitur, si ea, quæ patrum strenuitas acquisiuit, à vobis filiis strenuè defendantur. Veruntamen, si, quod absit, secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur. Vniuersitatem itaq; vestram in Domino commonemus, rogamus atque præcipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, & maximè potentiores & nobiles, viriliter accingãtur: & infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptam lætatur, sic occurrere, & Ecclesiam orientalem tanta patrum vestrorum, vt prædiximus, sanguinis effusione, ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captiuorum millia confratrum nostrorum, de ipsorum manibus eripere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per vniuersum mundum laudatur, integra & illibata seruetur.

Hæc & plura talia Pontifex ad Ludouicum Regem, aliosq; Franciæ proceres; quæ, vt efficaciora essent, ad Crucis prædicationem destinat non quemuis, sed, vt Tyrius loquitur, *virum immortalis memoriæ, & honestæ conuersationis Dominum Bernardum, Clareuallensem Abbatem, piæ in Domino, & per omnia amplectendæ recordationis ad prædicti Deo placiti muneris executionem delegit, qui iniunctæ sibi dispensationis sedulus executor, eiusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset inualidi, propter ieiunia pœnè continua, & subtilem nimis diætam, regna circuit, regiones obambulat, euangelizans vbique regnum Dei: afflictionem populi, qui & in oriente est, simul & molestias, quibus incessanter opprimuntur, aperit diligenter; vrbes fidelium piorum, fidei Christianæ deuotas, iuga pati persecutorum nominis Christiani, & seruitutem durissimam proponit euidentius. Fratres quoq; pro quibus Christus mori voluit, vinculis mancipatos & compedibus, famæ attritos, horrendis carcerum clausos ergastulis squalore sordidos, indutos amaritudine, sedere in mendicitate & ferro, plenius edocet. Ad hoc, ad eorum liberationem inuitat, ad propulsandas iniurias oppressorum accendit; non defuturum superius auxilium volentibus hunc tam pium laborem assumere, spondet: præmia etiam pro iis sempiterna cum electis pollicetur. Hæc ei* Tyr. lib. 16. c. 18.

per

pergentes, principatus & regna pia longanimitate differenti, affuit tam patrum, quàm plebis fauor gratuitus, & exhortationibus eius spontaneum prabentes assensum, iter versus Hierosolymam compromittunt, & viuificæ crucis signum humeris aptantes ad iter accinguntur.

Anno 1146. *Nam apud Verzeliacum Galliæ oppidum, vbi beatæ Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt, generalis curia indicitur,* inquit Frisingensis, *conuocatis ex diuersis Galliæ prouinciis optimatibus, virisque illustribus. Ibi Ludouicus Francorum Rex* (imò & Regina) *crucem, à prætaxato Abbate, cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est, cum Theodorico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Blesensis filio, Comitibus, aliis de regno suo Baronibus, virisque nobilibus*, quorum si non omnium, certè plurium nomina speciatim exprimuntur in Gestis Ludouici Regis, quæ Pithæus iam olim vulgauit.

Nec politici tantùm, sed & Ecclesiastici Principes Regis, & Reginæ vestigia secuti crucem assumpserunt, inter quos *Simon Episcopus Nouiomensis, Godefridus Episcopus Lingonensis, Arnulphus Episcopus Lisienensis.* De Abbatibus, Herbertus Abbas S. Petri vici *Senonensis, Theobaldus Abbas S. Columbæ Senonensis. Metis similiter crucem assumpsit Comes Moriennæ, auunculus Ludouici Regis Franciæ, multique cum eo Principes & Barones. Rebus sic peractis venerabilis Pontius Abbas de Verzeliaco, vt locus ille, in quo sancta congregatio Crucem assumpserat, tam nobilis facti memoriam in perpetuum retineret, in honorem sanctæ Crucis Ecclesiam construxit, quam postea diuina potentia voluit multis miraculis illustrare.* Et hæc acta sunt anno Domini M.CXLVI.

Vide epist. 323. S. Bernardi. Cæterùm Bernardo aliisque legitimis prædicatoribus Crucis Christianam sedulò procurantibus & amplificantibus, accurrerunt alij, qui nec vocati, nec missi in Germania crucem prædicabant; aut certè vocati, & missi munus suum ritè non obibant. Et in his Rudolphus Monachus, *qui*, vt Otto ait, *multa populorum millia ex Agrippina, Moguntia, VVormacia, Spira, Argentina, aliisque vicinis ciuitatibus, oppidis, seu vicis, ad accipiendam Crucem accendit. hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quod Iudæi in ciuitatibus oppidisque passim manentes, tanquam Christianæ religionis hostes passim trucidarentur, &c. At Clareuallensis Abbas huiusmodi doctrinam præcauendam docens, ad Galliæ Germaniæque populos nuncios, seu litteras destinauit: In quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit, Iudæos ob scelerum suorum excessus non occidendos, sed dispergendos fore, &c. Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine mouendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc, vt animum Principis Romanorum sacræ exhortationis verbo ad accipiendam Crucem emolliret, quàm vt Rudolpho occasione Iudæorum*

daeorum crebras in ciuitatibus seditiones populo contra Dominos suos mouenti silentium imponeret. Audiens hoc Princeps (Imperator Conradus) *generalem curiam in Natiuitate Domini apud Spiram ciuitatem celebrandam indixit. Quo veniens prædictus Abbas* (Bernardus) *Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisq; Principibus, & viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico, vel occulto faciendo miracula.* Rudolpho *accersito præmonitoq;, ne contra Monachorum regulam, per orbem vagando propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, vt sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit, &c.*

Aegerrimè autem tulit Fridericus Dux Sueuiæ, Conradi Imperatoris frater, Fridericum filium suum crucem accepisse, omni huius rei culpa in Conradum Imperatorem collata: *Quem* S.Bernardus *visitandi gratia adiit*; inquit Otto, *& benedicens ei in orationes recepit. Ipse tamen vim doloris non sustinens, non multis pòst diebus viuendi finem fecit, ac in monasterio, quod S.VValpurgis vocatur, in terminis Alsatiæ sito, humatus est, successitq; ei in ducatu filius suus Fridericus:* ille nimirum, qui cum Imperatore Conrado Crucem assumpserat; & postea Imperator factus est.

Necdum tamen finis; Nam post hæc mense Februario, *in Boiaria generalem curiam,* Conradus Imp. *celebrauit, ducens secum vice Clarauallensis Abbatis, Eberacensem Abbatem Adam, virum religiosum, & honestè eruditum.* Qui *Missarum solennia ex more celebrans, inuocataq; Spiritus sancti gratia, ambonem ascendit, ac lectis Apostolicæ sedis, & Claraualensis Abbatis litteris, breui exhortatione facta, pœnè omnibus, qui aderant, præfatam militiam profiteri persuasit. Neq; enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosæ iuxta præcepta Rhetorum orationis circuitus insinuatione egebat, cunctis, qui aderant, ex priore rumore excitatis, ad accipiendam crucem vltrò accurrentibus. Accepere eadem hora Crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisbonensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Patauiensis, & Dux Noricorum Henricus, frater Regis, deq; ordine Comitum, nobilium, virorum illustrium innumerabiles. Guelfo quoque, Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis regni optimatibus in ipsa Natiuitatis Dominicæ nocte, in propria villa Bittengeu, eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed & Dux Boëmorum Ladislaus, & Stirensis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris Comes Bernardus, non multò pòst, cum magno suorum comitatu cruces accepère.* *Vide Chronicon de GVVelfis Tom.1. Antiq. Lect fol.200.*

En quales quantosque Principes hæc tertia Crucis prædicatio ad crucis assumptionem exciuerit, quæ primæ dignitate militum præstabat, propter Romanorum Imperatorem, & Ludouicum Francorum Regem; aliis tamen, præsertim exitu, longè dispar fuit; vt postea dicemus.

Porrò epiſtolam S. Bernardi, qua ad Crucis aſſumptionem cohortatur Archiepiſcopos, Clerum & populum Orientalis Franciæ ſeu Franconiæ, & Boioariæ recitat Otto; ſed non integrè; exſtat inter epiſtolas S. Bernardi Num. 322. Et inſcribitur, *ad Epiſcopum, Clerum & populum Spirenſem, hortans ad arma contra infideles ſuſcipienda.* Addit Otto duo alia cumprimis obſeruanda. Alterum; ad iſtam Crucis in Bauaria viciniſque locis prædicationem *tantam prædonum, & latronum aduolaſſe multitudinem, vt nullus ſani capitis hanc tam ſubitam, quàm inſolitam mutationem ex dextra Excelſi prouenire non cognoſceret; cognoſcendo, attonita mente non obſtupeſceret.* Alterum, *repentè ſic totum fermè occidentem conticuiſſe, vt non ſolùm bella mouere, ſed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.*

Otto lib. 1. de Geſt. Frid. Imp. cap. 41.

CAPVT XIX.

Quando Conradus Imperator iter inierit; quo ſucceſſu; quas inſidias à Græcorum Imperatore Manuele perpeſſus; demùm quando Hieroſolymam venerit.

HIEMALIS *algoris auſteritate deterſa*, inquit Otto, cruceſignatus & ipſe in hac expeditione, *cũ veris benigna humiditate ex telluris partu flores, & herbæ procrearentur, camporumq́; viriditas latam terræ faciem monſtrans, orbi arrideret; Conradus Rex à Norico caſtro cum ſuis procinctum mouens, per Danubium iturus, Ratiſbonæ naues ingreditur, ac in Aſcenſione Domini, in orientali Marchia iuxta Burgum, qui Ardacker vocatur, caſtra ponens, ſuos, qui iam aduentabant, duobus ſeu tribus diebus exſpectauit. Inde vſq; ad terminos ferè regni ſui procedens, nõ longè à fluuio Viſcabe manſionem locauit, celebrataq́; ibi ſancta Pentecoſte, cum vniuerſis pœnè copiis ſuis Litabe tranſiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium nauigãtibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem poſt ſe multitudinem traxit, vt & flumina ad nauigandum, camporumq́; latitudo ad ambulandum vix ſufficere viderentur.*

In Geſtis Ludouici Regis dicitur, in exercitu Imperatoris fuiſſe *ſeptuaginta millia bellatorum in equis & loricis, exceptis equitibus aliis leuis armaturæ, & exceptis peditibus, quorum erat numerus infinitus.*

Cæterùm *permeata magno labore*, ait Otto, *viarumq́; difficultatis diſpendio poſt Pannoniam Bulgaria, emenſaq́;, tranſmiſſo Hebro, ſuperiore Thracia, cùm iam per aliquot dies in locis fertiliſſimis per inferiorem Thraciam, cum multa mentis lætitia ambulantes vrbi regiæ accederemus, VII. Idus Septembris, id eſt, proxima ante Natiuitatem beatæ Mariæ feria, vallem quandam iuxta oppidulum*

Chere-

Chereuach dictum, campi viriditate latam, amniculi cuiusdam medio decursu conspicuam attingimus. Narrat deinceps quomodo eadem nocte riuus ille seu torrens intumuerit; & quantam cladem Castris Christianorum intulerit. Collecto postea ex trepidatione inundationis exercitu, traiecerunt Bospŏrum, seu; vt vulgo appellatur, brachium S. Georgij; Meminit etiam Nicetas Choniates inundationis illius, aitque torrenti nomen esse Melas; coactumque Conradum, vt exercitum absque mora in Asiam traiiceret, & nullum non nauigij genus in transportandis Alemannis fuisse occupatum. Cùm verò Imperator Manuel multitudinem exercitus describi: *Et quot quaque vice traiicerent, annotari iussisset, ij, quibus id negotij erat datum tantæ multitudinis descriptione fatigati, re infecta domum redierunt,* inquit Choniates, qui fraudes Imperatoris & Græcorum in Cruce signatos luculenter profectò describit, vt satis mirari nequeam, Historicum latino nomini infensissimum, adduci potuisse, vt nequitiam suorum coloribus tam viuis depingeret.

Fatetur enim I. *Manuelem exercitui Crucigero, locis opportunis & angustis tramitibus, insidias collocasse, quibus non pauci interierint.* II. *Græcos, clausis portis, forum Alemannis non præbuisse, sed funibus de muris suspensis pecuniam prius attraxisse, iisq; rursus quantum vel panis, vel aliarum rerum libebat, demisisse: Et sæpius accidisse; vt nihil prorsus demitterent; sed auro argentoq; attracto, atq; in finibus recondito, ex mœnibus se subducerent:* III. *Quosdam etiam calce immista farinæ, cibum pestiferum reddidisse.* Etsi autem addit Nicetas, se nescire, vtrum hæc commissa sint, iussu Manuelis, non est tamen dubitandum, quin eo & imperante, volente, lubente, omnia ista gesta sint; quæ facilè credet, quisquis sequentia perpenderit; Nam IV. fatetur Nicætas, *Manuelis iussu, ex improbo argento monetam esse cusam, qua iis daretur, qui ex Italico exercitu aliquid vendituri essent.* Quo scelere quid atrocius? V. *Nullum mali genus fuisse quod Imperator non vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset.* VI. *Turcos Manuelis litteris ad bellum Alemannis faciendum concitatos esse.* Et successit conatus; *nam circa Bathym, Pamplano quodam duce,* Turci prælio victores, multos occiderunt. licet cum partem illam exercitus, quæ per Phrygiam iter faciebat, Turci aggressi essent, superati sint, multis Turcarũ millibus cæsis, vt refert Nicetas: qui fusè stragem Turcarum, & victoriam nostrorum describit; & addit; *quanta multitudo ceciderit, etiam hodie ossium tumulos crebros, & altos collium instar, testari, quos qui illac iter habet, quiuis admiretur, vt & ego qui hæc scribo, sum admiratus. Ac quanti sępium fuerint ambitus, quæ ex Cimbrorum ossibus facta, Massiliensium vineas cingebant, barbaris à Mario Romanorum Duce cæsis, ij maximè nouerint, qui re-*

K 2 *cens*

cens illud facinus oculis vsurparunt, & cæteris exposuerunt, sed hoc illo vtiq, maius est, nisi magnificētiâ historicâ res Cimbrica vltra veri fidem exaggerata propemodum in fabulam degenerassent. Ex eo citra bellum Alemanni sunt progressi, Barbarorum nemine impediente.

Hæc Nicetas; quorum nihil simile apud Latinos, qui de Conradi expeditione aliquid litteris mandarunt; inter quos Otto Frisingensis; qui præsens omnium spectator fuit; & Tyrius, & Auctor, qui gesta Ludouici Regis conscripsit; Gulielmus Neubrigensis, Helmoldus, & alij, qui dicunt, totum illum exercitum, fraude Manuelis Imperatoris partim inediâ, viæque difficultatibus, partim crebris conflictibus, & impresionibus Iconiensis Soldani, qui immensam Turcarum multitudinem à Manuele impulsus, ex toto Oriente aduersus nostros conduxerat; disiectum, dissipatum, concisum, & fermè vsque ad internecionem exstinctum fuisse; & ex his, qui euaserant, alios Hierosolymam perrexisse; alios pedem Constantinopolim versus retulisse; inter hos etiam ipsum Conradum Imperatorem cum paucis Principibus elapsum, ibique vsque ad veris initium substitisse, tum classe vectum, cum quibusdam ex Principibus suis, in Orientem peruenisse; portum Acconensem attigisse, & inde Hierosolymam sese recepisse, & à Rege Balduino, & à Fulchero Patriarcha, *occurrente ei extra ciuitatem vniuerso Clero & populo cum hymnis, & canticis in sanctam ciuitatem introductum esse.* Hæc & plura huius generis Latini scriptores, quos consulat cui id libitum. *Nos*, inquit Otto, *qui non hac vice tragœdiam, sed iucundam scribere proposuimus historiam, aliis vel aliâs hoc dicendum relinquimus.* Adeò ipse Otto enumerationem calamitatum, quæ Cruce signatis obuenerant, abhorrebat. Illud autem consideratione dignum est, quomodo Deus iustus Iudex nil impunitum, aut irremuneratum relinquat: cùm enim post aliquot annos ipse Manuel ingentem exercitum in orientem per Iconium traduceret, vniuersus propemodum ad Iconium à Turcis cæsus est & profligatus, ita vt ægrè Imperator elapsus Constantinopolim peruenerit; quique copias Conradi Iconiensi Sultano, per viarum non ductores, sed seductores dilaniandum obiecerat; ipse *nunc ductu suorum, qui praibant agmina, magis quàm hostium viribus,* teste Tyrio, exercitum amisit.

Otto lib. 1 de gest. Frid. Imp. cap. 44. 45. Tyr. lib. 16. c. 20. & seq. Neubrig. lib. 1. rerū Anglic. cap. 20. & 21. Helmold. lib. 1. Chron. cap. 61.

Tyr. lib. 22. c. 12.



CAPVT

CAPVT XX.

Quo successu Rex Ludouicus iter fecerit, & de caussis tam inauspicatæ expeditionis.



EANDEM viam, quam Conradus Imperator, tenuit etiam Constantinopolim vsque, Ludouicus, Rex Franciæ, qui Conradum *non multò post cum suis subsecutus est*, inquit Otto, *isti enim duo magni principes*, ait is, qui gesta Ludouici Regis conscripsit, *prius ordinauerant, quod simul ire non poterant, propter multitudinem populi vtriusq; exercitus, timebant enim ne discordia & tumultus oriretur in castris, quod de facili accidit maximè vbi tot sunt diuersæ nationes lingua & moribus differentes: propter hoc voluerunt, vt vni præcederent alios, & interuallo facto inter vtrumq; exercitum, etiam quilibet suum duceret separatum. Erant autem in exercitu Regis Franciæ penè septuaginta millia equitum loricatorum, & gens optima, & in rebus bellicis approbata; peditum verò non erat numerus, quorum multitudo terræ superficiem tegere videbatur. Si videres bellatorum acies tam decenter ordinatim procedere, galeas & scuta contra solis aciem coruscare & cohortes cum vexillis in aëre crepantibus terræ latitudinem operiri, crederes, quod possent de omnibus Crucis inimicis triumphare, & omnes regiones orientis armorum potentia vendicare, & sine dubio potuissent, si Dominus voluisset eorum peregrinationem acceptare.*

Postquā Rex fines Constantinopolitanos cum copiis suis intrauit, non minores fraudulenti Imperatoris insidias sustinuit, quàm prior exercitus, pessimè enim oderat Manuel Francos & Alemannos, ꝑpter potentiam & dextram inuictam; quod non dissimulans Nicetas, disertè id palamq; profitetur ad perpetuā Manuelis ignominiam. Traiecto Bosporo, *nunciatur Regi, imperatorem amisso exercitu, vagum & profugum cum paucis principibus euasisse.* Etsi autem, vt par erat, hoc tam tristi nuntio mirificè perculsus esset; progrediendum tamen censuit; ad Mæandrum fluuium Turcas viriliter sternit: sed statim, versa fortuna, sternitur irreparabili clade exercitus Frācicus; cuius collectis reliquiis, Rex venit Satelliam, inde Antiochiam; hinc Hierosolymam. Vbi conuentus principū indicitur; vt in commune deliberetur quid potissimum agendum, quod è rei Christianę emolumento esse videatur. Adest Imperator Conradus; Ludouicus Rex Galliæ; Balduinus Rex Hierosolymitanus, quisq; cum suis principibus tam Ecclesiasticis, quàm politicis. Decernunt Damascum obsidione cingendam.

Nicet. lib. 7. de rebus Manuel, init.

Nec mora; Fit quod statutum. Obsidetur Damascus. *Illuc delata fuit Crux sancta*; inquit Auctor, qui gesta Ludouici literis consignauit; *cum magna deuotione à Foucherio Patriarcha: quia moris erat tunc temporis ad*

Idem de S. Cruce prælata Tyrius lib. 17. c. 2.

Christianam militiam semper illam præferri in negotiis præliorum. sed frustra omnia, occulto Dei iudicio cœptis aspirare nolentis; *sed fortasse eorum meritis exigentibus,* inquit scriptor rerum gestarum Ludouici, *vt ad finem honorabilem attingerent eorum opera, noluit Deus consentire; caussam nescimus, quare hoc fecerit: sed certi sumus quod in vero iudicio non errauit.*

Dolendum summoperè tantum apparatum in nihilum recidisse; etenim *tanquā inuita diuinitate, & eis irata iter assumpserunt, in tota illa pro-*
Tyr.lib.16.c.19. *fectione nihil Deo placitum, peccatis nostris exigentibus.* inquit Tyrius, *operati sunt, sed nostrum, quibus opem se laturos arbitrabantur, statum, in deteriorem mutauerunt conditionem. Veruntamen credimus & speramus.* ait sæpe iam nominatus Anonymus Auctor, *quod illis, qui bona intentione labores itineris pertulerunt, & se à peccato, prout homini possibile est, continuerunt, quantum ad animas, nihil de præmio, quod meruerunt, perdiderunt.*

Otto lib.1.de gest.Frid.c.60. Otto Frisingensis *in excursu ad excusandum euentum huius expeditionis,* inter cætera ita scribit. *Si non fuit bona pro dilatatione terminorum, vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum animarum salutem: sic tamen vt bonum non pro dato naturæ, sed pro vtili semper accipias. Quamuis si dicamus sanctum illum Abbatem* (Bernardum) *spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciuiamq́ nostram salubria mandata non obseruantes, meritò rerum personarumue dispendium deportasse, nō sit à rationibus vel antiquis exemplis dissonum.* Et certè, si vera scribit Henricus Huntindoniensis, mirum non est omnia improsperè cessisse: *Summis ducibus illustri cum summa incedebant superbia,* inquit, *ad nihilum deuenerunt, quia Deus spreuit eos. Ascendit enim in conspectu Dei incontinentia eorum, quam exercebant in fornicationibus non occultis. In adulteriis etiam, quod Deo valdè displicuit; postremò in rapinis & omni genere scelerum. &c. Exercitus Regis Francorum & Imperatoris Alemanniæ splendidior & maior fuerat, quàm ille, qui prius Hierusalem conquisierat, & in paucissimis contriti, & quasi tela aranearum disterminati sunt & demoliti. Omnis illa tantorum principum virtus,* ait Tyrius, *quæ prius armis, viribus, animis & numero videbatur incomparabilis, subitò contrita, languido lacessita Marte corruit, ita vt vix remanerent illius vestigia gloriæ, & tantarum vix superesset residuum copiarum. Nam de 70. millibus loricatorum equitum, & de tanta pedestrium turmarum manu, quorum infinitus erat numerus, vix, sicut asserunt, qui præsentes fuerunt, decima pars euasit, aliis fame, aliis gladio interemptis, nonnullis etiam vinculis hostium mancipatis. Ludouicus Rex Franciæ,* inquit Helmoldus, *direxit iter versus Hierosolymam, & pugnantibus secum Barbaris vniuersum perdidit exercitum. Quid dicam de Rege Alemanniæ, & his, qui cum eo fuerāt? vniuersi perierunt siti & fame, transducti in desertum maximum, dolo legati Regis Græciæ, qui eos in fines Persarum ducere debuerat. Adeo contabuerunt fame & siti, vt incursantibus Barbaris vltro ceruices præbuerint.*

Henr.lib.8.hist. Eadem Rogerus in Annal. Anglicis.

Rex

Rex & validiores quique, qui neci superfuerant, in Graciam refugerunt. O iudicia Excelsi. Tanta fuit clades exercitus, & miseria inexplicabilis, vt eorum, qui interfuerunt, adhuc lacrymis deplangatur.

In nostro illo exercitu, ait Neubrigensis, *tanta, tam contra Christianam, quàm contra castrensem etiam disciplinam mala increuerant, vt mirum non sit, quod eis tanquam pollutis & immundis fauor nequaquam diuinus arriserit.*

Non pepercit populo suo, non suo nomini, inquit S. Bernardus, loquens de hac ipsa expeditione, cuius ipse, Pontificis missu & iussu, impulsor fuerat. *Nonne dicunt in gentibus, vbi est Deus eorum? Nec mirum. Ecclesiæ filij, & qui Christiano cẽsentur nomine, prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. Effusa est contentio super principes, & Dominus errare fecit eos in inuio, & non in via. Contritio & infelicitas in viis eorum. Pauor & mœror & confusio in penetralibus regum ipsorũ. Quàm confusi pedes Euangelizantium pacẽ, annunciantium bona. Diximus pax, & non est pax. Promisimus bona, & ecce turbatio. Quasi verò temeritate in opere isto, aut leuitate vsi simus. Cucurrimus planè in eo, non quasi in incertum; sed te iubente, imò & per te, Deo. Quare ergo ieiunauimus, & non aspexit, humiliauimus animas nostras, & nesciuit? Nam in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Quam patienter interim audit adhuc voces sacrilegas, & Ægyptios blasphemantes, quia callidè eduxit eos, vt occideret in deserto. Et quidem iudicia Dei vera. Quis nesciat? At iudicium hoc abyssus tanta, vt videar mihi non immeritò pronunciare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo. Quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet? Recordemur supernorum iudiciorum, quæ à sæculo sunt, si fortè sit consolatio. Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine & consolatus sum. Rem dico ignotam nemini, & nunc nemini notam. Nempe sic se habent mortalium corda: quod scimus cum necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus est terram: nam quando ipsum aliter sequeretur populus solam sapiens terram? Eduxit. Eductos tamen in terram quam promiserat, non introduxit. Nec est quod ducis temeritati imputari queat tristis & inopinatus euentus. Omnia faciebat, Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante, sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, duræ ceruicis fuit, semper contentiosè agens contra Dominum, & Moysen seruum eius. Bene, illi increduli & infideles; hi autem quid? Ipsos interroga, quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi? Dico ego vnum. Quid poterant proficere, qui semper reuertebantur cum ambularent? Quando & isti per totam viam non redierunt corde ad Ægyptum? Quod si illi ciciderunt & perierunt propter iniquitatem suam, miramur istos eadem facientes, eadem passos? Sed numquid illorum casus aduersus promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei, iustitiæ Dei præiudicant. Et audi aliud. Peccauit Beniamin.*

S.Bern.lib.2.de Consid.init. Vide lib 3. Vitæ S.Bern.cap.4.

Accingun-

Accinguntur reliquæ tribus ad vltionem: nec sine nutu Dei. Designauit deniq; ipse ducem præliaturis; itaque præliantur freti & manu validiore, & caussa potiore, & quod his maius est, fauore diuino. At quàm terribilis Deus in consiliis super filios hominum. Terga dedêre sceleratis vltores sceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: Ascendite, inquit. Ascendunt denuò: denuóque fusi & confusi sunt. Ita Deo primum quidem fauente, secundo & iubente iusti iustum certamen ineunt, & succumbunt. Sed quo inferiores certamine, eò fide superiores inuenti sunt. Quid putas de me facerent isti, si meo hortatu iteratò ascenderent, iteratò succumberent? Quando me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus, in quo semel, & iam secundo frustrati forent? Et tamen Israëlitæ vnam & alteram non reputantes frustrationem, tertiò parent & superant.

Sed dicunt forsitan isti. Vnde scimus, quod à Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, vt credamus tibi? Non est, quod ad ista ipse respondeam: parcendum verecundiæ meæ. Cęterùm loco S. Bernardi pręmodestia & religiosa humilitate respondere nolentis, respondit Gaufridus Monachus Clarauallensis. *Euidenter verbum hoc* (Crucis) *prædicauit, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis & quàm multiplicibus signis? Quanta numerare, ne dicam narrare, difficile foret: nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demùm scriptorem numerositas scribendorum, & materia superauit auctorem, nimirum cùm aliquando vna die viginti seu plures ab incommodis variis sanarentur, nec facilè ab huiusmodi dies vlla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per serui sui tactum & orationem ab ipsis etiam matris vteris cœcos videre, claudos ambulare, aridos conualescere, surdos fecit audire, & mutos loqui, mirabilius restituente gratia, quod minus præstitum fuerat à natura. Nec tamen ex illa profectione orientalis Ecclesia liberari, sed cœlestis lætari meruit & impleri, &c.*

Gauf. li. 3 Vita. S. Bern. cap. 4.

Accidit autem vt vbi primùm de eiusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, vt illuminandum Dei famulo cœcum filium offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti spiritus eius affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum verò post orationem orationis præstolaretur effectum: Quid facturus sum? ait puer. Video enim. Attollitur illico clamor adstantium, plures enim non modò è fratribus, verumetiam è secularibus aderant, qui vt puerum vidêre videntem multipliciter consolati Deo gratias referebant.

Nec illud prætereundum, quod idem auctor his verbis commemorat, de Ascalone capta post miserabilem exercitus Imperatorij & Regij interitum. *Illud etiam satis credimus considerasse nonnullos, quod eadem hebdomada, qua felicissima anima eius carne soluta est, Ecclesia Hierosolymitana magni-*

magnificè ſatis fuerit, diuino munere, conſolata; ſicut ſæpius nouerunt illum pro miſiſſe. Siquidem capta eſt Aſcalon illa munitiſſima, paucis à ſancta ciuitate milliariis diſtans, & periculosè inſtans calcaneo eius. Aduerſus hanc quinquaginta annis, & eo amplius nihil profecerant Chriſtiani laborantes. nam & tunc non humana virtute capta eſt, ſed diuina. Nec incongruum nunc ipſius interſerere verba, quæ eodem ſcripſerat anno ad virum optimum Militem Templi, tunc miniſtrum, nunc etiam Magiſtrum Militiæ Templi, qui ipſius ſecundum carnem auunculus erat: Væ principibus noſtris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt; in ſuis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur ſuper contritione Ioſeph. Confidimus autem, quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet. Porrò dextera Domini faciet virtutem, & brachium ſuum auxiliabitur ei, vt cognoſcant omnes, quia bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.

Hæc & id genus alia alij, & ipſe S. Bernardus pro excuſatione tam ſui, quàm infauſtæ illius expeditionis; quorum meminit etiam Otto Friſingenſis, & eò lectorem remittit: quæ eò libentius huc tranſcripſi, quod nec hodie deſint, qui vniuerſim hoc expeditionum genus reprehendant. At qui illi, niſi Sectarij? contra quos ſuo loco commodior dabitur dicendi locus.

Tantum tamen abeſt, vt hoc tam calamitoſo exitu S. Bernardus abſterritus fuerit, vt ſcripta ad Eugenium epiſtola etiam atq; etiam obſecrarit, ne ab inccœpto deſiſtat, ſed ſacrā militiam alacriter vrgere inſtet. *Etſi omnes ſcandalizati fuerint*, inquit, *ſed nō ego. Nec terrebitur damnis priorū exercitus, quibus magis reſarciendis operam dabit. Nunquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego verò pro tantis malis, tanquam Chriſtianus & fidelis, meliora ſpero, & omne gaudium exiſtimabo, quod in varias tentationes incidimus. Reuera panem doloris comedimus, & potati ſumus vino compunctionis. Quid diffidis amice ſponſi? quaſi non more ſuo vinum bonum ſeruauerit vſque adhuc benignus & ſapiens ſponſus? Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Et certè ſic operari, ſic iudicare ſuperna diuinitas ſolet: ſcienti loquor. Quando autem magna mortalibus prouenerunt, quæ non magna præuenerint mala?* S.Bern. ep. 256.

Ita S. Bernardus ad Eugenium, qui Conradum Imperat. in Occidentem regreſſum literis Apoſtolicis conſolatus eſt; vt & Ludouicum Regem. Priores exſtant apud Ottonem: poſteriorum meminit ſanctus Bernardus. Et quamuis diuina iudicia parum expendentibus expeditio iſta ſcandalo & offenſioni fuerit; non deterruit tamen magnanimos inuictosq; Francos, quo minus denuo, coacto apud Carnotum conuentu, de expeditione ſuſcipienda conſilia agitarent, delecto S. Bernardo, qui totius exercitus velut Moyſes quidam, aut S.Bern. ep. 256.

Aaron dux & moderator esset. Colligitur hoc ex citata S. Bernardi epistola, vbi hæc ad Eugenium Pontif. *De cætero verbum illud, quod iam, ni fallor, audistis, quomodo videlicet in Carnotensi conuentu (quonam iudicio satis miror) me quasi in ducem & principem militiæ elegerunt: certum sit vobis nec consilij mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) peruenire vsque illuc. Quis sum ego, vt disponam castrorum acies? vt egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum à professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset?*

Ne quis tamen existimet, Deum tempore huius expeditionis à Christianorum rebus planè fuisse auersum; alibi repensatum videtur; quod Imperatori & Regi fuerat negatum: nam, vt Robertus de Monte scribit, *eodem anno*, nimirum M C. X L V I I. *naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus, secundo Idus Aprilis de Tredemunde portu Angliæ cum ducentis ferè nauibus profectus I V. Kal. Iulij in vigilia Apostolorum Vlyssiponam applicuit, & eam post quatuor mensium obsidionem per multas cades & multam macerationem, Dei virtute & sua industria cepit: & cum de ipsis tantùm essent tredecim millia, hostium ducenta millia, & quingenti, superantes ingressi cum hymnis Ecclesiam dedicantes, Episcopum ibi & Clericos ordinauerunt.* Eadem Henricus Huntindoniensis & Rogerus in Annalibus: qui addunt, tunc quoque aliam ciuitatem Mauris ereptam, *quæ vocatur Almade:* & hoc ideo, quod isti, licet pauci, *nec potentes nulli alieni inniterentur, nisi Deo omnipotenti; & quia,* inquiunt, *humiliter profecti sunt, gratiam Dei meruerunt, & magnam probitatem ostenderunt.* Erat his proculdubio animus non modò pugnandi contra Sarracenos in Hispania, sed & contra illos in Palæstina. Isto enim fine ex patriis finibus egressi, altoque se credidisse videntur, excitati crebris illis trophæis, quæ Christiani iam in terra promissionis erexerant. Scribit Helmoldus in Chronico, exercitum sub Conrado Imper. Cruce signatum, propter nimiam multitudinem in tres partes diuisum, quorum vna destinata fuerit in orientem: altera in Hispaniam, tertia ad Sclauos. De mediis hæc ille verbatim. *Secundus naualis exercitus, Colonia & aliis ciuitatibus Rheni conflatus, præterea littore fluminis VVisera, nauigare cœperunt latissima Oceani spatia, quousque venirent in Britanniam. Vbi per aliquot dies resarcita classe, non modica etiam Anglorum & Britannorum adiecta manu, torserunt vela versus Hispaniam, applicueruntque ad Portugalensem nobilissimam Galatiæ vrbem adoraturi apud S. Iacobum. Rex ergo Galatiæ lætior effectus de aduentu peregrinorum, rogauit, vt si propter Deum pugnaturi existent, fierent sibi auxilio contra Lacebonam* (Vlysiponem) *& eius incolas, qui fines Christianos inquietabant, cuius petitioni fauentes abierunt Lacebonam cum magna nauium copia. Rex quoque terrestri accedens itinere validum adduxit exercitum, & obsessa est ciuitas*

Rob. append. ad Sigebert.

Helmol. lib. 1. Chron. cap. 60. & seqq.

terra

terra marique. Multum ergo temporis effluxit in obsidione ciuitatis: Ad vltimum capta ciuitate, pulsisq; Barbaris, Rex Galatiæ rogauit peregrinos, vt darent sibi ciuitatem vacuam, diuisa prius inter eos socialiter præda. Factáque est illic Christicolarum colonia, vsque in præsentem diem. Hoc solùm prosperè cessit de vniuerso opere, quod peregrinus patrauit exercitus. Hæc Helmoldus consentaneè aliis Historiographis. Domo igitur isti egressi fuerant animo opem ferendi Palæstinæ. Quo consilio longè iam antea, nempe sub Balduino primo, Dani & Noruegij cum instructa classe Palæstinam petierant, de quibus Tyrius; quorum ope expugnata est Sidon, imo & Tyrus; si Malmesburiensi credimus, qui ista. *Siuuardus Rex Noricorum* (Nortuegiorum) Tyrius ait fuisse fratrem Regis Nortuuegiæ, *primo aui processu fortissimis conferendus, incepto itinere Hierosolymitano, rogatáq; Regis pace in Anglia tota resedit hyeme, plurimo per Ecclesias auro expenso; mox vt Fauonius ad serenitatem pelagi vernales portas aperuit, naues repetiit, prouectusq; in altum, Baleares insulas, quæ Maiorica & Minorica dicuntur, armis territans, faciliores ad subigendum VVilhelmo de Monte Pislerio reliquit. Inde pertendit Hierosolymam, omnibus nauibus incolumis, præter vnam, &c. Hierosolymam veniens Tyrum & Sidonem, vrbes, quas mare allambit, ad Christianitatis gratiam obsedit, effregit, subegit. Mutato itinere Constantinopolim ingressus nauem aureis rostratam Draconibus fastigio sanctæ Sophiæ pro trophæo affixit.* Hæc Malmesburiensis; quæ commemorare volui, vt videas crucis amorem & venerationem, etiam ex intimis Septentrionis angulis, multos, eosque non infimæ sortis, Hierosolymam pertraxisse, per tot terrarum mariumque tractus.

Tyr. lib. 11. 14.
Malmesb. lib. 5.

Addamus & hoc, quod Otto litteris prodidit ex relatione Gabalensis Episcopi, Regem Æthiopiæ seu Abyssinorum, quem Presbyterum Ioannem appellant, parta de Persis insigni victoria, *ad auxilium Hierosolymitanæ Ecclesiæ procinctum mouisse, sed dum ad Tigrim venisset, ibíque nullo vehiculo exercitum traducere potuisset, ad septentrionalem plagam, vbi eundem fluuium hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu exspectaret, sed minimè hoc impediente aëris temperie obtineret, multos ex insueto cœlo de exercitu amittens ad propria redire compulsus est.* Hæc Otto ex narratione prædicti Episcopi, cuius fidem penes vtrumq; esse volumus.

Otto lib. 7. c. 33.



CAPVT XXI.

Breuis summa eorum, quæ in Regno Hierosolymitano gesta, vsq; ad captam à Saladino Vrbem.



Vide Tyr. li.19. cap.1.

Nicet. lib.5. de rebus Manuelis Imp.

BALDVINO tertio successit Amalricus frater, Anno Domini M C. L X I I I. Aliquot bella gessit; præsertim in Aegypto; Damiatam classe Manuelis Constantinopolitani Imper. adiutus obsedit; sed frustra. Culpam confert Nicetas Choniates in Amalricum, quem *Amerigum* nominat. At scriptores Latini culpam irriti laboris & sumptus in Græcis residere tradunt.

Tyr. lib.10.c.20.

Anno regni sui sexto, Saladini ingentibus copiis ad Gazā occurrit, cùm Rex vix equites ducentos & quinquaginta, peditum autem ad duo millia haberet: *Adfuit sibi cum Rege Dominus Patriarcha cum venerabili & precioso viuificæ Crucis ligno*: cuius potius quàm militum virtute Saladinus compulsus in Aegyptum reuertit.

Tyr. li.20.c.28.

Consimili ratione cum Noradinus secundæ Arabiæ Metropolim Petram obsideret, *principes, regionis, absente Rege, prudenter & strenuè regni robur collegerunt vniuersum, Domino Radulpho Episcopo Bethleemita Crucem Dominicam deportante.*

cap.29.

Rursus cum Saladinus Monti Regali obsidionem minaretur, *Rex aduentum eius præsentiens, exercitus suos collegerat, & assumpto sibi Domino Patriarcha, cum mirifico & venerabili Crucis ligno, circa Bersabee castra locauerat, vt de vicino aduenientibus hostibus commodius posset occurrere*; effecitq;, vt Saladinus nulla re memorabili patrata, eò, vnde venerat, rediret.

Mortuus est autem Amalricus anno salutis M. C L X X I I I. quinto Idus Iullij, anno regni duodecimo, Mense quinto, sepultus inter prędecessores suos ante locum Caluarię. Quo anno hæc habet in Annalib. Godefridus. *Ipso anno Henricus dux Saxonum Hierosolymā cum quingentis ferè militibus tetendit, felici prorsus vsus & honesta per terrā profectione & reditu. Nam in eundo nullas Turcarum passus est insidias, & à Rege Constantinopolitano honorificè susceptus & magnificè dimissus est.* In reditu verò quidam paganus Rex eū *honorificè suscipiens plura & magnifica dona obtulit, omnesq; captiuos Christianos qui sub regno eius exulabant, interuentu Ducis absoluit.* De hac Henrici Leonis Saxoniæ & Bauariæ decantatissimi Ducis peregrinatione in terram sanctam, deque splendido & numeroso eius comitatu fusè scribit Arnoldus Lubecensis lib.2. Chronici Sclauorum. Inter cætera hoc monumentum pietatis ei statuit: *Obtulit ad sanctum sepulchrum pecuniam multam, & Basilicam, in qua lignum Domini repositum est, ornauit musiuo opere, & ostia eiusdem Basilicæ vestiuit argento purissimo. Deputauit*

tauit etiam reditus annuos ad cereos comparãdos, iugiter ad sanctum sepulchrum arsuros.

Succeſsit Amalrico Balduinus quartus hoc nomine, filius Amalrici, vix annorũ tredecim, quando regnare ingreſſus eſt, ſub quo res Chriſtiana ob diſſenſiones Principũ noſtrorũ, & Saladini potentiam indies maioribus atq; maioribus incrementis augeſcentem, ſenſim collabi & ad interitum tendere cœpit. cuius ingruentis ruinę cauſſas reddit ſatis probabiles Tyrius. Affulſit tamen Eccleſiæ Hieroſolymitanæ interdum lux de cælo, qua Deus indicabat, ſi incolæ ad cor redirent; & viam patrum ſuorum inſiſterent, fore, vt ex cunctis periculis incolumes euaderent. Perſpicuè id declaratum eſt ad Aſcalonem, vbi Rex Balduinus cum paucisſimis ſuorum, *prauio viuifica Crucis ligno mirabili, quod Dominus Albertus Eremita Episcopus gestabat in manibus*, partim deleuit, partim in fugam vertit Saladini exercitum, in quo erant, teſte Tyrio, *viginti sex millia equitum expeditorum, ex ceptis iis, qui summariis* (ſagmariis) *insidebãt, & camelis, ex quibus erant octo millia egregiorum, reliqua verò decem & octo millia erant gregariorũ.* Qui omnes vel trucidati vel diſsipati ſunt, ita vt Saladinus vix centum equitibus ſtipatus in Aegyptum peruenerit. *De nostris autem*, inquit Tyrius, *in primo conflictu quatuor aut quinq; occubuerunt equites, pedites autem ad certum, quem nos ignoramus, numerum.* Tyr. lib. 21. c. 7.

Rogerus in Annalibus Anglicanis longè numeroſiorem facit Saladini exercitũ: ait enim fuiſſe pluſquã quingenta *millia militum & peditum.* Addit & hæc duo. I. *Visum esse paganis, quod militia cælestis exercitus quasi per scalam descenderet in similitudinem militum armatorum, & congressum cum illis faceret in adiutorium Christiannorum.* II. *Ad confusionem Paganorum, & Christianæ fidei confirmationem, visum esse Paganis quod summitas ligni Dominica Crucis, quod Episcopus Bethleemiticus portabat, cælum attingeret, & quod brachia illius totum amplexarentur orbem: Et inde territos fugisse, Christianos autem gloriosa potitos victoria cum gaudio reuersos in Hierusalem, & repleuisse terram spoliis interfectorum.*

Non longè poſt cum Saladinus Sidonis fines ingreſſus, omnia depopularetur, Rex, *assumpto sibi Dominica Crucis ligno*, hoſtibus intrepidè occurrit, primo congreſſu victor, deinceps ex incuria victus: mox tamen nonnihil ex clade reſpirauit; profligato Saladini exercitu, non ſine ſolito Crucis auxilio, *habebant enim secum Dominica Crucis lignum*, inquit Tyrius, quem etiam à Berythi obſidione abſcedere compulit: cumque Saladinus interea in Meſopotamiam abiiſſet, Rex fines Damaſcenorum deuaſtauit, *assumpto sibi viuifica Crucis ligno precioso, Domino quoq; patriarcha eos prosequente*. Mox eandem excurſionem in Damaſce- Tyr. lib. 21. c. 28.

nos repetit, iterum *assumpta secum Cruce Dominica*. Postquam Rex, morbo ingrauescente compulsus, Guidonem de Lizimaco seu Lisiniaco sororis suę maritum, regni procuratorem constituit, rursus aduersus Saladinum arma corripuerunt, *viuifica Crucis lignum, regiaq; vexilla secuti*. Deiecto Guidone, tanquam inepto, ab administratione, Balduinus, puer quinquennis, Regis ex sorore nepos Rex inungitur, anno Domini M C. LXXXIII. Obsidebat Saladinus vrbem Petracensem. Quem Rex, etsi æger & lepra obsitus, mortiq; proximus, *assumpto secum viuifica Crucis ligno salutari, & regni viribus ex omni parte congregatis obsidionem soluere coëgit.*

Tyr. li. 22. c. 26.

Tyr. lib. 22. c. 30.

Interea moritur vterq; Rex Balduinus; tam is, qui regnum, etsi elephãtiasi correptus, aliquot annis gubernarat; quam puer ille, qui nuper regio diademate insignitus fuerat; reditq; regnum fatali casu ad Guidonem de Lizimaco seu Lisiniaco Sibyllæ coniugem, qui regnum euertit, quam euersionem præsentientes non pauci, quibus mens perspicacior erat; occidentales Reges & principes adierunt opis postulandę gratia; & in his etiam Philippum Regem Francorum, vt scribit Rigordus his verbis. *Eodem anno*, nimirum M. C LXXXIV. *Decimo septimo Kalend. Februarij, Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus cum Priore Hospitalis transmarino, & Magistro Magno templi ad Christianissimum Francorum Regem missi Parisios venerunt. Instrauerant enim eo tempore Sarraceni cum magno exercitu terras Christianorum transmarinas, & multos ex ipsis interfecerant, plures etiam captiuos secum duxerant, vadum Iacob, videlicet quãdam fortissimam munitionem Christianorum ceperant, vbi multos ex fratribus Hospitalis & Templi militibus miserabiliter occiderant, aliosque captiuos secum traxerant. Hac de caussa omnes Christiani transmarini timentes, ne sumpta audacia Sarraceni sanctam ciuitatem Hierusalem caperent, & templum cum sepulchro Dominico polluendo profanarent, miserunt Patriarcham cum duobus Magistris prædictis in Franciam portantes claues ciuitatis Hierusalẽ, & sancti sepulchri Domini ad Christianissimum Regem Francorum Philippum, rogantes & humiliter deprecantes, quantum intuitu Dei, & amore Christianæ religionis terræ Hierosolymitanæ oppidò desolatè succursum præstare dignaretur, qui per multa maris pericula & frequentes incursus piratarum, & longo tractu terrarum, Magistro militiæ Templi interim in fata collapso, duo superstites, Domino ducente, Parisios venerunt, vbi cum solenni processione à venerabili Mauricio Episcopo Parisiensi, & Clero, & vniuerso totius ciuitatis populo receptus est quasi Angelus Domini. Sequenti die in Ecclesia B. Mariæ Missam celebrauit, & sermonem ad populum fecit. Quo audito Philippus Augustus Francorum Rex, omnibus aliis negotiis omissis, nuntiis citissimè occurrit, & in osculo pacis honorificè recepit, diligentissimè præpositis terræ suæ siue dispensatoribus præcipiens, quod vbicunque per terram irent, de redditibus*

tibus Regis sufficientes expensas illis ministrarent. Et cognita caussa, quare venerant, paterna pietate commotus, generale Concilium omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, & Principum terræ suæ Parisius conuocari præcepit. Celebrato autem cum illis communi Concilio, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus Ecclesiarum Prælatis regia auctoritate mandauit, quòd ipsi per frequentes prædicationes, & admonitiones populos sibi subditos admonerent, quatenus pro fide Christianorum defendenda contra inimicos Crucis Christi pugnaturi Hierosolymam peterent. Ipse etiam Philippus Rex tunc Regni Francorum gubernacula solus strenuè regebat, &c. Et ideo de consilio Principum strenuos milites cum magna multitudine peditum armatorum de propriis redditibus sumptus sufficientes, prout fama referente didicimus, ministrans, deuotè Hierusalem transmisit. Hæc Rigordus.

Venit eadem Legatio etiam ad Regem Angliæ Henricum; sed anno M.CLXXXV. vt scribit Rogerus, cuius sunt ista: *Eodem anno Balduinus Rex leprosus, Rex Ierusalem, & Templares & Hospitalares, miserunt ad Regem Angliæ, Heraclium sanctæ ciuitatis Ierusalem patriarcham, & summos Hospitalis, & templi Magistros, vnà cum vexillo regio, & clauibus sepulchri Domini, & turris David, & ciuitatis Ierusalem, postulantes ab eo celerem succursum, sicut ab hærede, & Domino terræ Ierusalem. Est enim sciendum, quod Fulco frater Gaufridi Comitis Andegauiæ, patris quoq; istius Henrici, fuit Rex Ierusalem, &c. Cùm autem prædictus Patriarcha, & Magister Hospitalis venirent in Angliam, Rex Angliæ occurrit eis in villa de Redinges, & eos cum gaudio suscepit, qui statim ad pedes Regis prouoluti, cum fletu magno, & singultu verba salutationis ex parte Regis & Principum, & vniuersæ plebis terræ Hierosolymitanæ proferebant, & exponentes caussam aduentus eorum, tradiderunt ei vexillum regium, & claues sepulchri Domini, & claues turris David, & ciuitatis Hierusalem ex parte Regis, & Principum terræ Hierosolymitanæ, & litteras Lucij Papæ*; quas Rogerus historiæ suæ inseruit; scriptas ad Henricum Regem; quibus Pontifex Regem monebat; vt absque mora periclitanti Hierosolymitano regno subueniret.

Neubrig. lib. 3. refert ad annũ Christi M. CLXXXIV.

Recitat eandẽ epist. Neubrig. lib. 3. cap. 12.

Subiungit Rogerus, *His auditis respondit Rex, rem benè processuram, volente Deo, & statuit eis terminum suæ responsionis primam Dominicam Quadragesimæ apud Londonias. Ad quam Dominicam Dominus Rex, & Patriarcha, & Episcopi, & Abbates, & Comites, & Barones Regni Angliæ, & VVilhelmus Rex Scotiæ, & David frater eius cum Comitibus, & Baronibus terræ suæ conuenerunt Londoniis, & habito inde cum deliberatione consilio, placuit vniuersis, quod Dominus Rex consuleret inde Dominum suum Philippum Regem Franciæ, & sic soluto concilio Dominus Rex dedit vniuersis hominibus suis tam Clericis, quàm laicis licentiam capiendi crucem. Vnde factum est, quod Baldevvinus Cantuariensis Archiepiscopus, & Ranulfus Iustitiarius Angliæ, & VValtherus Rothomagensis* Archie-

Archiepiscopus, & Hugo Dumelmẽsis Episcopus, & alij quàm plures Episcopi transmarini & cismarini: & ferè omnes comites, & Barones, & milites Angliæ, Normanniæ, & Aquitaniæ, & Britanniæ, & Andegauiæ, & Cenomanniæ, & Turoniæ crucem ceperunt.

Recenset deinde Rogerus mirificam historiam de pręgnante muliere & diabolo, quam legat, cui desiderium, in ipsis Rogerianis Annalibus. Addit; mulierem narrasse se ex cacodæmone *illo audisse; quod ex quo Iesus Christus spoliauit infernum, non erat tantus luctus, neq; dolor in inferno, quantus erat propter captionem* (assumptionem) *Crucis: sed dolor eius vertetur in gaudium, quia tanta erit Cruciatorum iniquitas & peccatum, quòd Dominus delebit eos de libro vitæ, & multi eorum relicta Crucis religione fient Crucis, & nominis Christi persecutores, quod depòst facto apparuit,* inquit Rogerus.

Deinde Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ habito colloquio de subuentione facienda terræ Hierosolymitanæ, promiserunt se illi bonum auxilium facturos tam in hominibus, quàm in pecunia. Sed hæc omnia præfatus Patriarcha paruipendebat. Sperabat enim quòd esset reducturus secum ad defensionẽ Hierosolymitanæ terræ præfatum Regem Angliæ, vel aliquem de filiis suis, vel aliquem alium virum magnæ auctoritatis, sed quia hoc esse non potuit, repatriaturus dolens, & confusus à curia recessit.

Porrò quid hinc consecutum sit, sic idem Rogerus narrat. *Eodem anno* (M.CLXXXV.) *paulò ante festum S. Petri ad Vincula, cùm prædictus Patriarcha Hierosolymam rediisset, & nihil auxilij ad defensionem terræ secum reportasset, timor magnus cecidit super inhabitatores terræ Hierosolymitanæ. Vnde factum est quòd quidam frater templi natione Anglicus, nomine Robertus de S. Albano, relicta lege Christiana, abiit ad Saladinum Regem Babyloniæ, & promisit ei se traditurum ciuitatem Hierusalem, & facta inde securitate Saladinus dedit ei neptem suam in vxorem, & tradidit ei exercitum magnum, & constituit eum Principem exercitus sui & ducem; qui statim profectus est cum exercitu suo vsq; ad planities S. Georgij, & ibi diuisit exercitum suum in tres turmas, quarum duas misit in regiones circumiacentes ad deuastandum eas, & deuastauerunt omnem terram à monte Regali vsq; Neapolim: & Ierichο, & ciuitas Sebasta, & aliæ ciuitates nonnullæ destructæ sunt. Prædictus autem Robertus cum tertia parte exercitus sui processit vsq; ad ciuitatem Hierusalem, & paucitas illa hominum, quæ in ciuitate erat, in Domino confidens, & per posternas egrediens, & lignum Crucis Dominicæ pro vexillo sibi præferẽs, in virtute Domini percussit aciem, in qua præfatus Robertus erat, & ipse in fugam conuersus terga dedit percutientibus, & Hierosolymitani secuti sunt eum, & exercitum eius in ore gladij, & multos ex illis interfecerunt; Robertus tamen vix euasit.* Hæc Rogerus.

Quod ad *Vadum Iacob* attinet, cuius Rigordus suprà in relatione sua meminit

meminit, erat id castrum ad Iordanis ripám recens à Balduino leproso ædificatum; & Templariis cõmissum, de quo Tyrius; Hoc funditus euertit Saladinus cæso præsidio, vt scribit idem Tyrius. Addit Neubrigensis. *Congregatus est exercitus Christianus apud Tiberiadem, vt obsidionem solueret, at non ea alacritate, qua solebat. Ibi optimates nostri de agendis tractantes, nequaquam sibi tutum esse censuerunt, absente* CRVCE DOMINICA, *cum numerosissimis hostibus congredi. Mittuntur Hierosolymam qui signum salutare exhibeant. At in ea mora, expugnata obsidio.* Tyr. lib. 21. c. 26. Tyr. cap. 30. Neubrig. lib. 3. cap. 11.

Quæ verò Rigordus & Rogerus scribunt de clauibus sepulchri Dominici, & ciuitatis sanctæ allatis, & vtriq; Regi oblatis; id veteri more, benedictionis caussa, factum noueris. In vita enim Caroli Magni à Pithœo publicata hæc produntur. *Eadem die Zacharias cum duobus Monachis, vno de monte Oliueti, altero de sancto Saba de Oriente reuersus Romã venit, quos Patriarcha ad Regem misit. Qui benedictionis caussa claues sepulchri Dominici ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis, & montis Oliueti cum vexillo detulerunt, quas Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum retinuit.*

Sic benedictionis gratia donari & offerri olim solebant claues S. Petri: quas misit S. Gregorius Anastasio Patriarchæ Antiocheno, itẽ Andreæ de Dibiria, & Ioanni Exconsuli Patritio, & Columbo Episcopo Numidiæ. Et Childeberto Francorum Regi, & Theotisto, & Theodoro Medico Constantinopolitano, & Leontio Exconsuli, & Secundino seruo Dei Incluso. Deniq; Sauinellæ, & aliis. Sed his omissis ad propositum redeamus. S. Greg. lib. 1. epist. 25. 29. 30. lib. 2. epist. 47. lib. 5. epist. 6. lib. 6. epist. 23. epist. 25. lib. 7. epist. 34. epist. 54. lib. 10. ep. 7.

Testatur Rogerus iã anno Domini M.CLXXXI. *Templares & Hospitalares* à Rege Angliæ Henrico, & Rege Frãciæ Philippo postulasse subsidiũ aduersus Saladinum, oblatis Alexãdri summi Põtificis litteris, quas Rogerus Annalibus suis intexuit: Etsi illæ nominatim nõ erant datæ ad Reges Angliæ & Galliæ, sed vniuersim ad omnes Principes Christiq; fideles, quibus illos ad opem terræ sanctæ ferendã grauissimè cohortatur; proposita etiam plenaria omniũ peccatorum indulgentia; concessisq; aliis priuilegiis & immunitatibus, quas suo loco diximus ab Vrbano, Eugenio, & aliis Põtificibus crucesignatis fuisse concessas. In eandem sententiam litteras dedit ad Ecclesiasticos Præsules, quas idem Rogerus describit. *Quibus auditis*, inquit Rogerus, *Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ plurimùm condolentes de aduersitate, & desolatione terræ Hierosolymitanæ, promiserunt, se, Domino auxiliante, celerem succursum facturos terræ illi.*

Sed dum cunctantur isti, minimè cunctandum sibi censuit Saladinus, qui mortuo Balduino leproso, & altero Balduino puero; regnoque ad Guidonem de Lisiniaco translato, impigrè operam dabat, *Mortuus est Balduinus puer anno M. CLXXXVI. teste Rogero.*

bat, vt nostros euerteret. Nec caruit successibus. *Nam mense Iulio quarto nonas eiusdē*, inquit Vitriacus, *anno Incarnationis Domini M. CLXXXVII. tradidit Dominus populum Christianorū, infinitis eorum peccatis exigentibus, in manus impiorum, adeò quod nostri subitò terga dantes inimicis, ferè omnes à maximo vsq; ad minimum trucidati sunt, vel captiuitate detenti. In tantum enim formidine & pusillanimitate humiliauit eos Dominus, quod vnus ex hostibus versa vice, centum persequebatur ex nostris, & quidam arma sua turpiter proiicientes in manus inimicorum seipsos gratis tradebant. Facta autem magna strage caesorum, Guido de Lisiniaco Rex Hierosolymorum, & Magister militia Templi cum multis aliis tam maioris, quàm minoris ordinis in captiuitate detenti abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis. Vt autem certis indiciis, & euidentibus signis Dominum sibi terribiliter offensum agnoscerent, & diuinae protectionis clypeum ab ipsis recessisse non dubitarent, lignum salutiferae Crucis, quod die illo tenebroso secum in praelio detulerant, lamentabili infortunio amiserunt.*

Vitriacus c.96. Hist. Orient.

Rogerus dicit, crucem sanctam fuisse captam à Thekedino nepote Saladini, interfecto Ruffino Episcopo Acconensi, qui eam portabat. Capiendae crucis praecesit pridie, non obscurum argumentum. *O res mirabilis*, exclamat Auctor, qui expeditionem Friderici litteris mandauit, *O terribile vicinae cladis praesagium. Ea nocte in tentorio Patriarchae, vbi erat sancta Crux, in Matutinali officio casualiter venit legenda de arca faederis à Philistaeis capta in praelio, & deducta. Vnde nimirum cunctorum audientium, & intelligentium corda metu subito percelluntur, quod iuxta illud poëticum: pessimus in dubiis augur timor.*

Saladinus victoria vsus è vestigio omnes Christianorum vrbes, pauculis exceptis, occupauit; Etiam Hierosolymam; *sanctā quoq; ciuitatem idem furoris diuini malleus adiit*; inquit Neubrigensis, *Patriarcham & populum metu languidum ad deditionem coëgit. Ciuitatem pompaticè ingressus, Ecclesias spoliatas profanauit; formam vexilli Dominici ludibrio habitum & fustigatum confregit: templum verò Domini, quod & ipsis Sarracenis semper venerabile fuerat, solenniter aqua rosea, tanquam Christianis sordibus expians, sacrilegis ritibus dicauit. Sepulchri verò Dominici aliquantulam reuerentiam habuit, quod omni quidem aureo vel argenteo ornatu sublato, Syros, illius terrae indigenas Christianos, custodire praecepit, &c.*

Fermè autem acciderat, vt Saladinus Hierosolymam absque pactis violenter occuparet; omnesque ciues trucidaret. *Nec silendum arbitror*, inquit Otto de S. Blasio in suo Chronico, *quòd obsessa Hierusalem paganis irruentibus, vna turrium, occisis plerisq; Christianis, imposito Saladini vexillo, capta est, vnde ciuibus orta desperatio, relicta murorum defensione, eadem die ciuitatem in ore gladij exterminandam penè dederat exitio. Quod videns quidam miles Teutonicus, ex desperatione sumens audaciam, quosdamq; circa se hortatus, impetu*

impetu magnanimiter in hostes facto, turrim vi obtinuit, occisisq; in ea paganis, vexillum Saladini truncata hasta deiiciens de eminentia turris in lutum proiecit, ciuibusq; fiduciam resistendi hoc facto conferens, ad defensionem murorum eos quàtocyus reduxit. Post quam, ciuitate per conditionem tradita, sepulchrum Domini à Paganis quæstus gratia in veneratione habetur.

Cæterùm quod Neubrigensis obscurius dicit, Saladinum captis Hierosolymis, *formam vexilli Dominici ludibrio habitam & fustigatam confregisse*, id clarius nobis explicat Rogerus his verbis: *Saladinus Crucem de Templo Domini deponi fecit. Et eam per duos dies per ciuitatem in ostentum fustigando portari fecit.* Vetus enim mos Christianis Crucem in turribus, maximè Ecclesiarum, figere; Sarracenis autem, aliisque improbis, refigere, vt allatis exemplis ostendimus in opere de S. Cruce: Quare cùm post captam Acconem, seu Ptolemaidem, Iunior Marchio Montisferrati *cum agmine virorum fortium*, vt Neubrigensis ait, Hierosolymam properaret, & nauibus propè ad Acconem delatus esset; ignarus planè miserandæ cladis, quæ paulò antea euenerat, ex alto pelago vrbem mutatam animaduertit. *Nam nec Christiana insignia, quæ mox abominatio hostilis abstulerat, ex templorū vel turrium fastigiis procul aspicientibus refulgebant, nec campanæ, vti mos fuerat, peregrinis portui appropinquantibus, concrepabant. Vnde intellexit vir prudens eandem ciuitatem incidisse in manus hostiles. Flexo ergo cursu Tyrum adiens ibidem applicuit.* Hæc Neubrig. Quæ verò sunt illa Christiana insignia in templorum vel turrium fastigiis coruscare solita? Quæ? nisi sacrosanctæ Cruces quas Sarraceni, eosque imitati Sectarij nostri diligenter decutiunt, pari odio aduersus Crucem Christi inflammati. Neubrig. lib. 3.

Hac tam miserabili clade in occidentis regionibus audita; Vrbanus III. Pontifex præ magnitudine doloris, è vita migrauit. Huius porrò tanti, & tam irreparabilis damni variæ redduntur caussæ à Vitriaco, Neubrigensi, & aliis; quas apud ipsos legat, quem lugubrium rerum plusquam tragica lectio delectat. *Huius miserabilis & famosi exterminij, caussam fuisse peccata plus solito inundantia, nemo debet ambigere*, inquit Neubrigensis. *Et quidem ab initio in omnibus quæ sub cœlo sunt regionibus patientius diuinitùs peccata dissimulasse noscitur, quàm in terra illa, quam vtiq; gratia tantorum, tamq; insignium operum diuinorum, quæ in ea mirabiliter patrata, vel patranda fuêre, quadam, vt ita dicam, priuilegiali necessitate, sanctam esse oportuit, aut non diu impunitam?* Occupata est autem Hierosolyma à Godefrido duce, exterminatis Sarracenis anno Christi M. XCIX. Vrbano II. Pontifice: amissa verò eiectis Christianis anno M. CLXXXVII. Vrbano III. Pontifice. Vitriac. Hist. Orient. cap. 69. & seq. & c. 94. Neubrig. lib. 3. cap. 14. Vide apud Rogerum epist. Terrici Praeceptoris Templi de captione terræ Hierosolymitanæ. Item Annales Godefridi Anno M. CLXXXVII.

Illud porrò Rigord. & Vincentij, fabellis accenseatur: *Nota*, in-

quit, *quod ab eodem anno Domini, quando Crux Dominica in transmarinis partibus à Saladino capta fuit, infantes, qui ab eo tempore nati sunt, non habent nisi viginti duos dentes, aut tantum viginti, cùm antea triginta, aut triginta duos habere consueuerint.*

CAPVT XXII.

Quarta eaq; generalis & publica, & quidem tripertita, Friderici I. Imperatoris; Philippi Regis Franciæ; & Richardi Regis Angliæ in Palæstinam Cruciata expeditio.



MISSA vrbe & potissima parte prouinciæ, Christiani statim Vrbanum Pontificem de tam funesta clade, scripta flebilibus modis epistola, vt & Imperatorem Fridericum monuerunt. Exstat epistola in Annalibus Godefridi: cui hæc subiungit: *Ex occasione tam luctuosæ legationis, & facti memorati, Papa Henricum Albanensem Episcopum Cardinalem misit ad partes Galliarum, & in omnem Transalpinam prouinciam, vnà cum Legato Hierosolymitano, inuitare & exhortari omnem virum strenuum, & electum ad subeũdam peregrinationem pro amore Christi, & ligni Dominici liberatione. Innumera ergo nobilium, & vulgarium turba crucem sibi affigunt.*

Sed mox ob doloris vehementiã Vrbano III. ex hac vita euocato successit Gregorius VIII. *qui venerabilis Pontifex*, inquit Neubrigensis, *tristi nuncio perculsus ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Christiani nominis iacturam inconsolabiliter deplorauit: aliquod tamen remedium adhibere, & tanto malo, ne latius serperet, pia prouisione occurrere satagens, hanc illicò in orbem Christianum direxit epistolam.* Describit deinceps Neubrigensis epistolam, plenam diuino spiritu, & Petri successore dignam, qua omnes Christianos ad assumptionem crucis terræq; sanctæ subsidium grauissimis obtestationibus cohortatur, propositis iisdem tam spiritualibus, quàm temporalibus præmiis, quæ iam olim Cruce signatis concedi solebant.

Eiusdem Greg. duas alias epist. recitat Rog. in Annal.

Hac epistola in orbem directa, ait Neubrigensis, *idem reuerendus Pontifex, piæ sollicitudinis instinctu Pisas contendit, Pisanos & Ianuenses iugi, & inueterata discordia dissidentes reconciliaturus, vel ferales illas inimicitias protensioribus saltem induciis suspensurus, vt sublatis, vel ad tempus sepositis studiis partium, vterq; populus, quorum & opes amplissimæ, & vires erant terra mariq; ingentes, in Christianæ expeditionis communiter accingerentur negotium. Cumq; per religiosam illius operam opus pasis procederet, iamq; arripiendi melioris propositi meditatione inueterata illæ ferocium populorum languescerent simultates, febre correptus, post dies paucissimos apud Pisas valedixit huic mundo.*

Gregorio succeßit Clemens, qui non segnior in hoc tam pio & necessario negotio. Hinc factum, vt præsules Ecclesiastici, & alij, quibus gloria Dei curæ erat, crucem vbique annunciarent; Fidelesque ad subsidium terræ sanctæ inflammarent. *Erat quidam Clericus*, inquit Rogerus, *dictus Magister Berterus Aurelianensis, qui ad crucem accipiendam multorum animos excitauit dicens:*

Iuxta Threnos Hieremiæ,
Verè Sion lugent viæ,
Quod solenni non sit die,
Qui sepulchrum visitet.
Vel casum resuscitet,
Huius prophetiæ.
Contra quod Propheta scribit,
Quod de Sion lex exibit.
Nunquam ibi lex peribit
Nec habebit vindicem
Vbi Christus calicem
Paßionis bibit,
Lignum Crucis,
Signum ducis
Sequitur exercitus.
Quod non ceßit,
Sed præceßit
In vi sancti Spiritus.
Ad portandum onus Tyri
Nunc deberent fortes viri
Suas vires experiri
Qui certant quotidie
Laudibus militiæ
Gratis insigniri.
Sed ad pugnam congressuris
Est athletis opus duris;
Non mollitis Epicuris.
Non enim qui pluribus
Cutem curant sumptibus
Emunt Deum precibus.
Lignum Crucis, &c. vt suprà.

Noui rursus Philistæi
Capta Cruce crucis rei
Receperunt arcam Dei,
Arcam noui fœderis,
Rem figuræ veteris
Post figuram rei.
Sed cùm constat quod sunt isti,
Præcursores Antichristi.
Quibus Christus vult resisti,
Quid, qui non restiterit,
Respondere poterit
In aduentu Christi?
Lignum Crucis, &c.

Crucis spretor Crucem premit,
Ex quo fides pressa gemit,
In vindictam qui non fremit,
Quanti fidem æstimat,
Tanti Crucem redimat
Si quem crux redemit.
Quibus minus est argenti,
Si fideles sunt inuenti
Pura fide sint contenti.
Satis est Dominicum
Corpus ad viaticum
Crucem sanctam defendenti
Lignum Crucis, &c.

Christus tradens se tortori
Mutuauit peccatori:
Si peccator non vis mori,
Propter pro te mortuum
Malè soluis mutuum
Tuo creatori.
Sanè potest indignari
Cui declinas inclinari

Dum in Crucis torculari | *Pro te factus hostia*
Tibi tendit brachia | *Nec vis amplexari.*
Lignum crucis signum ducis, &c.
Cùm attendas ad quid tendo, | *Crucem tollas & vouendo.*
Dicas illi, me commendo, | *Qui corpus & animam*
Expendit in victimam | *Pro me moriendo.*
Lignum Crucis, &c.

Hos rhythmos adscribere placuit, quia sensu & sententia grauissimi sunt & planè diuini. Et qui tales rident, illi eadem opera ridere potuerunt illorum, quibus Ecclesia magna omnium piorum approbatione & consolatione certis temporibus vtitur, præsertim in annua solennitate Corporis Christi. Verùm hæc obiter.

Sanè tristis ille rumor rerum in oriente malè gestarum, inquit Neubrigensis, *orbem peruagatus, omnium quidem Christianorum cordibus stuporem & horrorem inuexit, multorum autem id ipsum, tanquam præclara quadam exercendæ virtutis occasio, ad æmulandum animos erexit. Ex quibus Richardus Comes Pictauiensis, Regis Anglorum filius & successor futurus, nuntium fortè huiusmodi inclinato iam die accipiens absq; vlla deliberatione laudabile propositum toto mox pectore combibit, & summo, vt dicitur, mane, in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis characterem Dominicum solenniter accepit. Quo audito pater siluit vsque ad filij aduentum. Et cùm adesset post dies aliquot, me, inquit, inconsulto rem tam arduam aggredi debuisti? Pio tamen proposito tuo nequaquam aduersabor, sed ita illud persequar, vt à te egregiè compleatur. Erat autem tempus hyemale, & nullus adhuc magnorum principum signum Domini acceperat, sed omnes circa hæc ancipites fluctuabant, cùm tamen adhuc diuini timoris stimulos assiduè paterentur.*

Tandem verò Archiepiscopus Tyrius (est hic VVilhelmus, cuius de sacra militia exstat insignis commentarius, quem sæpe iam testem laudauimus) *à partibus veniens orientis, & duriora nuntians, tam præsentes, quàm etiam imminentes orientalis Ecclesiæ miserias, ita in auribus publicis deplorauit, vt duo magni Reges Francorum & Anglorum tractandi gratia quidnam facerent, terræ Hierosolymitanæ ab hostibus liberandæ in terrarum suarum confiniis cum Episcopis & procerum suorum frequentia conuenirent. Et quidem paulò antè hostiliter discordauerant, nec finierant inimicitias, sed induciis ad tempus suspenderant. Verùm in illo colloquio, dum religiosa intentione, non quæ sua, sed quæ Christi sunt, quærerent, nulla vel admodum languida pristini rancoris irrepsit memoria, sed omni propter Christum simultate & quæstione ita sopita, vt sepultā crederes, paribus votis & studiis, Christiano negotio intenderunt. Itaque in multo deuotionis feruore surgentes, signum Regis Regum, in eius mox militiam accingendi per manum memorati Archiepiscopi acceperunt, & non tantum sua, sed etiam seipsos eidem*

eidem clara militiæ deuouerũt. idq; accidit anno Domini MCLXXXVIII. 13. die Ianuarij in festo S.Hilarij.

Eadem fere Rigordus & Rogerus. qui addit, *eadem hora apparuisse supra Reges signum crucis in cælo.* Regũ vestigia secuti sunt *multi,* vt ait Rigordus, *Archiepiscopi, Episcopi & Comites, Duces & Barones,* inter quos potissimum eminebant Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, & Comes Campaniæ. *Et in eodem loco, in monumentũ huius facti, isti duo Reges,* teste Rigordo, *deuotè erexerunt crucem ligneam, fundantes ibi Ecclesiam, & inter se fœdus perpetuò percutientes, & vocantes ipsum locum sanctum agrum, eò quod ibi sacris crucibus sunt insigniti.* Decantat hæc eadem carmine Guillermus Brito carmine. Guiller. lib. 3. Philipp.

Intellectus hebet, ratio caligat, adhæret
Fauci lingua, manu calamus languente stupescit.
Voti non meminit mens carminis immemor, ori
Subtrahit assueti cor flebile neumatis ausum,
Dum nequit amisso lamenta negare sepulchro,
Quod nostris Dominus culpis offensus, eodem
Sicut ei placuit Idumæis tradidit anno,
Passus vt Ægypti Syriæq; Tyrannus & vrbem
Sanctam destrueret Saladinus, & ipsius ipsum
Sacratæ lignum crucis asportaret, & omnes
Christicolas perimens terram pessundaret omnem,
Quam Deus almifluo sacrauit sanguine nati,
Quando mori voluit pro mundi vita salute.
Compatiens igitur Rex miti corde Philippus
Damno communi malè quo loca sancta videbat
Tractari, cultumq; Dei decrescere, totis
Visceribus doluit, Domini se velle sepulchrum
Visere proponens, quantoque cor illius igne
Ferueat interius, signo notat exteriore.
Nec minus Anglorum zelo Rex motus eodem
Richardusq; Comes vexillo se crucis armant.
Exemplo quorum proceres Comitesq; Ducesq;
Ordoq; militiæ minor, Ecclesiæq; ministri,
Et multi de plebe viri non impare voto
Signo se signare crucis properanter auebant.
Par desiderium cunctos habet, vnica mens est,
Omnibus, vnus amor sanctæ succurrere terræ.

Eò autem cupidius crucem assumpsit Henricus Rex Angliæ, vt cædem Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, se vel iubente vel dissimulante, patratam expiaret. Quocirca in litteris, quibus à Legato Aposto-

Exstant in Annal. Rogeri fol. 303. in Henrico secundo.

postolico absolutus est, hæc inter cætera eidem Regi imposita fuerant: *Ab instanti festo Pentecostes vsque ad annum tantam dabitis pecuniam, vnde ad arbitrium Fratrum Templi ducenti milites valeant ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per spatium vnius anni teneri. Vos autem à sequenti Natalis Domini vsque ad triennium accipietis Crucem, proxima tunc æstate illuc in propria persona, ducente Domino, profecturi, nisi remanseritis per Dominum Papam, vel Catholicos successores eius.*

Dum hæc inter Galliæ & Angliæ Reges, & comitem Pictauiensem Richardum feliciter transacta & constituta essent; derepente, Dæmonis impulsu, nouum bellum inter Philippum Regem, & Richardum Comitem Pictauiæ exstitit, quæ Crucis negotio non exiguam moram attulit; nam *Richardus Comes Pictauiensis collecto exercitu, intrauit terram Comitis Tholosæ*, inquit Rigordus, *quam tenet à Rege Francorum, &c. Quo audito Comes Tholosæ Raimundus, misit nuntios suos ad Christianissimum Regem Philippum, significans ei omnia mala, quæ contra ius & fœdus quod percusserant, à comite Pictauiensi ei illata fuerant. Frangebat enim Comes Richardus pactionem, quæ facta fuerat, & per iusiurandum confirmata anno præcedenti inter Caluum montem & Gisortium, inter Philippum Regem Francorum, & Henricum Regem Angliæ, & ipsum Richardum, quæ talis erat, quòd terra eorum in eo statu remaneret, quando crucem assumpserunt, quousque peracto seruitio Domini vltra mare in terra sancta, vnusquisque ad propria cum gaudio remearet.* E vestigio igitur cum expeditis copiis aduolauit Philippus, suppetias laturus Raimundo; & tulit, Richardo ad pacem redintegrandam seruandamq; adacto: quod accidit anno Domini M. C. LXXXVIII. Rem his versibus complexus est Guillermus.

Neubrig. lib. 3. Rer. Angl. c. 24. confert culpam rupti fœderis, & crucis violata in Philippũ Regem & Frãcos.

Non tulit hoc inimicus homo, qui semper amaro
Felle tumens, pacis studet exturbare quietem.
Omni qui studio sanum corrumpere semen
Gestit, & in Domini zizania seminat agro.
Cuius ab instinctu lis orta repullulat inter
Richardum rursus Comitem, Regemq; Philippum.
Nempe ferox vrbem Tholosanam inuaserat illi,
Iniustum comitem Raimundum Marte lacessens, &c.

Dum igitur noua bella inter Reges Galliæ, & Angliæ, & Comitem Pictauiensem nascuntur & geruntur, expeditio in Palæstinam procrastinatur maximo Christianæ rei detrimento; vrgebat Henricum Patriarcha Antiochenus vt moras abrumperet; scripta lamentabili epistola; idem simili pacto fecit Terricus Magister Templi. Rescribens Henricus omnia pollicetur, sed interim Rex Henricus anno Domini M.C.LXXXIX. *in Octauis Apostolorum Petri & Pauli*, vt scribit Rigordus

Exst. apud Rogerum.

dus

dus, moritur *apud Chionium anno, ex quo signum Domini suscepit, secundo*, inquit Neubrigensis: Palæstina nunquam visa; Mox, vt canit Guillermus. Guill. lib. 4.

Lege patrum veteri Richardum, patre sepulto
Efficit Anglorum primogenitura Monarcham.

qui memor voti crucisque assumptę, seriò ad transmarinam peregrinationem animum adiecit cum Philippo Rege. Et quia volens ædificare turrim prius sedens computat, num sumptus idonei ad opus perficiendum suppetant; & si non suppetant, disquirit, vnde comparari queant, ideo & Reges expeditionem tam arduam aggressuri, diligenter curarũt, ne belli neruus pecunia in mediis cœptis deficeret. Hinc institutis nouis decimis, & aliis exactionibus, rei nummariæ ante omnia prospexerunt. Qua de re consulatur Rigordus, Rogerus, & Neubrigensis neque enim ad argumentum nostrum spectat.

Illud magis spectat; quod Rogerus & Neubrigensis scribunt: *statutum est etiam, vt nullus enormiter iuret, & quod nullus ad aleas vel decios ludat, & quod nullus vario vel griso, vel Sabellinis, vel Escarletis vtatur: & quod omnes tam Clerici, quàm Laici duobus ferculis sint contenti, & quod nullus aliquam mulierem secum in peregrinatione ducat, nisi lotricem peditem, de qua nulla suspicio habeatur, & quòd nullus habeat pãnos decisos vel laceratos.* Hæc & plura huius generis à Regibus salubriter decreta sunt in primo colloquio inter *Triam & Gisortium*, quando Philippus & Henricus cũ aliis principibus crucem assumpserunt: antequam rem sanctè constitutam Richardus comes intempestiuis armis turbaret: postea tamen in vtriusq; Regis regno, & separato conuentu hæc omnia à proceribus confirmata sunt.

Nam soluto cœtu, inquit Neubrig. *in quo Reges sumpto charactere Dominico, de assensu omnium, qui aderant Episcoporum atq; nobilium ita decreuerunt, illustris Rex Anglorum in proprium sub celeritate regnum transuectus, celebrem loco opportuno conuentum instituit, & ea, quæ in partibus placuerant Transmarinis* (in Gallia scilicet) *præsulum & procerum Angliæ fauore promptissimo roborauit. Tunc Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopi Dunelmensis, Noruuicensis, multiq; nobiles regni, regio accensi exemplo, signum sacrum solenniter susceperunt, &c. Nec non & multitudo copiosa Clericorum, & militum, Burgensium atq; rusticorum Regis & nobilium in cunctis Angliæ finibus sequi curauit exemplum, cùm in prouinciis eadem fierent Gallicanis.*

Philippus quoque Rex Parisios à colloquio illo regressus, *mense Martio, media Quadragesima*, inquit Rigordus, celebrauit generale Conciliũ, *conuocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus, in quo innumerabilis militum multitudo seu peditum sacratissima Cruce insigniti sunt. Et propter hanc instantẽ necessitatẽ (oppidò enim iter Hierosolymitanam*

tanum Rex affectabat) cum assensu Cleri & populi quasdam decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantùm anno decreuit; quæ dictæ sunt decima Saladini, quas in præsenti libro posuimus. At ego non pono; videat, cui lubet, apud Rigor.

Ne verò Germani huius tanti apparatus otiosi duntaxat spectatores essent, manauit & ad ipsos prædicatio Crucis Clemētis III. cura & studio. *Qui*, vt ait Otto de S. Blasio, *lamentabili de subuersione terræ transmarinæ accepto nuncio, omni Ecclesia ad placandum Deum indicta pœnitentia, legatos suos Cardinales Episcopos & Presbyteros, in omnes cismarinæ Ecclesiæ fines direxit, filiis Ecclesiæ matris confusionem paterno conquerens affectu, & vt matri vim patienti, memores vberum, quorum lacte primitiua Ecclesia in Hierusalem nutrita, de eis virili robore conualuit, subueniant, obtestatur; Cruceque acceptâ in remissionem peccatorum, Crucis seruos se gloriantes, Crucis ignominiam, quæ à paganis capta tenebatur, in laudem & gloriam vindicent Crucifixi, verbo prædicationis magnanimiter hortatur.*

Otto de S. Blas. in append. sua ad Otton. Frising.

Nec frustra. *nam anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXVIII. Fridericus Imperator generalem Curiam in media Quadragesima Moguntiæ celebrauit, ibiq; per totam Germaniam sedatis belli turbinibus, pace vndiq; reformata, Reipublicæ negotia tractauit. Ad quam Legati sedis Apostolicæ venientes, Imperatori desolationem transmarinæ Ecclesiæ scriptis & verbis ex persona Domini Apostolici ac totius Ecclesiæ conquesti, repræsentauerunt, patrociniumq; Romani Imperij per eius auxilium implorauerunt. Qui habita deliberatione ad subueniendum se obtulit, acceptaq; cum filio, Friderico scilicet Sueuorum Duce, peregrinationis Cruce in remissionem peccatorum, Crucis ignominiam se vindicaturum publicè denunciauit, & ad id negotium sui exemplo multos regni optimates cum multitudine diuersæ conditionis & ætatis accendit.*

Extat Tom. 5. Antiq. lect.

Auctor Anonymus qui expeditionem Friderici literis mandauit, ait, legatos Apostolicos primò venisse ad Imperatorem *apud ciuitatem Argentinam*; cœptumq; ibi negotium, felicius postea Moguntiæ consummatum esse. Argentinæ enim inter tot millia, vnicum duntaxat militem assumpsisse Crucis signaculum, ad Apostolicorum legatorum *prædicationem, licet gratiosa eloquij suauitate conditam*: nec audientium corda emolliri potuisse, donec tandem Henricus Argentinensis Episcopus vehementissima oratione comites & Barones plurimos, nec non & multa millia tam equitum, quàm peditum ita permouit, vt ad suscipiendum Crucis signaculum *cateruatim accurrerent*. Imperatorem verò de industria propositum suum accipiendæ Crucis dissumulasse, vt id postea Moguntiæ commodius exequi posset; quod & fecit cum filio suo Duce Sueuię, *de quo*, vt inquit Anonymus, *maximè gaudendum fuit omnibus peregrinis; nā postea, sicut facta ipsius testātur, celsitudo sanguinis & animi, sæpe, imò semper, per multa bellorum discrimina, & grauium*

grauium experientiam laborum, pro statu exercitus Christi, animositatem illius ad actus strenuos inuitauit. & ipse strenuitate sua sibi omnium fauorem adsciuit.

Cæterùm Cardinales & alij, quibus Crucis prædicandæ munus demandatum erat, *curia* seu conuentu Mogũtino *digressi*, inquit Otto, *verbo prædicationis per diuersas imperij partes instabant, multisq́; relinquere patrem & matrem, vxorem, & filios, & agros propter nomen Christi, & crucem tollere, ipsum sequi in expeditionem transmarinam, persuaserunt, & innumerabilem exercitum contraxerunt.*

Testatur Godefridus in Annalibus conuentum hunc Moguntinum ab Imperatore & filio eius Rege, *Curiam Iesu Christi ante fuisse intitulatam. Ad eandem Curiam Imperator interrogauit in propria persona, quid potissimum iudicaretur? An in continenti Crucem sumeret, an differret, quod post annum iturus erat? cumq; omnes acclamarent, ne differret, Crucem ab Herbipolẽsi Episcopo Godefrido suscepit, cum summo tripudio & laudibus ac præ gaudio, fletu cunctorum.* Est & illud obseruatione dignum: *Episcopus Traiectensis*, inquit Godefridus. *& Comes de Geldre, & multi alij, quos discordes antea nemo potuit in concordiam reducere: nullo nisi spiritu Dei mediante, ibidem inter se reconciliantur, & plurimi læti ex eis Crucem sumunt.*

Quia verò tam arduum negotium moram & inducias ad præparamenta itineris composcebat, inquit Anonymus, *de consilio principum seorsim habito, visum est Imperatori, vt proposita expeditio à solẽnitate instantis Paschæ in annum protelaretur, & in festo S. Georgij* (sequentis anni) *omnes simul apud Ratisbonam in itinere conuenirent.* Misit etiam legationem ad Saladinum, cum quo ei prius amicitia intercedebat, bellumq́; denũciauit scripta epistola, *nisi sanctam crucem in prælio Christianis ablatam redderet cum terra Hierosolymitana, quam suæ subiugauerat ditioni.* Obiit legationem ad Saladinum Henricus de Diech. Exstat epistola Friderici Imper. ad Saladinum in Annalibus Rogeri, si tamen non ab ipso Rogero confictа est. Misit insuper legationem ad Belam Regem Vngariæ, ad Isaacum Imp. Constantinop. & ad Soldanum Iconij, pro trãsitu & mercatu, de quo plura Auctor Anonymus iam aliquoties laudatus.

CAPVT XXIII.

Quando Imperator Fridericus cum copiis suis iter Hierosolymitanum inierit, & quo successu.



ICEBAT Saluator, *Primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.* Id adeo in hoc itidem negotio vsuuenit. Nam Rex Franciæ Philippus, & Rex Angliæ Richardus; qui in assumptione Crucis primi fuerant; nouissimi fuerunt in executione eius, quod per crucem vouerant, proper mutua & domestica dissidia.

Fridericus autem Imperator, & Fridericus Dux, qui nouissimi fuerant in assumptione Crucis, facti sunt primi in eo implendo, cuius gratia Crucis signaculum acceperant. *Fridericus enim Imperator Romanus tantæ vecordia*(Regis vtriusq;)*iure succensens*, inquit Neubrigensis, *eosdem non exspectandos censuit, sed filio seniori, quem Regem Longobardorum constituerat, Imperij cura commissa, cum filio Sueuorum duce per Pannonias Thraciasq; iter facturus, tempore congruo peregrinationem arripuit, ducens secum maximas atq; fortissimas Germanicarum gentium copias.* Anno Domini MC.LXXXIX. quod tempus indicant isti versiculi apud Ottonem de S.Blasio.

Annis vndenis demptis de mille ducenis
Christus, vt est natus, transit mare Rex Fridericus.

Ante natale Domini, inquit Godefridus, *Imperator scripsit duobus Comitibus, & cunctis principibus per imperium, qui signati erant, vt se exspectent, in eundo, iuramento paratus confirmare, si non crederetur, se vltra diem S.Georgij non moraturum, imò ea die apud Ratisbonam venturum, & quicunq; cruciati sint, ad hoc iter expediti eò occurrant, inde secum migraturi contra Saladinum. Ab hoc Natali Domini vsq; in mediam Quadragesimam, vt arena maris atq; cæli sidera, incomputabiles signatorum catervæ euntium & equitantium, omnes stratas regias & per ascensum Rheni loca omnia repleuerunt.*

Otto de S.Blasio. Pentecosten celebrauit Imperator Presburgi. Qua solennitate peracta, iter resumpsit, *ac multis muneribus à Rege Vngariæ liberaliter honoratus, datis etiam exercitui victualibus in copia farinæ, vini, carniumq;, in Bulgariam copias transposuit, ibíque negata sibi ab incolis regia via, eam vi obtinuit: occisáque multitudine resistentium, multos ex eis captos, ex vtraque parte viæ ramis arborum illaqueatos suspendit, séque per hoc non in pera & baculo, sed in lancea & gladio sepulchrum Domini visitare ostendit, sicq; transita Bulgaria Græciam applicuit. Græci itaque Bulgaris inhumaniores, subtractu exercitui omni humanitatis necessitate, simulq; rerum venalium commeatu, iussu Imperatoris Constantinopolitani milites sancti sepulchri necessariis defraudauerunt, seq; in munitiones congestis rebus omnibus vndique receperunt.*

Nimirum Isaacus Imp. Constantinop. degenerare noluit à maioribus suis Alexio & Manuele Comneno, qui infinitis iniuriis Cruce signatos affecerant. Sed Fridericus, & Principes fraudibus & imposturis Argolicis egregiè obuîam ierunt; vt cùm ex aliis scriptoribus, tum præ cæteris ex Tagenone, & ex Anonymo Auctore nuper euulgato cupidus lector facilè cognoscet. Nec dissimulat Nicetas Choniates iniurias ab Isaaco Copiis Friderici Imp irrogatas; inuictumq; Friderici animum, quibus omnes Græcorum technas & sutelas peruicit, maxima sui existimatione apud omnes tam Græcos, quàm Saracenos excitata; vt quocunque signa ferret, eò victoria simul, tanquam inseparabilis comes, iret.

Traiecto

Traiecto Hellespontо.tam Græcos quàm Turcas ex insidiis crebrò in cruce signatos impressionem facientes,& extrema agmina infestantes,aut etiam aperto Marte, congredientes , prosperè semper profligarunt & prostrauerunt, nō sine cœlitum adminiculo,qui aliquoties non modò à Christianis , sed & à Turcis propugnare pro Christianis visi.

Exstat ad finem Radeuici,Canonici Frisingensis, epistola incerti Auctoris, qui tamen expeditioni huic præsens interfuit, & omnia oculis vsurpauit; in qua de pugna ad Iconium hæc leguntur. *Post sanctum diem Pentecostes, inuenimus Melich magni Soldani filium, & acies contra nos dispositas, & Turcorum multitudinem circa quadringenta millia equitum, qui totam,vt locustæ,repleuerant terram,contra quos victrices aquilas in nomine Christi à fronte ereximus,nec famem, nec vulneratorum defectum sentientes. Et cum vix sexcēti equites essemus, sub signo viuificæ Crucis eos vicimus, & conuertimus in fugā,vbi Melich filius Soldani ab equo deiectus est,& quatuor nominatissimi eius principes occisi sunt, & alij quàm plurimi. Ibi etiam quiddam accidit dignum memoria: Sanctus Georgius eadem die sicut & prius, quasdam acies nostras à Ludouico de Helffenstein præcedere visus est,impendens auxilium exercitui nostro. Ipse enim Ludouicus sub iureiurando publicè confessus est, & sub religione suæ peregrinationis coram Domino Imperatore & exercitu. Sed & ipsi Turci postmodum nobis retulerunt, se quasdam acies vidisse candidis amictas vestibus,& equis albis.*

Eadem Auctor Anonymus, cuius testimonium iam sæpius laudauimus; qui addit,Ludouicum istum *sub attestatione suæ peregrinationis & sancti sepulchri*, ita rem sese habere confirmasse, *& candentis ferri iudicio se paratum exhibuisse ad pleniorem super hoc fidem, & certitudinem faciendam.* Tageno dicit, Episcopos excitasse populum *ad implorandum Deum,& S.Georgium,qui cum S.Victore visus est aliquoties cum agminibus Angelorum nos comitari & adiuuari.* Episcopus Herbipolensis in sua ad exercitum exhortatione:*Confortamini ergo orantes beatum Georgium,vt ipsius interuentu labores nostros respiciat.* *Ead. Godef. in Annalibus.*

Testatur idem Tageno Decanus Passauiensis,qui interfuit,*cuidam religioso laico apparuisse Angelum, hasta prosternentem Turcos*, tunc videlicet cùm *filij Soldani,collectis trecentis millibus equitum*, exercitui Imperatoris occurrerunt. Tanta autem pietate colebatur à Christiano exercitu S.Georgius, vt cùm res totius exercitus Christiani iam propemodū essent deploratæ ac depositæ,Imperator, publicè *votum vouerit Domino, se fundaturum Basilicam ad titulum beati Georgij, si per eius auxilium sibi cōcederetur euincere necessitatem imminentem.* Nec vnus vel alter cælitum duntaxat visus,sed integra acies,etiam à Turcis. Hinc *vir quidam ma-*

gnus in exercitu Melich, teste Anonymo, suadebat Melichio, ne cum nostris confligeret, tum alias ob causas, tum propter *terribilem Candidatorum aciem*, quam ipse inter copias nostras conspiciebat.

In epistola ad Radeuicum adiuncta, quam scripsit, qui omnia coram spectauit; legimus, Christianum exercitum magna Turcorum multitudine ad Mandram, seu Mæādrum fluuium infestatum. *Sed Deo auctore & duce*, inquit Auctor, *sub sancta Crucis vexillo, in ore gladij eos vicimus, magna eorum facta strage.*

Illud etiam memorabile, quod apud Tagenonem proditum est. *Nonis Maij Turci existimantes nostros omnes inedia extabuisse, horâ vespertinâ castra nostra fundis, iaculis, lanceis potenter inuaserunt, sed exercitus viuifica Crucis incursitationibus Turcorum viriliter occurrit, ita vt duo nostratium fugarent decem millia hostium; auctoribus Duce Sueuiæ, & Duce Merania ex Bauaria de castro Andecbs. Sex ferè millia Turcorum interfecta sunt, &c.* Muniebant autem se, periculoso & dubio prælio imminente, corporis Dominici sumptione. Anonymus. *Mane facto, celebratis Missarum solemniis, singuli acceperunt Viaticum.* Tageno. *Audita sacra Missa, communione accepta, pedetentim processimus.*

Nec silentio inuoluenda insignis quorundam, qui in itinere deficiebant, pietas, de qua hæc Anonymus, postquam commemorasset, nonnullos impatientia laboris, & molestiarum euictos ad hostes cōfugisse: *Sed melius temporalis necis supplicio libertatem sibi perpetuam acquirebant, qui fame, siue corporis imbecillitate fessi, nec iam vlterius valentes procedere, res suas diuidebant cæteris ad bella fortioribus, vt stando pro fide fortiter dimicarent. Mox in formam* CRVCIS *solo prostrati sic seipsos Martyrio transeunti exercitui exponebant.* Adeò ipso corporis habitu & situ sub extremam horam sese Crucis Milites profitebantur.

Cuius Crucis mentio etiam in ipso ardore prælij pugnantibus, *ne* fugam respectarent, retinaculum erat; aut si iam fugissent, incitamentum ad reditum. Quare cum ad Iconium nonnulli ex nostris terga darent; Fridericus, Dux Sueuiæ, filius Imperatoris; *O viri strenui*, exclamabat, *quorum animositas & virtus per multa bellorum discrimina huc vsque satis enituit, vt quid modò ad ignominiam sanctæ Crucis, & vestræ peregrinationis velut degeneres & trepidi, &c. fugitis in interitum, &c. Eia milites egregij, redite ocyus ad pugnam, & vestram incitet audaciam illius diei memoria, qua salutiferæ Crucis signaculum accepistis.*

Nicet. lib. 2. de Imp. Isaaci Angeli. Lubet inserere, quod Nicetas in Annalibus suis prodidit. *In hac expeditione (*Friderici Imp.*) ferunt Alemannum quendam corpore ingenti & robore inuicto præditum, populares suos longo interuallo secutum, pedetentim incessisse, equum trahentem ex itinere fatigatum. Ismaëlitas verò circiter quinquaginta*

ta, viros fortissimos, suis stationibus euagatos, illum vndique sagittis petiisse. Caeterum eum lato scuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem perrexisse, nihilomagis Barbarorum telis commotum, quàm si rupes esset. Vnum autem caeteris iactantiorem, abiecto inutili arcu, longum ensem strinxisse, & concitato equo cominus illum, vt promontorium, aut aeream columnam, gladio percussisse. Alemannum verò gladio, qui heroicam dextram deceret, ambos anteriores pedes hostilis equi, tanquam foenum amputasse, qui cùm in genua prolapsus, nihilominus sessorẽ in sella sustineret, ensem in mediũ Persae caput ita impegisse, vt equite in duas partes disfecto, etiam iumenti tergum, sella quoque dissecta, vulneraret; eoque spectaculo Persas attonitos non amplius esse ausos vnum eum lacessere, qui nihil accelerato itinere pedetentim vesperi in castra suorum peruenerit. Haec & plura huius generis in laudem Germanicae fortitudinis Nicetas vel inuitus; qui & ipse relicta Philippopoli fugit cum suis Graecis *à facie* Friderici Imperatoris, & Alamannici roboris; & vt posteris hoc constaret, annalibus suis id illigatum voluit.

Non dubito tamẽ, quin calumnia sit; quod praeterea de Alamannis & Armenis in huncmodum scribit. *Philippopolim ingressus* (Fridericus Imp.) *vrbem plerisque, iisque nobilissimis ciuibus, vacuam reperit. Nam si quis ibi manserat, is aut ita pauper erat, vt eius opes in vestibus, quibus tegebatur, consisterent, aut erat ex Armeniorum numero. Hi enim vni omnium transitum Alemannorum, non hostium incursionem, sed amicorum aduentum iudicabant, nam & commercia inter se agitant, & in plerisque religionis dogmatibus consentiunt. Quippe apud Alemannos & Armenios sacrarum imaginum adoratio aequè interdicta est, & azymis in sacris vtrique vtuntur, & alia quaedam orthodoxis Christianis improbata, opinionis errore pro legitimis obseruant.* Hoc mendaciter à Niceta de Alamannis, & Armenis scriptum; quod attinet ad ista capita, aio. Vbi enim vllum vestigium in Alemannia huius erroris de non colendis imaginibus tempore Friderici Imperatoris, hoc est, anno Christi M. C L X X X I X? Quis scriptorum qui vel tunc, vel paulò pòst vixit, huius rei vllam mentionem facit?

Certum itidem est, quando Fridericus in Palaestinam proficiscebatur, iam sublato schismate, omnes Germanos communioni Apostolicae sedis restitutos fuisse; Et tempore etiam schismatis non propter imagines, sed ob alia seiunxerat se magna pars Germaniae à cathedra Petri. Nec est vllo modo verisimile, Pontificem Rǒmanum recepturum fuisse Fridericum, & Germanos in gratiam; si hoc tam detestabili errore fuissent infecti. Nec de Armenis proditum noui, eos imaginum venerationem auersatos esse; loquor de Armenis in communi; non de hoc aut illo fanatico; cuius errores toti nationi adscribi non debent, vt facit Nicetas, qui Alemannos, & Armenos vniuersim

ſim huius tam perniciosi dogmatis insimulat. Sed de hac Nicetæ criminatione iam alibi copiosius egi. Nihil non fingit odium præsertim inexſaturabile; quale erat Græcorum, atque adcò Nicetæ in Latinos & Alemannos, etiam ob hoc ipsum CRVCIS negotium, quod Græci tantoperè oderant, vt Isaacus Angelus, cuius res gestas describit Nicetas, interdixerit, teste Rogero, *ne aliquis in tota terra sua Crucem caperet. Et si casu aliquo aliquis de terra sua crucem suscepisset, statim capiebatur, & in carcerem mittebatur.*

Admodum mihi probatur, quod doctissimus Genebrardus in Chronologia his verbis occasione Græcorũ varia de Armenis spargentium scripsit. *Illo artificio Græci sæpius vsi sunt in Christianos Orientales, vt quos cernerent in sedem Apostolicam propensos, hæreseos infamia traducerent, vel etiam, quia præ se alios solent contemnere. Hinc eos suspectos habeo, quotiescunque de Syris, Maronitis, Æthiopibus, Persis, Indis, Georgianis, Ægyptiis scribunt, eos vel Iacobitas, vel Nestorianos appellantes; nam qui versus eos peregrinantur, Catholicos offendũt, nec nisi quibusdam ritibus & cæremoniis à nobis differentes vident;* Vel certè, si errant, non errant illos errores, quibus Græci eos teneri aiunt; aut errores non sunt, vt quod rem diuinam in Azymis faciunt.

Sed reuertamur ad exercitum Crucesignatum: qui ab Iconio digressus paulò pòst Armeniæ fines attigit. *cùm exercitus noster castra mouisset à Laranda,* inquit Tageno, *ad quandam villam Armeniorum venimus, vbi in Campis Cruces fixas vidimus, ingens gaudium oritur, diu enim nihil, quod ad decorem Christianæ religionis pertineret, videramus aut audieramus. Ab Armeniis honorificè susceptus Imperator,* inquit Nicetas, *& dies complures ibi cõmoratus, Antiochiam ire in animo habuit, augescente in dies eius gloria, & nomine illustrato, tum ob prudentiam, tum propter inuictum exercitum, nullo hoste occurrente. Cùm autem ad fluuium quendam peruenisset, (ô insperatos & inopinatos casus, vel potius inexplorata hominibus Dei iudicia) vorticibus aquarum suffocatur, vir honesta & perpetua memoria dignus.* (Panegyristen enim Friderici, & Alemannorum Nicetas agit, coactus, opinor, à Deo, vt olim Balaam) *& iudicio prudentum, vel in tali obitu felix: non eo tantùm, quod nobili ortus genere, auitum imperium in multas gentes obtinuit: sed ob illud potius, quod vltra omnes omnium gẽtium Christianorum Principes Christi desiderio flagrans, patria, deliciis regiis, tranquillitate, beata domi superbaque cum charissimis vita despectis, cum Christianis Palæstinæ incolis ærumnas tolerare maluit, & propter Christi nomen, & vitalis sepulchri venerationem exteras terras patriæ prætulit, ab eo instituto non tot parasangis, non tam longinquo, & vbique difficili itinere, non periculis, quæ à gentibus, per quarum prouincias transeundum erat, imminebant, absterritus. Non aquæ penuria, non præscriptus, isque empticius panis, &*

alicubi

alicubi insidiosus, eum ab instituto dimouit. Non liberorum amplexus cum lacrymis, & extrema salutationes animum eius commouerunt aut effœminarunt; sed potius instar Apostoli Pauli, vitam parui æstimans abiit, non modò vt vinciretur, sed etiam vt pro Christi nomine moreretur. Adeò Apostolicus fuit illius viri feruor, & religiosum institutum, nihil eorum sanctimonia inferius, qui extra communem sortem positi, tota contentione animorum ad vitæ rationem Euangelicæ celsitudini respondentem, feruntur, & totius ætatis cursu eo directo res humanas, tanquam stercora despexerunt. Ac is quidem, vt mihi persuasum est, feliciter est defunctus. Hoc elogium ab hoste Latinæ, & Alemannicæ gloriæ profectum; & hinc eò verius, hoc loco Heroi præstantissimo ponere libuit.

Nec dissimulare possum Hæretici illius impudentiam, qui non ita pridem Nicetam Græcolatinum ex VVolphiana interpretatione euulgauit, notisque marginalibus conspurcauit. Nam prædicto Imperatoris encomio has ad libri oram criminationes, partim in Imperatorem, partim in Pontifices Romanos alleuit. *Vicit iter durum pietas, sed non satis oculata.* Qua de caussa? An quia non erat Caluiniana? Audiamus. *Dum enim Imperatores Germani de Palæstina inuadenda, Pontificum suasu & iussu, cogitant, Imperatoria Maiestate ab iisdem Pontificibus sunt spoliati:* Macte hac impudentia Caluinista. Tres Imperatores Palæstinam petierunt, Conradus, Fridericus I. Fridericus II. cedo, quis eorum *Imperatoria Maiestate* à Pontificibus spoliatus est, dum in Palæstinam abiit? Sed valeat hoc caput effrons.

Nos ad propositum regrediamur. *Fertur à quibusdam*, inquit Otto de S. Blasio, Imperator *in Cidno amne* submersus, *in quo & Alexander Magnus simili quidem modo, sed non morte, periclitatus est. Obiit autem anno Regni XXXVIII. Imperij autem XXXV. Incarnationis Dominicæ M. CXCI. cuius morte totus Christianorum exercitus irremediabiliter sauciatus, planctu intolerabili, Augustum, si vixisset, omni orienti metuendum, luxit; sepultisque intestinis eius cum carne reliqua apud Tarsum, ossa Antiochiam translata cultu regio officiosissimè reconduntur. Igitur Fridericus Sueuiæ Dux filius eius, nobilis hæres, thesauris paternis exercitui liberaliter erogatis, militiæ Christianæ decus & spes vnica, exercitum mœrore confectum consolatus, recreauit: eductoque de hoc fatali, & inuiso loco milite, Antiochiam peruenit, vbi statim pestilentia, defectio capite in morte Augusti, per totum corpus grassatur, &c. Itaque cœlesti censura inopinabiliter tali exercitu penè defluxo, Fridericus Dux, reliquiis assumptis, Christianis in obsidione Accaron desudantibus associatur, ab eisque gloriosè suscipitur, vbi modico manens tempore, febre corripitur, immaturaque morte raptus, cum maximo planctu ibidem sepelitur. Sicque nobilis illa, & inclyta virtus Imperatoria, spes totius Ecclesiæ, in patre & filio, ad nihilum deuenit, tanquam aqua decurrens. Vt benè lamentatio Hieremiæ huic calamitati possit aptari, vbi in Threnis filios Sion (nam & hi*

Rogerus Socar hunc fluuium Salef, alij alio ter.

Thren. 4.

filij Sion, vtpote peregrini sepulchri Domini) deflet, ita dicens; filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Hi si vixissent, cum tali exercitus apparatu, tanta prudentia, tantaq; fortitudine instructi in vnum corpus cum Accaronica militia coacti, quæ gens, quæ regio, quis Regum fortissimus, imò quæ multorum Regum virtus in omni oriente, Italiæ potentiam, Franciæ alacritatem, bellandiq; scientiam, & quod his omnibus supereminet, Germaniæ animositatem & fortitudinem, indomitumq; regni caput sustinere posset? Sed non est consilium, neq; virtus præter Dominum. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerũt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Ergò tu exurgens Domine misereberis Sion, quando, & quomodo, & per quos volueris, cùm venerit tempus miserendi eius. Quia si humana virtute liberari meruisset, te permittente, Fridericus huius victoriæ titulum obtinuisset. Itaq; quoniam si voluisses, sacrificium sanguinis sui in honorem sancti sepulchri, & sanctæ Crucis tuæ dedisset: vtinam holocausto peregrinæ mortis suæ delecteris, animamq; eius spiritibus beatorum in cælesti Hierusalem sociare digneris. Hæc Otto. qui & sequentia.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C X C. Clemens Papa obiit, eiq; Cælestinus in ordine C L X X V. successit.

Eodem anno Leopaldus, Dux Orientalis (Austriæ) *& exercitus Coloniensis, multiq; de inferioribus partibus Rheni, Cruce peregrinationis accepta, à Brundusio mare transuecti Accaron applicuerunt.* Agit & Godefridus in Annalibus, hoc ipso tempore de classe quadam cruce signatorum sexaginta nauium, *virorum pugnatorum ad decem millia & amplius; quæ in terram S. Iacobi, hoc est, in Galliciam, delata sit.* Eo etiam anno, quo Fridericus Imperator in viam se dedit, *Iacobus de Auenis vir fortis & nobilis*, inquit Neubrigensis, *cum aliis plurimis, nec non & ex aliis regnis Christianis armata manus non modica, Imperatore Latino propter Græci Imperatoris perfidiam per subditas illi regiones morosè transeunt, liquidi itineris compendio Tyrum venerunt. Nam ea vrbs,* vt ait Nicetas, *receptus Christianorũ, & quasi belli arx erat contra Sarracenos.*

Neubrig. lib. 4. cap. 13.

Cæterùm antequam hinc abimus, operę pretium duxi adscribere iudicium Gulielmi Neubrigensis, plenum iudicij de lugubri Friderici Imperatoris casu. *O abyssus multa iudiciorũ Dei, vir tantus, & qui diuino quodã feruore relictis deliciis opibusq; imperij, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subito miseroq; casu absumitur. Peccatum tamen eius tantum & tale elucet, quod fortè in Imperialibus non potuerit deliciis expiari, atq; ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pro diuinitatis prouisione in hac vita seuerius castigari. Siquidem nefarij schismatis sub venerabili Papa Alexandro principalis fautor extiterat, & pacis ecclesiasticæ per imperialem potentiã, multo tempore perturbator. Tandem verò perspicuè dans palmam veritati, minus tamen in deli-*

deliciis palatij piaculare malū defleuerat. Porrò ne propter hoc grauia post mortem supplicia lueret, sed potius tam grande malum momentaneæ mortis casus acerbus perfectè dilueret: illa insigni deuotione qua propter Christum relicto imperio tantis se immersit periculis, actum credo. Hæc Neubrigensis.

Nec silentio inuoluenda est eiusdem inuicti Imperatoris animi magnitudo, qui nunquam adduci potuit, vt vel fœdera iniret, vel responsa daret, Cæsarea Maiestate, aut Christianitate indigna. Quare cùm Imperator Constantinop. ei nescio quas indignitate plenas cōditiones proponeret, respondet ipse: *Eam ego in Christo, & in fratribus meis, qui pro eius crucis liberatione mihi adhærent, fiduciam habeo, quod eiusmodi compositionem cum eo facere nobis opus non erit.* Sic cum Soldani Iconiensis legati ab illo peterent trecenta auri centenaria, si pacem impetrare vellet, hoc responsum tulerunt; vt est apud Anonymum: *Non esse sui moris velle redigi sub alicuius tributum; nec dignum videbatur viam peregrinorū Christi apud aliquem precio debere conduci.* Memoriabile autem arbitror, quod Godefridus testatur, *Signatorum*, qui hac expeditione *nauigio ierant, cum in vnum trans mare conuenissent, fuisse centum millia, & mille.* *Godefrid. in Annal.*

CAPVT XXIV.

Quando Rex Franciæ Philippus, itineri Hierosolymitano se commiserit; & quo modo.

ALTER iam annus agebatur; ex quo Philippus Rex Franciæ, & Richardus tum Comes Pictauiæ, pòst autem Rex Angliæ Crucem acceperant, nec tamen aliis absq; aliis inter vtrunque Regem controuersiis, & bellis existentibus, promissioni suæ satisfecerant. Missu igitur Philippi Regis ad Richardum in Angliam abierunt Rothrodus comes de Pertico, & alij, *dicentes*; ponā enim verba Rogeri, *quòd Rex Franciæ in generali Concilio Parisiis iurauerat, tactis sacrosanctis Euāgeliis, & omnes Principes Regni sui, qui Crucē Domini susceperant, quod, Deo volente, immutabiliter erunt apud Vizeliacum ad clausum Paschæ, inde Hierosolymam ituri: & in testimonium illius Sacramenti Rex Franciæ misit Regi Angliæ chartam suam, petens ab eo, vt ipse, & Comites, & Barones sui facerent illi simili modo securum, quòd ad eundem terminum essent apud Vizeliacum. Hinc factum est, quòd Richardus Rex Angliæ, & Comites, & Barones sui, qui Crucem susceperant, in generali Concilio constituti apud Londonias, iurauerunt lectis sacrosanctis Euangeliis, quòd per auxilium Dei immutabiliter venirent Vizeliacum in clausum Paschæ, parati inde iter Hierosolymitanum arripere: & prædictus Comes de Pertico, & cæteri nuncij Regis Franciæ hoc idem iurauerunt in animam Regis Franciæ coram Rege Angliæ in Concilio illo, & VVil-*

helmus Marescallus, & quidam alij hoc idem iurauerunt in animum Regis Angliæ & ram nuntiis Regis Franciæ in eodem Concilio, & misit inde chartam suam Regi Franciæ. Etsi postea conuentus iste dilatus est vsque *ad feriam quartam post octauas S. Ioannis Baptistæ*; teste Rigordo, qua *cum Rege Angliæ Richardo, apud Vizeliacum venit.*

Guillerm. lib. 4. Philipp.

Philippus ergo,

Anxius interea vix Christo reddere votum
Proposito nuper sancto, quod vouerat illi
Dum properat, vigili sibi prouidet omnia cura,
Tanti procinctus sibi quæ desiderat vsus,
Quæ sibi deposcit series tam longa viarum.
Præmunit validis se pugnatoribus, & tot
Quot satis esse putat ad tanta negotia, tota
Delectos patria bellis, & pace robustos.

Propinquante iam præfinito tempore, Philippus Rex, *Anno Domini M. C X C I X. in festo S. Ioannis Baptistæ*, inquit Rigordus, *ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysij cum maximo comitatu venit, caussa licentiam accipiẽdi. Consueuerant enim antiquitus Reges Francorum, quod quandocunq; contra hostes arma mouebant, vexillum desuper altare beati Dionysij pro tutela seu custodia secum portabant, & in prima acie pugnatorum ponebant. Quod videntes aduersarij & cognoscentes, territi, multoties terga dederunt. Ideo Christianissimus Rex ante corpora sanctorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij humiliter super pauimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo & beatæ virgini Mariæ, & sanctis Martyribus, & omnibus sanctis se commendauit. Tandem cum lacrymis ab oratione surgens, sportam* (peram) *& baculum peregrinationis de manu Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi auunculi sui, Apostolicæ sedis Legati, deuotissimè ibidem accepit. Deinde desuper corpora Sanctorum duo standalia decenter insignita pro memoria sanctorum Martyrum, & tutela contra inimicos Crucis Christi pugnaturus accepit. Demùm orationibus fratrum se commendans, accepta benedictione claui, & spinea corona, & sancti Simeonis brachij, recessit, & feria quarta post Octauas S. Ioannis Baptistæ cum Rege Angliæ Richardo apud Vizeliacum venit. Vbi accepta licentia ab omnibus Baronibus suis, Adelæ charissimæ matri suæ, & Guillelmo Archiepiscopo Rhemensi, auunculo suo, pro tutela & custodia totum Regnum Francorum cum filio suo dilectissimo Ludouico commendauit.* Et antequam de regno *exiret testamentum condidit, & regni totius ordinationem in hunc modum ordinauit.* Recitat Rigordus modum, quem legat, cui eius cognoscendi cupiditas. Nos cum Philippo demus classibus Austros.

Guillerm. lib. 4. Philipp.

Millenus centenus erat deciesq; nouenus,
Quo petiit Francus Rex regna marina Philippus,

Fruge,

Fruge, leguminibus, argento, carnibus, auro,
Rebus, equis, armis, bis cocto pane, meroq́,
Innumeras onerat naues; & classe parata
Propulsus Zephyri spiramine, mouit ab vrbe
Italiæ, clarum posuit cui Ianua nomen.
Hebdomadiq́; tribus Tyrrhena per æquora vectus,
Læuus habens Romam, dexter Carthaginis arces,
Post tempestates, post multa pericula multas
Passus iacturas, Trinacribus appulit oris.

Messanam, celebrem Siciliæ ciuitatem delatus, mense Augusto, *honorificè receptus est in Palatio Regis Tancredi*, inquit Rigordus. Quo paulò post etiam appulit Richardus Rex Angliæ; quem cùm Philippus sępius commoneret; vt memor iureiurandi votique sui in Palęstinam secum vela faceret, præcisè abnuit; ortisq; simultalibus inter vtrumque Regem longè grauissimis, & Christianæ rei, vt exitus comprobauit, planè perniciosis, Philippus solus institutum iter tenens Acconem siue Ptolemaïdem, quæ iam antea à Christianis obsidebatur, peruenit. Deplorat hoc dissidium inter Reges Guillermus his, & aliis versibus, quos breuitatis caussa omitto.

Reges ecce duos amor vnus, spiritus idem,
Vna fides vnit, & sic conglutinat, vt nil
Hic amet aut fugiat, nisi quæ fugit, aut amat ille,
Tantus ad alterutrum ligat ardor amoris vtrunque,
Sed durare diu dilectio tanta nequiuit
Inter eos. Richardus enim quod corde tegebat
Nactus oportunum tempus, detexit, &c.

Rursus ita canit Guillermus:

Non tamen exhibuit liquido se corde Philippo,
Ex tunc, siue fuit, nec verò Philippus eidem,
Mente fuit placida; qui cum iam quinque fuissent
Mensibus hybernis Sicula in regione morati
Anglorum Regem monuit Rex noster, vt vnà
Aggrediatur iter secum, Dominíque sepulchro
Succursum præstet, sicut iurauerat illi,
Noluit ille tamen, Siculis sed mansit in oris.
Auxilium præstans Tancredo in prælia Regi
Infestabatur, quibus vndique. Proinde Philippus
Rex cum Francigenis Zephyris dant carbasa primis
Vere nouo, & læua Græcos à parte relinquens,
A dextra Pharios, Cretam, Cyprumq́; secundis

Præteriens velis, Acharon illabitur vrbi
Pascha nocte sacra, quem sic cœlestis agebat
Gratia, quò firmis sacræ solenne diei
Exigeret plantis, quò iam prætesserat ille
Inclytus eximiæ Iacobus virtutis Auennas,
Et iam cum paucis audax obsederat vrbem,
In Domino solo confidens, qui pius illi
Misit oportuno succursum in tempore gratum,
Qui præstò semper est confidentibus in se.
Nauibus egressi firma vestigia planta
Figere congaudet exercitus, & sua saltu
Corpora dant sabulo, læti post longa marini
Tædia discursus, grata potiuntur arena
Intus & exterius aura meliore refecti.

Applicuit autem Philippus Acconem anno Domini MCXCI. in Vigilia Paschæ, cum, teste Rigordo, mense Martio ex Sicilia discessisset.

CAPVT XXV.

Quando Richardus Rex Angliæ Hierosolymam petierit; & quo modo.

RICHARDVS Rex Angliæ, cum adhuc viuente patre, Comes Pictauiæ esset, crucem accepit; & postea ad regiam dignitatem euectus, assumptæ Cruci satisfacere volens, ante omnia salutares leges sanxit, quibus turbam militarem in officio contineret. Exstant apud Rogerum in Annalibus. Inter cæteras etiam hæc. *Qui hominem in naui interfecerit, cum mortuo ligatus proiiciatur in mare. Si autem eum ad terram interfecerit, cum mortuo ligatus in terra infodiatur. Si quis autem per legitimos testes conuictus fuerit, quod cultellum ad alium percutiendum extraxerit: aut quod alium ad sanguinem percusserit: pugnum perdat. Si autem de palma percusserit sine effusione sanguinis: tribus vicibus mergatur in mari. Si quis autem socio opprobrium, aut conuitia, aut odium Dei iniecerit, quot vicibus ei conuitiatus fuerit, tot vncias argenti ei det. Latro autem de furto conuictus, tondeatur ad modum campionis, & pix bulliens super caput eius effundatur, & pluma puluinaris super caput eius excutiatur, ad cognoscendum eum, & in prima terra, qua naues applicuerint, proiiciatur.*

Præterea idem Rex præcepit in alio breui suo, vt omnes homines sui, qui per mare essent ituri, obedirent dictis & præceptis prædictorum iustitiariorum nauigij sui. Deinde perrexit Rex Turonum: & ibi recepit peram & baculum peregrinationis suæ, de manu VVillielmi Turonensis Archiepiscopi. Cumq; Rex se baculo fulciret,

ret, fractus est baculus. Postea apud Massiliam cum omnibus suis mare intrauit, teste Rigordo, de quo hæc Guillermus:

Guiller. lib. 4. Philipp.

Rex quoque Richardus properus haud segnius illo
In crucis obsequium (constrictus ad hoc tamen ipsum
Iure tenebatur iurando) mouit ab vrbe
Massilia, rebus ita præmunitus & armis
Electisq; viris, vt non minor ipse Philippo
Viribus ac aliis, quæ præsens postulat vsus,
Esse videretur. hinc Tusca per æquora ductu
Veliuolo raptus, numerosa classe Sicanos
Ingreditur portus, nil passus in æquore damni,
Gaudia Francorum renouans Regisq; Philippi
Qui tunc Messana nouus hospes in vrbe manebat.
Exultant Siculi, gaudet Trinacria tota
Hospitibus tantis, tot habentibus agmina secum
Quos Rex Trancredus magno suscepit honore,
Ditia qui gentis Sicula tunc frena regebat
Insidiis, mixta vi, sceptra potenter adeptus.

Extat apud Rogerum *planctus super itinere versus Hierusalem*; in quo de expeditione Regis Franciæ & Angliç & Imperatoris Friderici ista:

Procedunt cum millibus multis armatorum
Illustris Rex Angliæ, atque Rex Francorum
Est videre in gloria agmen Senatorum
Armis iustitiæ & cultoribus decorum;
Est audire gratius, fidei amicum
Romani imperij caput Fredericum
Debellantem iugiter crucis inimicum,
Vt reformet patriam statum in antiquum;
Tendunt cruce prauia versus orientem,
Atque secum contrahunt totum occidentem:
Lingua, ritu, moribus, cultu differentem,
Producunt exercitum, sed fide feruentem.
Vt victores redeant, imploremus Deum,
Vt tollant de medio terra Cananæum
Ingressi Ierusalem pellant Iebusæum
Christianæ gloria portantes trophæum.

Neque verò omnes Anglicanæ naues, quæ Hierosolymam petebant, in Siciliam cum Rege peruenerunt, sed plures illarum alium cursum tenentes vel rectà Acconem, vel in Hispaniam delatæ sunt; ita enim Rogerus. *Baldeuuinus Cantuariensis Archiepiscopus, & Hubertus Salesburiensis*

burienſis Epiſcopus, & Ranulfus de Glanuilla, qui venerant cum rege Angliæ ad Marſiliam, ibidem naues intrauerunt. & fecit illis dominus proſperum iter; ita quod in breui perduxit eos ſine impedimento per magnum pelagus vſque ad obſidionem Accon. Poſtea longam narrationem texit de nauibus Regis Angliæ in Hiſpaniam & extimas Luſitaniæ oras delatis, & quid ibi effecerint; quæ cuiuis promptum eſt ab ipſo Rogero petere.

Philippo ex Sicilia digreſſo remanſit ibidem Richardus paulò poſt tamen ſequuturus. nam vt canit Guillermus,

Nec mora detinuit Richardum longa Sicanis
Finibus; imo Cypron adiit totamq́; duobus
Menſibus expugnans clara virtute ſubegit
Ipſe ſibi, victamq́; ſuo cum Principe cepit.
Cypris enim regio quamuis coleretur in illo
Chriſtus Græcorum ritu, tamen impediebat
Chriſticolas cruce ſignatos, Dominiq́; ſepulchro
Ferre negabat opem, Saracenúq́; fauebat.

Quia illam eo tempore tenebat Iſaacius Comnenus, quem ipſe Nicetas Choniates *inhumanum ac implacabilem tyrannum, & nefarium hominem* appellat. Pergit Guillermus:

Nicet. lib. 2. de Imperat. Iſaaci Angl.

Mox Cypro victa ſpoliis ditatus & auro
Feſtinat Acheron, quam fractis vndique muris,
Obſeſſa vita tantummodo dedere ſalua
Orabant, quorum ſolo pro munere vita
Chriſticolas omnes, quos vincula dura tenebant
Saracenorum, Saladinus cum cruce ſancta
Reddere pactus erat Francis, Regique Philippo.
At Rex Catholicus donec Rex Anglus adeſſet,
Cui fore ſe ſocium promiſerat ipſe fidelem,
Dum crucis obſequio ſeruire ſtuderet vterque,
Nolebat tanto ſolus gaudere triumpho,
Expectans ſocium cui dimidiaret honorem,
Quem ſoli ſibi contulerat clementia Chriſti,
Gentis & inuicta vis inuictiſſima bello,
Seruitio Chriſti multo conſperſa cruore.
Poſtea nolebat Syrus, vel fortè nequibat,
Verbo ſtare ſuo pactumúe tenere Philippo,
Vnde quidem iuſta Richardus bile tumeſcens,
Præſertim ſibi non contradicente Philippo
Mahometicolas omnes, quos vrbe recluſa
Inuenit numero quaſi bis ſex millia, fecit
Verticibus cæſis efflare in tartara vitas.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De capta Accone aliisq́; vrbibus. Et de reditu Regum in patriam.



VARIE nominatur hæc vrbs à scriptoribus; *Accon* nimirũ, *Acharon, Accaron, Acra* à Neubrigensi & aliis. *Ace* à Niceta. olim *Ptolemais* erat. Hanc Guido Rex Hierosolymitanus, vinculis post amissum regnum solutus, cum paucis obsedit: *sequenti æstate post amissionem terræ sanctæ*, vt ait Vitriacus. Cæterùm mox vndiq; confluentibus ad castra copiis, vires Christianorum admodum adauctæ sunt; præsertim post accessionem duorum Regum Franciæ & Angliæ; tandemq́; *insignis vrbs Ptolemais, quam nunc Acram dicunt*, inquit Neubrigensis, *postquam obsidentes Christianos multo & diuturno labore exercuit, expugnata est*, anno gratiæ M.C.XCI. quinto Idus Iulij; *anno, ex quo in manus Turcorum inciderat, quarto. nam cum ex continuis*, vt inquit Vitriacus, *& violentis molarium tunsionibus & attritionibus murus ciuitatis rumperetur, attendentes inclusi, quòd diu resistere iam non possent, hac conditione resignauerunt ciuitatem, vt saluis personis & liberis exirent, & ab hoc crucem sanctam, quam in prælio perdiderant Christiani, se reddere promiserunt. Intrantes ergo populi Christiani ciuitatem*, inquit Rigordus, *flentes præ gaudio, & lachrymantes, & manus vtrasq; ad cœlum leuantes, clara voce dicebant. Benedictus sit Dominus Deus noster, qui respexit labores & sudores nostros, & inimicos Crucis sanctæ, de sua virtute & virtutibus præsumentes, sub pedibus nostris humiliauit. Victualia verò, quæ ibi inuenta sunt, Christiani inter se diuiserunt, pluribus maiorem, paucioribus minorem partem tradentes.*

Neubrig. lib. 4. cap. 13.
Nicet. lib. 2. de Imper. Isaaci Angeli, in fine.
Vitriac. lib. 10.

Vrbe reformata positis custodibus, omnes
Vici Christicolis & prædia distribuuntur,
Ecclesiasq́; nouas vbi Christi nomen adorent,
Ædificant, ridet subito mutata locorum
Et rerum facies. Iam Mahometus ab omni
Exulat ore procul, iam per totam regionem
Catholicæ cultus fidei se pandit vbiq;.

Guiller. lib. 4. Philipp.

Qui etiam tempus captæ vrbis designat his versibus:

Vnus & vndecies centum deciesq́; noueni
Transierint anni postquam Deus est homo factus
Quando cepit Acharon gens Gallica, Rege Philippo,
Crastina Quintiles data cum produceret Idus.

Et facile potuissent nostri, inquit Vitriacus, *non solum regnum Hierosolymitanum, sed partem magnam terræ Saracenorum acquirere, nisi humani generis hostis tantis Christiani populi successibus inuidens superseminasset zizania. Immisit*

sit enim inter reges æmulationes, & discordiam, & facta est contentio inter principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. Venantes enim propriam gloriam, & quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, inuicem detrahendo & inuidendo, lætificauerunt inimicos suos, magnam autem Christianorum populo confusionem induxerunt. Adeò autem ab initio rancor, inuidia & discordia inter reges inualuerunt, quod plerumque quando Rex Francorum contra ciuitatem assultus ex vna parte faceret, Rex Angliæ, ne ciuitatem impugnarēt, suis inhibebat. Quotquot autem de principibus & baronibus Franciæ, muneribus vel promissionibus sibi allicere poterat, latenter attrahebat, & in partem suam inclinabat.

Neubrig. lib. 4. Rex Angl. c. 19. *Domine Iesu seminator*, exclamant Neubrigensis, *nonne bonum semen seminasti in cordibus duorum Principum istorum, tanquam in agro proprio? Vnde ergo ager iste tuus tam citò habuit zizaniam? Planè inimicus hæc fecit humani generis, plebis Christianæ tam pio studio inuidens, & tantos pro te susceptos labores cassare cupiens, bono semini sanctæ deuotionis, quod manus tua seminauerat in cordibus Principum, vt opulentissima propter te regna relinquerent, & delicias regias summis propter te laboribus atq; periculis commutarent, superseminauit pestiferam zizaniam æmulationis, & contentionis, qua tam bonum semen, & tam bona manu iactum, infructuosum atque inefficax redderetur, te quidem domine hoc ipsum iustè permittente: sed permissionis huius ratio penes te est.*

Nec desunt, qui scribant, Reges occultè cum Saladino collusisse, vt alter alteri perniciem pararet, & Saladinum, acri ingenio Principem, simultates has, studiosè, etiam missis munusculis, fouisse, non vt alterum iuuaret, alterum perderet, sed vt vtrumq; in exitium cum tota Christianitate transmarina præcipitaret. Gallicani scriptores conferunt culpam huius tam perniciosi dissidij in Richardum; Anglicani, vt Neubrigensis, in Philippum.

Vtcunque sit, illud constat, Richardum non modò Francis, sed & Germanis fuisse inuisum, ob iniurias Leopoldo Austriæ Duci illatas:

Otto in Chron. nam capta ciuitate, *Rex Anglorum*, inquit Otto de S. Blasio, *signa triumphalia sui exercitus turribus affigi præcepit, titulum victoriæ ex toto sibimet ipsi satis arroganter adscribens. Hacq; de caussa cum per ciuitatem transiret, vexillum Ducis Leopoldi turri, quam ipse cum suis obtinuerat, affixum vidit, suumq; non esse recognoscens, cuiusnam sit percontatur. Qui Leopoldi Ducis Orientalium esse accepto responso, maxima indignatione permotus, vexillum turre deiici, lutoq; conculcari præcepit: insuper ducem verbis contumeliosis affectum, sine causa iniuriauit.*

Subdit Otto. *Teutonica militia cum Italica his admodum exasperata Regi in faciem restitisset, nisi autoritate militum repressa fuisset. Anglicani itaq; perfidiam detestantes, Angliaq; subdi dedignantes, ascensis nauibus simul cum Duce Leopoldo repatriauerunt, rege cum suis adhuc remanente, quotidieq; paganos impugnante.*

Quid

Quid autem Richardo regi domum per ditionem ducis Austriæ redeunti contigerit, infra breuiter indicabimus.

Rediit quoq; in patriam Rex Philippus, relicto in Palæstina non modico exercitu, quem Regis reditum nō omnes bonam in partem interpretantur, præsertim ipse Richardus in epistola quadam *de recessu regis Franciæ de Accon. Reuerso igitur in Franciam Philippo,* inquit Richardus, *Natale Domini apud fontem Eblaudi celebrauit, & reuolutis paucis diebus ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysii causa orationis quantocius properauit: vbi sacer conuentus cum Hugone Abbate suo, facta processione, cum hymnis & laudibus in Ecclesiam eum induxunt. Finita oratione prostratus ante corpora Sanctorum, Deo & beatis Martyribus gratias referens, quia de tot & tantis periculis eum liberauerant, in pignus amoris & charitatis pallium sericum optimum super altare humiliter posuit.* Nimirum vt à Martyribus peregrinationem suam inchoarat, ita eandem cum Martyribus & apud Martyres piè concludere volebat. *Exstat in Annal. Rogeri.*

Rex verò Angliæ in transmarinis partibus remanens, inquit Rigordus, *captiuos, quos habebat scilicet Limathosium & Carathosium, & alios, quos alij principes habebant, ad id quod promiserant, compellauit; vt crucem Dominicam, quam Saladinus habebat, & omnes captiuos Christianos, sicut de proximo iuramento legis suæ tenebantur, sine dilatione sanctæ Christianitati restituerent. Quod quia facere iurauerant, ad effectum perducere non potuerunt, Rex Angliæ vehementer iratus, captiuos paganos extra ciuitatem educens, quinque millia, & eò amplius decollari fecit retentis maioribus & ditioribus, à quibus innumeram pecuniæ summam pro redemptione accepit.*

Quod ipse etiam Richardus in epistola ad Abbatem Claraualensem his verbis prædicat. *Reddita est domino Regi Francorum & nobis ciuitas Accon, salua vita Saracenorum, qui ad eam defendendam, & custodiendam intus missi fuerant. Pactione etiam ex parte Saladini plenius firmata, quod nobis crucem sanctam, & mille & quingentos captiuos viuos resignaret, diemq; ad hæc omnia persoluenda nobis constituit. Sed eodē termino expirato, & pactione, quam pepigerat, penitus infirmata, de Saracenis, quos habuimus in custodia, circa duo millia & sexcentos, sicut decuit, fecimus exspirare; paucis tamen de nobilioribus retentis, pro quibus sanctam Crucem, & quosdam captiuos Christianos sperabamus recuperaturos.* *Exst. apud Reg.*

Commemorat Rogerus nonnulla obseruatione & admiratione digna, quæ Christianis Acconem obsidentibus contigerint. Primum sit hoc. *In ciuitate erat quidam homo Deo deuotus, occultus tamen propter metum paganorum, qui frequenter literas suas foras misit vsque in exercitum Christianorum Hebraicè, Græcè & Latinè scriptas, & per illas totum statum & propositum paganorum significauit Christianis. Vnde Christiani sæpius præmoniti insi-*

dias Paganorum vitabant. Sed valde erat molestum Christianis, quod non nouerant virum illum, neque nomen eius. ipse enim nunquam voluit nominare nomen suum, sed in omnibus literis, quas foras misit, confessus est se esse Christianum, & in scriptis suis semper præponebat: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Sed hoc mirandum est, quod ipse neque ante captionem ciuitatis, neque post captionem voluit se manifestare Christianis.

Alterum sit istud. *Nocte sequenti* (post octauam diem Iulij) *dum milites & seruientes multi de exercitu Christianorum vigilassent ante turrim Maledictam, circumfulsit eos lux de cœlo, in qua apparuit eis beata Virgo Maria mater Christi: præ timore autem exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. At beata Virgo blandè consolabatur eos dicens. Nolite terreri, propter salutem enim vestram misit me huc dominus. Et cùm crastina illuxerit dies, Ite & dicite Regibus vestris ex parte Iesu Christi, filij & Domini mei, & ex parte mea, vt cessent à prosternatione murorum ciuitatis huius, quia quarto die, post illum, dabit eam dominus in manus illorum. Eâdem verò hora, qua mater Christi loquebatur cum custodibus, terræmotus magnus factus est in ciuitate, & paganos ita terruit, quod maluerint mori quàm viuere. Sic Dominus cùm ad iudicium venerit, blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis. Beata virgo Maria, postquam sic loquuta est, auulsa est ab oculis eorum, & simul cum illa recessit lumen, quod circumfulserat illos. Mane autem facto prædicti custodes narrauerunt regibus & principibus exercitus visionem, quam viderant, & verba, quæ dixerat illis Mater Domini, & statim diuulgata sunt omnia hæc per exercitum, & facta est lætitia magna in populo Dei.*

Tertium locum iure meretur, quod Christiani Saladinum potentissimum principem eò adegerunt, vt ciuitatem Hierosolymitanam, & crucem sanctam, & omnes ciuitates & castella, quæ ipse post *captionem Regis Guidonis ceperat, Christianis obtulerit*, hac conditione, *vt Reges venirent cum illo*, inquit Rogerus, *vel mitterent cum illo sex millia militum*, (hoc est, equitum, hos enim recentioris æui scriptores, nomine *militum* intelligunt. Exempla enim sunt obuia apud Robertum Monachum, Anonymum, & alios) *& viginti millia peditum ad terram suam defendendam contra dominum Muste & filios Noradini, qui Thek:dinum auunculum suum vicerant in prælio, & totam terram illius occupauerant; etsi ipsi permisissent illos abire læsos, sed reges id facere noluerunt.*

Post abitum regis Philippi aliquoties signa collata sunt per Regem Angliæ cum Saladino, satis fortunatis auspiciis, & aliquot præsidia recepta, quę fusius ipse Rex Anglię enumerat in epistola ad Abbatem Clarauallensem. *Habito autem post hæc consilio*, inquit Vitriacus, *quod tempore hiemali non obsiderent Hierusalem, præsertim cùm nullam inter Accon & Hierusalem munitionem haberent, nisi Ioppen, nec sine graui & manifesto*

festo periculo victualia ad exercitum deportare valerent, cum multis lacrymis & immensa tristitia maioris partis exercitus propositum mutauerunt. Nam à multis dicebatur, & ab his maximè, qui statum Sarracenorum plenius agnouerant, quod exercitum nostrum nunquam expectasset Saladinus, nec poterat inuenire, qui in ciuitate, ipso recedente, includi vellent, vel auderent remanere: Acconensium exemplo perterriti, quibus non potuit succurrere Saladinus quin etiam ipsos captos partim trucidari, partim captiuari permiserat, cùm ipsos potuisset redemisse.

Imo lacrymis dignissimum iudico, quod idem Vitriacus scribit; *In hoc minus sapienter egit* (Philippus Rex domum properans) *quod suum præproperè nimis reditum propalauit. Nam Saladinus, vt dicunt, totā terram nostram nobis libenter reddidisset, si reges saltem tantummodo simularent, quod terram eius vnanimiter vellent inuadere, & inter se pacem & concordiam habere.*

Vere subsequente, cum iterum vsq; Bethunuble ambo exercitus, vt Hierusalem obsiderent, peruenissent: Rex Richardus, quasi in alterum virum mutatus, dixit, quod modis omnibus vellet repatriare. Quibus auditis rumoribus, Saraceni exultantes, & quasi de graui somno excitati, corda resumpserunt. Nostri autem confusione & dolore induti, recuperationis ciuitatis sanctæ spem penitus amiserunt, gementes pariter & lugentes, eo quòd sacrificij sui cauda sublata, labores suos inchoatos & non perfectos, quasi annihilari viderent. Quomodo autem ex Palæstina discesserit Richardus, his versibus canit Guillermus.

Dissimulat Regem, paucisq; triremibus æquor
Sulcat, & Ioniæ progressum denique ponto
Adria suscepit: à dextro remige littus
Misit in Illyricum, quo nauibus ille relictis
Imperiale solum cultu Templarius intrat,
Priuato vt tectus habitu securior iret.
Ille quidem multos magnates læserat, vnde
Dum metuit multos multis se dissimulabat.
Dux tamen agnouit illum tuus, Austria, cuius
Partibus in Syria tentoria ruperat, atque
Indignis nimium probris affecerat illum.

Res tota clarior fiet ex Ottone de S. Blasio, qui hæc. *Hac tempestate Rex Richardus de expeditione transmarina rediens per Vngariam in fines ducis Leopoldi, paucis comitatus, deuenit: memorq; iniuriarum eidem Duci apud Accaron à se exhibitarum, ipsum nimis metuens dimisso regali obsequio, priuato habitu furtim celeriterq; trāsire cupiens, in quoddam diuersoriam apud Viennam necessitate prandij diuertit, socijs præter paucos à se dimissis. Itaq; seruili opere, ne agnosceretur, in coctione pulmentorum per se dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens assabat, annulum egregium digito oblitus. Quidam igitur de fami-*

lia ducis, qui cum duce apud Accaronitas visum regem notum habebat, de ciuitate fortuitò egressus, tabernam regali coquo insignem intrauit, & ex consideratione annuli ipsum respiciens & recognoscens, agnitum dissimulauit, concitoq; cursu in ciuitatem reuersus, Ducem, qui tum fortè aderat, de præsentia regis certificans, admodum exhilarauit. Igitur sine mora ascensis equis cum frequẽtiam militum Dux accurrens, Regem frixam carnem manu tenentem captiuauit: irrisumq; tali opere in ciuitatem duxit, eumq; arctissimæ custodiæ mancipauit, digna recompensatione reddens ei, quod meruit. Attamen multi pro hoc facto Duci detrahentes, ac pro sacrilegio in peregrinum sepulchri Dominici commissum computantes detestantesq; improbabant: licet hæc improbatio captiuo Regi parum profuisset.

Imperator itaq; captum Anglorum regem audiens, missis ad Ducem nuntiis regem sibi præsentari iussit, præsentatumq; VVormatiam asportari, vinclisq; ferreis onustum præcepit, datis sibi induciis deliberandæ redemptionis: ad quem multi suæ terræ maiores videndi gratia venerunt, & diuersas rerum species Domino suo obtulerunt. Itaq; pro captiuatione peregrini regis Leopoldus Dux à summo Pontifice excommunicatus, ne simili ausu peregrini sancti sepulchri à quopiam impetiti à subuentione transmarinæ Ecclesiæ deterrerẽtur. Tandem datis in redemptionem suam imperatori multis millibus centenariorum auri & argenti, nec non & Duci Leopoldo auro & argento pro libito collato, eiq; pace & reconciliatione sacramento ab eo firmata, captiuitate exuitur, sicq; mulctatus rediit in terram suam. Certum autem precij pondus, quod contulit, explicare distuli, ne cuiquam incredibile visum falsitatis argueret. Hoc autem sciendum, quod Ecclesiastici thesauri per omnes Angliæ Ecclesias collecti, huius census pars maxima constabat calicibus, crucibus, aliisq; diuersis speciebus conflatis.

Verum enim verò hæc quæ Leopoldus & Leopoldo auctore, Imperator Henricus gesserat, multis displicuerunt, vt satis ex naratione Ottonis colligitur, & postea Innocentius. III. Pontifex ad filium & successorem Leopoldi, Ducem Austriæ, epistolam dedit, eiq; sub excommunicationis sententia præcepit, vt Regi Angliç *lytrum* illud restituat. Petrus quoque Blesensis in *Cantilena de lucta carnis & spiritus* rhythmicè cōposita, acriter inuehitur in Leopoldum propter hoc factum: & in epistola ad Archiepiscopum Moguntinum, qua rogat, vt omni ope cum aliis Imperij Principibus nitatur vinculis eximere regem Anglorum Richardum ab Austriæ Duce & Imperatore captum. Idem à summo Pontifice Cælestino petierunt Rhotomagensis Archiepiscopus vnà cum suffraganeis suis. Extat epistola apud Blesensem. Taceo Neubrigensem & similes, qui dolori omnes habenas laxant, & nihil non in Leopoldum & Imperatorem Henricum dicunt. Illud laudandum in Richardo Rege, quod Crucem retinuit, cum animo redeundi in Palæstinam, vt testatur Neubrigensis.

Exstat inter epistol. Innocentij III.

Inter opera Blesensis à P. Busæo edita.

Neubrig. lib. 4. cap 29. & seqq.

Neub. li. 4. c. 17.

Hunc

Hunc exitum, occulto Dei iudicio, inquit Neubrigensis, *habuit Christiana illa tam sumptuosa, laboriosa, periculosa contra immanissimum sacri, & tremendi nominis hostem Saladinum expeditio, magnorum Regum, inclytorum Ducum, innumerabilium populorum. Et quidem tantis sumptibus, periculis, laboribus pro recuperanda terrena Hierusalem parum actum est: pro instauranda verò superna Hierusalem plurimum, vti superius ostensum est, Deo enim melius, quàm humana erat intentio, disponente, tam multa Christianorum (suscepta pro Christo tam laboriosa peregrinatione) occumbentium millia, quæ quidem secundum intentionem pro recuperatione terrenæ Hierusalem frustrà sudasse videntur, cum fructu pij laboris, tanquam viui lapides in illius, quæ sursum est Hierusalem, ædificium transierunt. Veruntamen sicut defectui temporum nostrorum, quibus vtiq; abundante iniquitate refrigescit charitas, imputãdum est, quod loca sacra, in quibus redemptionis nostræ celebrata sunt sacramenta, tradita sunt in manus impiorum: ita & illud, quod pro recuperatione eorundem locorum tantis laboribus, & sumptibus Christianum minus processit negotium. Itaq; propter nostrorum defectum, & dedecus temporum, oportet ciuitatem sanctam conculcari & prophanari à gentibus, vsq; ad tempus, quod solus Deus nouit. Nam suo tempore proculdubio, iuxta morem priscum, terra sancta spurcissimos euomet incolas, & fortè per parciorem manum Christianam, vt virtus diuina in negotio clarius elucescat.* Neubrig. lib. 4. cap. 18.

In omnibus his, inquit Arnoldus Lubecensis, loquens de his ipsis expeditionibus, *non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta: siquidem propter peccata nostra, quæ quotidie accrescunt super nos, nondum venit tempus miserendi. Nam Sion captiuata, & adhuc à gentibus est conculcata, sed tu exsurgens Domine, misereberis Sion, & vtinam coram te veniat tempus miserendi eius. Præsumendum est tamen de tua misericordia, piissime pater, quod citò veniat tempus miserendi. Quanti enim filij tui, Domine, in peregrinatione priore pro Sion redimenda deuoti fuerunt, quanti Reges, Principes, gloriosiq́, & sublimes sua seq; dedentes exilium, & mortem propter te sustinuerunt? Et licet non omnes pari deuotione perseuerauerunt, inuenisti tamen de tuis, quos elegeras, holocausta gratuita. Quid de ordine gloriosorum Pontificum dixerim, qui omni deuotione in hac peregrinatione desudauerunt, & multis exemplum facti tam prædicatione, quàm operatione eos animauerunt. Sacerdotes quoque suis ministeriis, & exhortationibus salutares offerentes hostias cum numerositate Canonicorũ, populum Dei plurimum corroborauerunt. Placeat tibi, Christe, deuotio sponsæ tuæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ, placeant tui fideles, in quibus etsi minus perfecta sunt opera, inuenisti tamen fidem in Israel. Nos autem alium Dominum non habemus præter te, Domine, in quem speramus: quia etsi iustè ad tempus irasceris, propter temetipsum tamen propitius eris, nec in ira tua misericordias tuas continebis. Nunc ergo quique terrigenæ & filij hominum, similiter in vnum & diues & pauper, placate Dominum. sumite armaturam Dei, signum videlicet victoriosissimæ Crucis, ad* Arnold. lib. 5. Chron. cap. 1.

expu-

*expugnandos ipsius hostes tam visibiles, quàm inuisibiles: Audite Psalmographum exhortantem: Hodie si vocem Domini audieritis; nolite obdurare corda vestra. Hanc vocem, vt speramus, audiuit pius Imperator Henricus, qui licet publicè Cruce signatus non fuerit, per viscera misericordiæ spiritualiter tamen fuisse signatum non ambigimus. Nam sicut pater eius (*Fridericus Barbarossa*) priorem, ita ipse secundam* (imò tertiam ex Germania) *deuotus ordinauit peregrinationem.*

CAPVT XXVII.

Quinta, eaq́ publica in Palæstinam Cruce signata expeditio.



NNNO *Dominicæ Incarnationis M. CXCIII. multi de cismarinis regionibus, Cruce peregrinationis accepta,* inquit Otto de S.Blasio, *ad auxilium transmarinæ Ecclesiæ accenduntur. Qui* Henrico Imperatori, eo ipso tempore in Campaniam, Apuliam, & Siciliam ducenti, in subiugandis illis regionibus præclaram operam nauarunt; in suam enim ditionem eas redegit, *militia peregrinorũ, quæ in procinctu transmarinæ expeditionis constituta, cum eo transalpinauerat,* inquit Otto de S.Blasio, *quæq́ interim confluebat, opem ei summo nisu conferente. Igitur tali modo confecto bello Samnico, Apuliensiq́ cum Calabrico, redactaq́ in prouinciam tota Sicilia cum Sardinia: Henricus Imperator bellicosissimus exercitum peregrinorum, multis muneribus illustratum à se dimisit, & cum ipsis è suo latere publici ærarij stipendiarios quingentos milites in adiutorium transmarinæ Ecclesiæ direxit. Qui à Siponte & Brundusio mare Tyrrhenum transuecti, Accaron applicuerunt, & à Christianis cum gaudio suscepti sunt; quorum auxilio multa castella Christiani recipientes, paganos pacem petere coëgerunt, multis vtrinq; congressionibus prius habitis, Christianis semper victoribus.* Hæc Otto, qui vnam eandemque expeditionem in plures discerpere videtur: nam Anno Domini M. CXCV. commemorat aliam; quæ tamen, vt ex Arnoldo Lubecensi liquet, illa ipsa videtur, quæ studio Henrici Imperatoris collecta, & in Palæstinam transmissa fuit, postquam Siciliam non sine Cruce signatorum subsidio, perdomuerat. Accipe verba Arnoldi.

Imperator apud Argentinam in Curiali colloquio acceptis epistolis Domini Papæ Cælestini à venerabili Cardinali Gregorio, omni deuotione se huic peregrinationi obsecuturum affirmauit. Ordinauit etiam legatos honoratos in Apuliam ad Dominum Conradum Cancellarium, qui tunc ibi erat negotiis imperialibus detentus, mandans omni studio impensas præparari peregrinationi, quæ sequenti anno futura erat, in auro, frumento, vino, & nauibus plurimis. Cuius zelo plurimi incensi tam magnates, quàm militares, signũ Dominicæ passionis in remissionem pecca-

peccatorum suorum tunc temporis susceperunt. Henricus videlicet Palatinus de Rheno, & Ottho Marchio de Brandenburg, qui tamen ipsam peregrinationem non peregit, sed per Dominum Papam dispensatione eam dimisit; Henricus Dux Brabantiæ, Hermannus Landgrauius de Turingia; VValrauen Comes de Limburg: Adolphus Comes Schauuenburg, Dux de Osterreich, Hartuicus quoq; Archiepiscopus Bremensis, & Rudolphus Verdensis, & alij quàm plures. Multi etiam acceptis litteris exhortatoriis Domini Papæ à Cardinale memorato (Gregorio) *in ciuitates & parochias plurimas eas detulerunt. Quibus perspectis nonnulli cælitus inflammati pro defensione terræ sanctæ triumphale signum Dominicæ passionis & ipsi susceperunt. Inter quos in ciuitate Lubeca de valentioribus circa quadringentos viros signati sunt. Feruente itaq; zelo Christianæ deuotionis, omnes in vnum, diues & pauper ad peregrinationem futuræ æstatis se præparabant. Ipse quoq; Imperator in propria persona eandem peregrinationem ordinaturus in Apuliam properauit, tanto deuotior, quanto aduentantibus peregrinis esset deuotior.*

De eadem expeditione Platina: *Mortuo Saladino Cælestinus* (Pont. Rom.) *in magnam recuperandæ Hierosolymæ spem veniens, Henricum Imperatorem, qui mortuo Tancredo regnum Siciliæ occupauerat, ad bellum Asiaticum adhortatur: quod cùm ipse obire non posset, eò Moguntinum Archiepiscopum, & Saxoniæ ducem cum magnis copiis properè mittit. Idem quoq; fecisset & Franciæ Rex, ni Sarraceni Mauritaniam incolentes, in vlterioremq; Hispaniam traiicientes capto rege Castellæ, Bæticam omnino cepissent, quæ hodie Granata dicitur. Non enim quieturos barbaros Galli arbitrabantur tanta victoria elatos, sed illaturos bella finitimis. Hanc itaque ob rem militem in Europa retinebant.* Plat. in Cælest.

Explicatius Otto Anno Domini M. C X C V. *Iisdem diebus tertia expeditio transmarina mota* (vocat tertiam, publicam scilicet & solennem ex Germania, quarum prima sub Conrado Imperatore, secunda sub Friderico, tertia ista ipsa) *multos nostrarum partium Principes ad Hierosolymitanum iter cum multis aliis accendit. Inter quos primatum habebant venerabilis Moguntinensis Archiepiscopus Conradus, nec non & Conradus Cancellarius, Episcopus Herbipolensis illustris. Huic expeditioni interfuerant Fridericus Dux Orientalis, filius Leopoldi, pro patris animæ remedio suam positurus eâdem via in mortem, sed temporalem, vt sperandum est, animam: succedente sibi in ducatu Leopoldo fratre suo: nec non Henricus Palatinus Rheni, filius Henrici ducis Saxoniæ, sororius regis Angliæ, frater Ottonis Imperatoris cum duce Brabantiæ de Löuin, multisq; aliis præclaris baronibus, cum expedita militia crucem suam tollentes, Christumq; sequi cupientes ad auxilium transmarinæ Ecclesiæ transfretauerunt, ibique adhuc de priori expeditione multos inuenerunt. Quibus coniuncti, à paganis quotidie igne ferroq; instantes plurimam peruasæ terræ partem receperunt.*

Reperitur hac epistola in Annalibus Godefridi.

Exstat apud Godefridum in Annalibus epistola Ducis Lotharingiæ, ad Archiepiscopum Coloniensem, in qua recenset, quid Duces & milites huius expeditionis in Palæstina præstiterint. Et quamuis ipse Henricus Imperator non sit in terram sanctam profectus, iussu tamen & auxilio eius hæc profectio suscepta fuit, vt cognoscere licet ex epistola, quam in Germaniam hac de re misit: promisitque se sua impensa per annum mille quingentos milites, & totidem *sargantos* terræ sanctæ suppeditaturum.

Eiusdem expeditionis mentionem facit Rogerus, qui præter nominatos ab Ottone, nominat *ducem de Saringes* (fortè *de Zäringen*) *ducem de Svvethde, ducem de Baiueria, & VValramum fratrem ducis de Lamburg, Fridericum autem filium Leopoldi ducis Orientalis,* hoc est, Austriæ, vocat Rogerus *ducem de Ostricio*, alludens nimirum ad Germanicum Ostrich: quod nos dicimus, *Osterreib*. Quorum egregia, in terra promissionis defendenda & recuperanda, facinora idem Rogerus his verbis posteritati commendauit.

Interim Saphadin frater Saladini post captionem Ioppes, magno congregato exercitu Paganorum, commisit prælium cum supradictis ducibus, & comitibus, & exercitu Imperatoris Romanorum, quem ipse in terram Hierosolymitanam miserat: & præualuit exercitus Christianorum, & ceperunt in prælio illo Christiani duos filios Saladini, & plus quàm sexaginta Admirales: & Saphadinus frater Saladini lethaliter vulneratus vix euasit. Ceperunt etiam Christiani Sidonem ciuitatem, & Laliche, & magnum Gybel, & erat spes Christianorum, quod filius Saladini tenens ciuitatem Hierosolyma vellet Christianari. sic enim erat interlocutum per internuntios mediantes. Interim Pagani, qui erant in ciuitate de Barbuc, timentes incursum Christianorum, muros ciuitatis prostrauerunt, & traxerunt in Castellum victus necessaria, & arma & lapides murorum ad defensionem castelli. Quadam autem die, dum ad hoc perficiendum diligentius instarent, relictis tantummodò in castello quinque captiuis Christianis compeditis, & vno solo Sarraceno ianitore, repentè superuenit Archiepiscopus Moguntinus, Imperatoris Romanorum Cancellarius, cum exercitu magno nauali, & Aimericus dominus Insula de Cypre, & præfati duces, & principes Alemannorum venerunt cum equestri exercitu & pedestri. Quod videntes Christiani, qui erant in castello, cucurrerunt, vt poterant, & clauserunt portas castelli, & ianitorem interfecerunt, & ascendentes in altum clamauerunt alta voce signum Christianorum videlicet: Adiuuet nos Christus Dei filius, & sanctum sepulchrum eius.

Nota hîc, Christianorum symbolum, & militarem quasi tesseram non tam agnoscendi, quã diuinæ opis implorandæ gratiæ inuentam; De signo illo militari, *Deus vult, Deus vult,* iam suo loco diximus.

Adiungit Rogerus. *Ad hanc vocem Pagani exterriti fugerunt ad montana, re-*

na, relicto castello, & ciuitate, & victu, & armis suis; & Christiani recepti sunt in ciuitate, & castello cum gaudio. Deinde præfatus Moguntinus Archiepiscopus, consilio & voluntate Principum Alemanniæ, tradidit Aimerico domino Cypre, Accon & Tyrum, & Barbud, & cæteras ciuitates, quas ceperant; deinde dedit ei Milisent in vxorem, quæ fuerat vxor Comitis de Campania, & coronauit eos in ciuitate de Barbud, & ipse Aimericus deuenit homo Henrici Romanorum Imperatoris de Insula Cypri. Aliter Arnoldus Lubec. lib. 5. Chronici c. 2.

Quod attinet ad modum illum loquendi, *Homo Henrici Imperatoris*, nihil aliud eo significatur, quàm aliquem fieri alterius *vasallum* & *ligium*. Apud Nicetam scribitur λίζιον, Tyrius de Boamundo. *Factus est Boamundus Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibita, & iuramento præstito corporaliter, quale solent fideles dominis suis exhibere.* Hinc Hominium facere. Rigordus de Richardo Comite Pictauiæ. *Coram patre suo regi hominium fecit.* Tyr. lib. 2. c. 15.

Porrò huius etiam expeditionis Germanicę alacritas, & apparatus in nihilum recidit, improbitate, falsorum fratrum, qui dæmonis instinctu faustis nouæ sacræque militiæ progreßibus sese aduersarios opposuerunt. Audi Ottonem, *Castrum Dorolz natura, & arte munitißimũ obsederunt* (Cruce signati) *quod & cepissent, si non auri sacra fames in mente quorundam Christo præponderans, id impediuisset. Nam sicut fertur, quidam de militibus templi à paganis corrupti, pecunia animum Conradi Cancellarij, qui in hac ipsa obsidione præcipuè clarebat, cum quibusdam aliis inflexerunt, eiq́ auri maximo pondere collato, obsidionem soluere persuaserunt: sicq́ vendito Christo, tradito paganis per castellum, sicut olim Iudæis, recesserunt: nec tamen de precio taliter acquisito aliquod emolumentum, sicut nec Iudas de triginta argenteis, consequuti sunt. Siquidem precio corrupti, corruptum à paganis aurum metallo sophistico, auro in superficie colorato, receperunt; sicq́ in opprobrium sempiternum cum nota infamiæ meritò consequuti sunt. Id sanè castellum, si captum Christianorum potestati ceßisset, vim paganorum in ea regione admodum contriuisset.* Lege Arnold. Lubecensis lib. 5. Chronici.

Addit Otto. *Exercitus peregrinorum apud Accaron constitutus, conuersatione Templariorũ, Hospitalariorum, reliquorumq́ terræ Baronum scandalizatus, taleq́ commercium, & quandam quodammodò secretam familiaritatem eorum, cum paganis detestans, se ab eorum auctoritate ducatuquè alienauit, auctoritate propria regi cœpit, & multis tam publicis, quàm priuatis congreßionibus cum paganis habitis, victoriam sæpius consequutus, actibus præclaris admodum enituit. Videntes itaque compatriotæ militiam peregrinorum alacriter incedere, eiq́ pro voto cuncta succedere, sicut ab his, qui eidem expeditioni interfuerunt, audiuimus: plus eorum industriam, quàm paganorum militiam metuentes, insidias parant, peregrinosq́ omnes dolo occidendos conspiratione cum paganis habita, deliberant; Henrico rege eorum in ipsum consentiente. Verebantur enim,*

nim, ne si peregrini paganis praualerent, eos patria pulsos arcerent, eamq́ vi obtinentes possiderent. Hacq́ de caussa mortem, vel captiuitatem eorum machinati sunt. Nam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi quærentes, regionem maritimam, quæ fertilissima est, propter rerum vbertatem tantam obtinere delectantur, Ierusalem sepulchrumq́ Domini paruipendentes, ideoq́ tantis proficiscentibus Ierusalem conculcatur à gentibus. Igitur Henricus Rex cum suis fautoribus in fenestra altissima turris apud Accaron residens, vt fertur, & qualiter auxilio paganorum peregrinos morti exponeret, capiens consilium, diuinum iudicium, in quod horrendum est incidere, expertus est, ac de fenestra, cui insidebat, pessima tractans, nutu Dei forinsecus corruens, quassatoq́ membratim corpore, spiritum exhalauit, sicq́ prauorum dissipato consilio, res, vt proposuerant, caruit effectu.

Aliter de morte Henrici Arnoldus lib. 5.

En irritæ expeditionis fontem & originem. Etsi Vitriacus paulò aliter hac de re scribit. Iam quod ad Henricum attinet, succefsit is Guidoni, qui Hierosolymam perdidit, licet Vitriacus dicat, eum coronari, & regem fieri recusasse. Hunc excepit Aimericus, de quo antea ex Rogero. Post illum dictus est rex Hierosolymitanus Ioannes Comes Brenensis, qui, vt inquit Rigordus, sub ipsum extremum vitæ tempus Regis Philippi, *in Franciam venerat pro negotiis, & necessitatibus terræ sanctæ. Condito testamento legauit Rex ad subsidium terræ sanctæ trecenta millia librarum Parisiensium, videlicet, præfato regi Ioanni centum millia. Militiæ Templi centum millia; Hospitali Hierosolymitano centum millia.* Eadem versibus Guillermus.

Guillerm. lib. 12. Philipp.

Affuit & summo vir honore & laude Ioannes
Rex Acharon Francus atauis, Campanicus ortu
Debuerat quo rege regi Ierosolyma, quæ nunc
Ægypti dolet, & Syriæ seruire Tyrannis,
Quæ mala nos per nostra quidem peccata meremur,
Dum nec abhorremus ingrati viuere Christo,
Nec culpis cessamus adhuc superaddere culpas,
Quarum nos meritum meritos amittere nuper,
Reddidit Ægypti regionem cum Damiata;
Vnde modò pulsus citra mare venerat idem
Rex, imploraret vt opes à rege Philippo:
Qui donauit ei, sanctiúq́ iuuantibus ipsum
Fratribus Hospitij Templiq́ à nomine dictis,
Cura quibus specialis inest pro posse sepulchrum,
Viuendo sacra sub religione tueri,
Millia marcharum quinquagesies triplicata,
Dispensanda cruci famulantibus atq́ sepulchro,
Vnde fide certa fas est præsumere nobis,


Quod

Quod famulis immensa suis miseratio Christi
Sanctam restituet terram, mediante Philippi
Et merito & censu, nec ad hoc mora longa futura est.

Obsederat iste Rex Ioannes, atque adeò expugnauerat Damiatam Aegypti vrbem sub Honorio III. Pontifice. Et huc suo in carmine Guillermus respexit. Sed de hoc alio loco.

Dilapso exercitu, & ad patrios fines regresso, mansit in Palæstina Archiepiscopus Moguntinus, & Episcopus Verdensis, & alij de nobilioribus; Aberat tamen Moguntinus, copiis Germanicis domum regredientibus: *in Armenia constitutus*, inquit Arnoldus, *pro coronando Rege eiusdem terræ, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus fuerat, qui vt dictum est, in Cypro similia perpetrauerat. Sed cùm esset apud Baruth, visum est principibus, vt remanente Cancellario, Moguntinus vicem eius suppleret, & ipsum Regem diademate imposito, ad titulum Romani Imperij coronaret. Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad ipsorum introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriosè multa loca munita obtinuissent, missis nunciis honoratis cum muneribus non paucis, ipsos principes deuotè salutauit, & quanto desiderio ipsorum aduentum exspectauerit, per scripta simul & verba amplissima intimauit: paratissimum se dicens Romano subdi Imperio, si coronam diu desideratam ab ipsius mereretur suscipere nuncio. Glorietur Ecclesia Romana, quæ non solum in spiritualibus, sed etiam, fauente Christo, dilatatur in temporalibus, vt etiam Reges transmarini hoc titulo affectent insigniri.* Hucusque Arnoldus. De coronatione Leonis (sic enim appellabatur) Regis Armeniæ, lege epistolas Innocentij Pontificis folio 447. & seqq. *Arnold. lib. 5. Chron.*

Silendum autem non censeo, occasione Moguntini Archiepiscopi, qui Dux huius germanicę expeditionis fuit, iam antea priusquam Hierosolyma à duce Godefrido recuperaretur, Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum cum Gundero Babenbergensi, Ottone Ratisbonensi, & VVilhelmo Traiectensi Episcopis, aliisque principibus viris Hierosolymam crucis & sepulchri Dominici adorandi gratia petiisse anno Domini M.LXIV. teste Lamberto Schaffnaburgensi, qui etiam narrat, in quod discrimen apud Ramam incurrerint, quibus ex Anglia, vel potius Normannia coniunxit se cum multis aliis Ingulphus tunc Aulicus; postea Monachus & Abbas, ita vt summa omnium peregrinorum ad septem millia ascenderet, vt scribit ipse Ingulphus, cuius historiam consule.



CAPVT XXVIII.

Sexta, eaq́ publica in Palæstinam Cruce signata expeditio.



ORTVO Cælestino III. de recuperatione terræ sanctæ admodum sollicito, successit Innocentius III. Pontifex optimus maximus & doctissimus; qui licet summis difficultatibus vndequaque ingruentibus non modò premeretur, sed & propemodum obrueretur; adeò tamen Hierosolymam curæ cordiq́; habuit, vt sine cuiusquam iniuria dici possit, eum plus cæteris omnibus Pontificibus hac in re elaborasse. Quid non tentauit, vt negotium hoc toties tentatum felici tandem successu Christianitatem exhilararet? cuius fores & excitandi & subsidij impetrandi gratia non pulsauit? Quas epistolas, & ad quos non scripsit; instans *opportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans in omni doctrina & patientia*; planè instar legitimi prædicatoris sanctæ Crucis?

Indixit & celebrauit generalem Synodum Lateranensem, in qua cùm alia salubriter decreta sunt; tum illud inprimis, vt omni ope pressis in Palæstina Christianis suppetiæ ferantur. Exstat adhuc *Ordinatio* eiusdem, vel potius Synodi Lateranensis *de recuperanda terra sancta*; ex qua suis locis multa huic nostro commentario intexuimus.

Vide Tom. 2 operum Innocētij fol. 180. 217. 218. 323. 225. 263. 264. 286. 287. 323. 499. 520. 525. 526. 549. 561. 562. 564 565.

Literas eiusdem argumenti plurimas ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosq́; præsules Ecclesiasticos; ad Reges & Principes; Comites, Barones, ad Respublicas & communitates, ad Regem & Episcopum Armeniæ, denique ad vniuersam Ecclesiam, omnesque Christi fideles misit; vt arma partim pro defensione, partim pro recuperatione terræ sanctæ corriperent.

Nec timuit ipsum Græcorum Imperatorem Alexium Comnenum, ad tam sacrum bellum inuitare; & quod hactenus otiosus duntaxat spectator fuisset, liberè increpare. *Murmurat aduersum te populus Christianus,* inquit Pontifex, *immo & ipse Iesus, vbi ille te increpat: Hospes fui, & non collegisti me: infirmus, & non visitasti me; in carcere, & non venisti ad me. Cùm enim, peccatis nostris exigentibus, venerint gentes in hæreditatem domini, & coinquinauerint templum sanctum eius, immo & ipsum Iesum Christum quodammodo captiuauerint, lignum sanctæ Crucis, in qua salus mundi pependit, & c. in qua etiam Apostolus se asserit gloriari; Mihi absit (inquiens) gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: nec Christo exuli subuenire, nec ad liberationem terræ natiuitatis ipsius intendere hactenus, sicut debueras, curauisti, cum tamen ex vicinitate locorum, quam abundantia diuitiarum tuarum, & potentia, qua inimicos crucis munere diuino præcellis, id potueris commodius & expeditius aliis principibus adimplere.*

Postea cùm Pontifex eundem monuisset, populum quoq; Christianum *murmurare* contra ipsum ob discessum à Romana Ecclesia, subiungit. *Vt igitur ex vtroque prædictorum murmur sileat populi Christiani, immo vt Christum tibi reddas propitium, celsitudinem tuam rogamus, monemus & exhortamur in Domino, & in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus postpositis aliis sollicitudinibus, viriliter ac potenter assurgas in adiutorium Iesu Christi, & ad terram ipsam, quam ipse proprio sanguine comparauit, de qua in Psalmo habetur, homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, & alibi: Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, liberandam de manibus paganorum, & restituendam pristinæ libertati, vt in ea nomen Domini glorificetur in sæcula, sicut tantus princeps manum extendas, & exercitum dirigas copiosum, sperans in eo, qui est spes omnium, qui non deserit sperantes in se, quòd paganorum multitudinem à facie tui exercitus effugabit. Nos enim remissionis & protectionis quam propter hoc aliis principibus Christianis indulsimus, te volumus esse participem, dummodo ad succursum terræ sanctæ potenter assurgas.*

Porrò cùm Alexius Imperator cohortationem Pontificis de ope ferenda sepulchro Dominico vafrè eluderet, quasi nondum Deo placitum esset, terram sanctam ex impiorum manibus eripere, hunc in modum occurrit magnanimus Pontifex. *Miramur quod imperialis prudentia pro recuperatione terræ sanctæ non esse laborandum visa est suis litteris innuisse: quia sicut ex detentione ipsius terræ poterat euidenter agnosci, nondum Dominus peccatis nostris fuerat complacatus, qui non in multitudine, nec in arcu, sed in virtute sua saluos facit de sua misericordia confidentes. Times enim, sicut tuæ literæ continebant, ne si tempus à Deo eiusdem terræ liberationi præuisum imperialis serenitas voluerit præuenire, se frustra laborasse deploret, & increpetur à Domino per Prophetam dicentem: Sibi regnauerunt, & non per me, dominati sunt nec me nouerunt.*

Verùm vt non tam ad reprehensionem quàm instructionem loquamur, si diligenter consideres & inspicias veritatem, longè aliter intelliges sentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet vnicuique secundum opera sua, cui seruitia coacta non placent, liberum homini concessit arbitrium, vt super his in quibus humanum posset inuenire remedium, dominum non tentaret: scriptum est enim. Non tentabis Dominum Deum tuum. Est igitur in tanta necessitate populi Christiani, vel potius Iesu Christi, tam tibi quàm vniuersis sacri baptismatis vnda renatis libero vtendum arbitrio, & subueniendum exuli crucifixo, ne si redemptionis eiusdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per teipsum, sed vniuersa relinquere dispositioni diuinæ, sepulchrũ dominicum à Saracenorum manibus præter tuæ subuentionis auxilium liberetur, & inde per negligentiam imperialis magnificentia diuinã incurrat offensam, vnde per sollicitudinem suam, gratiam Domini poterat promereri. Nunquid enim sensum Domini cognouisti? nũquid consilia-

consiliarius eius es? vt certus de dispositione diuina tunc primum arma moueas in Paganos, & ad liberationem Hierosolymitanæ prouinciæ accingaris, cùm Dominus misereri disposuerit populi Christiani, & hæreditatem suam de Saracenorum manibus liberare. Nonne legisti de altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sanè si diuinæ mentis arcana præscires, & liberationem dominici sepulchri occultæ reuelationis oculo præuideres, nunquid tibi meritorium esset, tunc primùm in terræ sanctæ subsidium proficisci, quasi velles dominum in suæ dispositionis executione iuuare, quæ per te nec impediri posset, nec etiam prorogari? Qui hoc sentiunt, dicere compellentur, desipuisse Prophetas, qui eos pœnitentiam agere prædicabant, quorum peccatum ex eorum contemptu Deus præuiderat aggrauandum. Vt cùm Moses iussu à Deo monuerit Pharaonem, vt dimitteret populum, induratum sic tamen cor eius, vt populum dimittere nollet, est flagellatus. Non erit etiam secundum opinionem talium vel desistendum à vitiis, vel virtutibus insistendum, sed standum potius dispositioni diuinæ: qua damnandos præuidit singulos, aut saluandos. Legit, sicut credidimus, imperialis excellentia, vel audiuit quod propter peccatũ Israëlitici populi quadraginta dies, quibus debuerat terram promissam intrare, in annos totidem Dominus commutauit, & è contrario ad contritionem & lachrymas Ezechiæ vitã eius inter quinos annos extendit. Ex quo potest plenè perpendi, quod & tempus persecutionis Sarracenicæ breuiare, qui in Euangelio de Antichristi persecutione loquutus adiecit: Nisi breuiati fuissent dies illi, salua non fuisset omnis caro.

Hac igitur tam pia, perenni & indefessa pastoris sollicitudine excitati sunt fere cunctis in partibus Christiani orbis, qui Crucem prædicarent, inter quos duo maximè eminuerunt, Fulco Parisiensis (de quo multa & præclara Otto de S.Blasio) & Rigordus qui sibi prædicationis socium asciuit Petrum de Rossiaco, *virum litteratum*, vt ait Rigordus: prẹter hos duos, inquit idem Rigordus, *Herloinus Monachus B.Dionysij Parisiensis, vir in sacris literis eruditus, crucem prædicauit: per cuius ministerium & prædicationis officium Britonum innumera multitudo cruces de manu eius assumpserunt, & subitò aliis peregrinis mari transito apud Achon, ductore Monacho iam dicto, peruenerunt: sed ibi in multis partibus diuisi rectorem non habentes, nihil ad perfectum duxerunt.*

Alter eximius Crucis prædicator fuit *Abbas quidam nomine Martinus* (repeto verba Ottonis) *ordinis Cisterciensis de Monasterio Perisio, quod situm est in Alsatia*; (siue vt Guntherus ait, *quod in Diœcesi Basileensi positum Parisius appellatur*) vir, vt idem Guntherus scribit, *facie iucundus, prudens consilio, familiaritate affabilis, eloquio gratiosus, inter fratres suos mansuetus, & humilis, vt quilibet illorum, apud seculares autoritate præcipuus, apud vtrosq; dilectus ac tractabilis haberetur. Hic à summo Pontifice Innocẽtio, qui tunc S.Romanæ Ecclesiæ tertius sub hoc nomine præsidebat, mandatum accepit, vt & ipse indubitanter*

Exstat Guntherus Tom.V. Antiq. lectionis, C.V. Doctoris Henrici Canisij.

tauter signum Crucis acciperet, & hoc idem aliis in partibus publicè prædicaret. Qui etiam mandato pontificali in vtroque obtemperans, confidenter & impigrè verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis pro eo, quod talis complexionis homo tantiq; laboris impatiens, ab omnibus putabatur. Habuit itaque sermonem ad clerum & populum in ciuitate sua, quæ græco vocabulo Basilea, id est, Regalis dicta est, in celebri Ecclesia beatæ Virginis Mariæ, vbi magna vtriusq; ordinis nouis excitata rumoribus conuenerat multitudo. Audierant quippe iam dudum alias circumquaq; prouincias ad hanc militiam Christi celebribus prædicationibus excitari. In partibus autem illis nullus adhuc eiusdem rei fecerat mentionem. Vnde & eorum quàm plurimi parati animo Christi castris se tradere, huiusmodi exhortionem totis desideriis expectabant. Stabant igitur omnes auribus arrectis, fixis in ipsum obtutibus, quid de hac re vel præciperet, vel moneret, quidue obtemperanti de diuina bonitate promitteret, cupidissimè præstolantes.

Quibus ille. *Verbum mihi ad vos, Domini mei & fratres mei, verbum mihi ad vos; non meum vtiq; sed Christi. Christus ipse verborũ auctor est; Ego fragile instrumentum. Christus vos hodie per os meum suis alloquitur verbis, suas vobis deplorat iniurias. Expulsus est Christus de loco sancto suo, de sede sua, deiectus est de illa ciuitate quam ipse sibi proprio sanguine dedicauit.*

Et post nonnulla: *Subuersa sunt Ecclesiæ, pollutum sanctuarium, regni sedes & dignitas translata est ad gentes. Sacrosanctum illud & venerabile Crucis lignum, quod Christi sanguine perfusum est, ab his, quibus verbum Crucis stultitia est, ita suppressum occultatur, ita vt nemo Christianus quid de illo actum sit, vel vnde requiri debeat, scire possit.*

Aliquibus interiectis addit. *Nunc itaq; validi Bellatores succurrite Christo: Date nomina vestra militiæ Christianæ, felicibus castris aggregari satagite. Vobis hodie causam Christi committo: Vobis ipsum, vt ita loquar, in manus trado, vt eum in hæreditatẽ suam, de qua crudeliter eiectus est, restituere studeatis. Ac ne vos illud terreat, quod hoc tempore gentilis rabies super nostros adeò inualuit, verum præcedẽtium vos cupio reminisci: Eo tempore, quo celebris ista expeditio sub nobili Duce Godefrido ceterisq; Francorum ac Theutonicorum principibus facta est, &c. Si autem quæritis, quid à Deo certi stipendij pro tanto labore sperare debeatis, certissimè vobis polliceor, quia quisquis signum Crucis acceperit, & puram fecerit confessionem, ab omini prorsus mundabitur peccato, & quocunq; loco, vel tempore, seu casu præsentem reliquerit vitam, æternam accipiet. Taceo nunc quod terra illa quam petetis, longè hac terra opulentior est atq; fœcundior; & facile fieri potest, vt multi etiam ex vobis in rebus etiam temporalibus prosperiorem ibi fortunam inueniant, quàm hic se expertos meminerunt.*

Nunc videte fratres quanta sit in hac peregrinatione securitas; in qua & de regno cælorum promissio certa est, vt de temporali prosperitate spes amplior. Ego ipse spondeo socium itineris, & laboris, & prout Deo placuerit, prospera vobiscum,

& aduersa partiri desidero. Nunc igitur fratres latis mentibus triumphale signum Crucis accipite vt, & caussam Crucifixi fideliter exequentes pro labore breui & modico magna & aeterna percipere valeatis stipendia.

Hac loquente venerabili viro cunctis, qui aderant, vehementer attonitis; videres lachrymas, tam per eius faciem, quàm per ora omnium largißime defluentes. Audires & gemitus singultus atque suspiria, & alia huiusmodi signa, quae internae compunctionis faciebant indicium.

Assentit denique vir Dei precibus illorum, & qui, vt iam diximus, à summo Pontifice curam animarum acceperat, exterioris quoque prouidentiae rogatus accepit officium. Tunc exhortans illos & confortans in Christo, cuius militiam professi erant, certum tempus constituit, quo rebus suis dispositis, parati omnes ad eundem locum ei occurrerent, ibiq; secum iter sanctae peregrinationis arriperent: Redeuntes autem ad propria, diligenter admonuit vt tempore medio castè & innocuè se haberent, & seipsos Christo, totius puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipse verò cum honesto comitatu praecipua & maximè populosa totius regionis loca circuiens crebras praedicando faciebat stationes, & plurimos ad eandem Christi militiam conuertebat. Quibus etiam illud curabat iniungere, vt, qui possent, praefixo tempore ad locum praedictum aliis occurrerent cum eis pariter profecturi. Qui verò propter temporis angustiam à negotiis suis expediri non possent, quam celerimè fieri posit, alios sequerentur.

Refert deinceps idem Auctor, quomodo Martinus cum *signato* exercitu Veronam, & inde Venetias peruenerit; vbi & alios aliarum nationum Cruce dominica insignitos repererunt. *Nam anno Dominica Incarnationis M.CCV. Dux Venetiarum cum Bonifacio Marchione de Monteferrato ac multis Italicis, nec non & Comes Flandrensis plurimiq; de regione Galliarum Hierosolymitanae Ecclesiae subuenire nitentes, cruce accepta per Graeciam iter arripiunt, &c.* Inquit Otto de S. Blasio. Et ipse Guntherus. *Erant in exercitu signatorum famosi & potentes viri quàm plures, tam seculares, quàm Ecclesiastici. Inter quos Balduinus Comes Flandrensis, & Bonifacius Marchio de Monteferrato, authoritate & viribus, atq; consilio praecipui habebantur. Et siquidem omnes vno consensu in hoc conuenerant, vt petentes Alexandriam, & eam viriliter obsidentes, nō tam belli fortunam quàm diuinae virtutis experirentur potentiam. Et factum fuisset, nisi Veneti negatis omnibus* cruce signatos modis omnibus vrsissent, vt prius in expugnatione Iaderae celebris in Dalmatia ciuitatis, sibi operam nauarent. Quod etsi grauatè fecerunt; fecerunt tamen, ne expeditio in irritum caderet, de quibus omnibus plura Guntherus.

Cùm igitur exercitus Cruce signatus circa fines Graeciae versatur, venit eò Alexius Comnenus, Filius Isaaci Angeli Imperatoris Constantinopolitani, quē Alexius Imp. frater, & minoris Alexij patruus, oculis

oculis priuatum regno exterminârat, etiam atq;etiam rogans, vt armis Cruce signatorum ipse cum Patre suo in imperium sibi debitum reduceretur; Vbi statim exercitus studia in contraria scissus est. *Maior enim pars in assensum iuuenis iam cœperat declinare. Pauci verò qui de Crucis prouentu magis erant solliciti, obnixè dissuadebant: dicentes, id quod & verisimile putabatur; præfatum iuuenem sine ferro & sanguine nullatenus posse restitui: videbatur enim eis stultum & improbum, paucos homines peregrinos, nec habentes quò se reciperent, omisso sanctæ peregrinationis proposito, certo suo periculo pro commodis alienis, tantæ vrbi, tam munitæ, tam populosæ bellum indicere, quod sine multa cæde alterutrius partis, vel fortassis vtriusque, terminari non posset.*

Qui rumor Romam perlatus, anxium reddidit Pontificem. *Erat enim de consilio & sententia eiusdem summi Pontificis, qui de Crucis negotio maximè anxiabatur, vt nostri recto cursu versus Alexandriam nauigarent. Permittebat etiam eis, vt de locis maritimis Romaniæ, quam alluit id mare, cibos inemptos, id est, absque precio moderatè tollerent, qui eis ad annum dimidium possent sufficere. Quod suum consilium, quia mutari metuebat, & Crucis profectum terrenis occupationibus impediri, meritò tam ipse, quàm alij omnes nouis rumoribus turbabantur.*

Sed præualuit eorum sententia, qui precibus Alexij locum dandum esse contendebant. Exercitus ergo, qui mox, capta Iadera, versus Alexandriam tendere festinabat, mutato proposito, huic tātæ ciuitati bellum indixit, *& directo nauigio fines eius hostiliter ingressus est, & positis castris haud longè ab ipsis mœnibus vrbis, ad bellum paratus consedit:* primoque statim congressu imperij inuasorem Alexium in fugam conieicit, & Alexium iuniorem solio regali restituit, quem tamen Murciflo statim interemit. Qua indignitate moti *Crucesignati* vrbem oppugnant, & quod nimirum dictu, multoq; magis factu, expugnant & diripiunt, infinita præda reperta, plurimisq; cæsis, vt ex Niceta liquet. Etsi Gūtherus paucos ex ciuibus occubuisse scribat, qui & hoc obseruatione dignum. *Mulieres, & paruuli, ac decrepiti senes, qui fugere nō valentes in vrbe remanserunt, in occursu nostrorum digitum digito in formam Crucis implicantes, satis flebiliter: agios Phasileos Marchio, decantabant, quod Latinè: sanctus rex, Marchio, interpretatur, quod ideo faciebant, quia Marchionem quem maximè Græci nouerant, & idcirco inter nostros maximum reputabant, captæ vrbis regem haud dubiè cogitabant, quod tamen Deus aliter disponebat.*

Scribit insuper Nicetas vrbe capta *omnes cum crucibus & sacris imaginibus, vt in pompis, & festiuitatibus moris est, Latinis obuiā iuisse, illos verò nihil eo conspectu habitum animorū commutasse, neq; vel paululum arrisisse.* Ita quidem hostis Latinorū Nicetas. Ad quę in margine Caluinianus ista. *Eiusmodi spectacula vix mouent homines ad cædem & prædam paratissimos.* Os Caluini-

ſtæ. Anne te tuosque gregales mouerent, ſi qui tibi gratiæ impetrandæ gratia occurrerent; ſacriſque imaginibus te & tuos mitigare vellent? An non viſis cruce & imaginibus, magis exaſperaremini, & ex lupis leopardi & tygrides, & ſi quid ſæuius & truculentius eſt, efficeremini? An non paulò antea, cùm Nicetas narraret, Murzuflo à Comite Flandriæ Balduino imaginem Dei genitricis, quam Romanorum Imperatores *belli ſociam aſciſcunt*, ereptam fuiſſe, ad oram libri hoc conuitium attexuiſti? *Superſtitionis ſuæ ſpoliatur inſignibus.* Si cruces & imagines ſunt ſuperſtitionis inſignia, vtique virum bonum mouere non deberent. Atqui tu *his ſpectaculis*, ais, *non moueri homines ad cædem & prædam paratiſſimos*. Oportet igitur vos eſſe ad cædem & prædam paratiſsimos, quia his non magis mouemini, quàm ſtipes. Et quodnam crimen eſt his non moueri, ſi ſunt *inſignia ſuperſtitionis?* vt tu quidem diſciplinæ Caluinianæ conuenienter tradis.

Abſit autem à Catholicis Chriſtianis, & cruce ſignatis, quales erant, qui Conſtantinopolim occuparunt, vt *cruci* & *imaginibus* nihil reuerētiæ & honoris habuerint. Nam Nicetas iuratiſsimus Latinorum hoſtis, qui mille conuiitis Latinos inſectari, & κατεργοποτάτους appellare audet, hæc & ſimilia ſuo dedit Monacho, non hiſtoricæ veritati; ſicut & illud *diuinum ſanguinem & corpus Chriſti humi effuſum & abiectum eſſe.* Vbi Caluiniſta. *Abſit vt Chriſti corpus in cœlis ſedens humi abiiciatur.* Mi homo, non tantùm in cœlis ſedet, ſed & in Euchariſtia præſens eſt; dixit enim accepto pane, *hoc eſt corpus meum.* Et accepto calice: *Hic eſt ſanguis meus.*

Porrò quod Nicetas de Dei Genitricis imagine hoſtibus erepta ſcribit, id etiam Balduinus Comes Flandriæ, & poſtea Imperator Conſtant. indicat in epiſtola ad Archiepiſcopum Colonienſem, vbi hæc de Murzuflo, qui imperium inuaſerat; *fuga ignominioſa conſulens ſibi clypeum abiicit, arma deponit, & noſtris vexillum imperiale dimittit, nobilemq́. quam ſibi præferri fecerat, iconā, quam ordini Ciſtercienſi noſtri dedicauere victores.* Videtur autē hæc imago fuiſſe illa, quam Græci vocabant νικοποιὸν, *victoriæ effectricem*, de qua crebra mentio apud Zonaram, Cedrenum, Nicephorum, quam etiam Ioannes Comnenus imperator currui triumphali triumphans de Vngaris impoſuit: nec ſimul currum conſcendere voluit, ſed προῆγεν αὐτὸς σταυρικὸν σημεῖον ἐπαγόμενος, *præcedebat crucem geſtans*, vt ait Nicetas.

Aegerrimè tulit Nicetas Conſtantinopolim à Latinis captā eſſe, & quidem à *Cruce ſignatis*. Sed meminiſſe debebat, non modò eius, quod ipſe Alexio Comneno publicè acclamatum teſtatur. ἡ πολιτικὴ, τὸ δίκαιον, *ciuilis gubernatio eſt Iuſtitia*; ſed & eius, quod ad prædicti imitationem

nẽ formari poteſt. ὁ Θεὸς τὸ δίκαιον, *Deus eſt Iuſtitia*; qui vlciſci voluit per hunc cruce ſignatum exercitum tot iniurias Cruce ſignatis exercitibus illatas. Quid damni per ſe & ſuos adminiſtros non intulit Alexius Comnenus expeditioni primæ? Quid Manuel non machinatus eſt contra exercitũ Conradi Imperatoris, & Ludouici Franciæ regis? Quid inſidiarum nõ ſtruxit Iſaacus Comnenus copiis Friderici Imperatoris? Quid fœderis non inierunt cum Sarracenis, & Saladino in perniciem vindicum ſepulchri, & Crucis dominicæ? Et adhuc mutire audet Nicetas? *Sic itaq; diſtrictus Iudex*, inquit Otto de S. Blaſio, *omnipotens Deus iniurias peregrinorum ſuorum vindicauit, quæ à Græcis ab antiquo, omnibus Hieruſalem per fines ſuos tendentibus ſemper irrogata eſt. Deus vltionum Dominus, reddens retributionem ſuperbis: nec tamen in ira ſua miſericordiæ oblitus, quod hoc flagellum non à paganis, ſed à Chriſtianis ſuper filios peſtilentiæ induxit: hoc nimirum meritis Sanctorum exigentibus, ne præclaræ eorum reliquiæ manibus paganorum polluerentur, ſed à Chriſtianis aliò tranſlatæ, debito colerentur honore.*

Ergo huic expeditioni *cruciatæ* Deus non Hieroſolymam, ſed imperium illud Græcorum, arrogantia tumidum, & ſchiſmate diſſolutum, & tot Chriſtianorum cædibus contaminatum tradere voluit, tradiditque in manu potenti, & brachio extenſo. Quiritetur Nicetas, & exclamet tragicè. *Voſne hæc decent, qui veſtra opinione docti, ſapientes, fideles, veraces, probi, nobis Græcis religioſiores, iuſtiores, & præceptorum Chriſti obſeruantiores eſtis, & quod maius eſt, qui crucem Chriſti in humeros ſuſtuliſtis, eamq; & diuina oracula ſæpe teſtati eſtis, vos Chriſtianas prouincias citra ſanguinem tranſituros, nec ad dexteram, nec ad læuam declinantes, ſed contra Sarracenos armaſſe manus, eorumq; ſanguine tincturos eſſe gladios, qui Hieroſolymam expugnaſtis, qui vos conſuetudine, & colloquio mulierum temperaturos promiſiſtis, quamdiu crucem in humeris tuleritis, vt Deo conſecratos viatores. Nugatores, eos eſſe planè conſtat, qui dum diuinum ſepulchrum vindicant, manifeſtè contra Chriſtum inſanierunt; & cum cruce crucem violarunt, & deſtruxerunt, quam humeris baiulabant.* Crucem non deſtruxerunt, ſed iniurias cruci, & cruce ſignatis illatas virili dextera vindicarunt. Nam quod ait Nicetas, *captis Hieroſolymis Sarracenos mitius egiſſe cum Chriſtianis, quàm cruce ſignatos cum Conſtantinopolitanis*, id inprimis cæteris furentis Nicetæ hyperbolis adſcribatur; deinde ſi mitius egerunt, id mirum non erat, quia minus Deum offenderant, quàm vos tot cædium, & latrociniorum, totq; pernicioſorum ſchiſmatum, & Chriſti Sarracenis nefariè proditi, rei.

Apoſtrophe ad vrbem, quã Nicetas habet, nunc locũ habet, occupata vrbe à Turcis. Hanc Threnodiam ſi Nicetas nũc nobis decanta-

ret,aures præberemus,minimè autem tunc, cùm vrbs à cruce ſignatis ſub iugum miſſa.

Agnoſcimus,inquit Nicetas, *peccata noſtra, iniurias patrum noſtrorum. Define Domine per miſericordiam tuam.* Imò ne hodiè quidem tam tyrannica ſeruitute oppreſsi, & tot calamitatibus attriti ſcelera, & flagitia veſtra agnoſcitis. Nihili hæc agnitio, ô Niceta, nihili vanæ huius agnitionis prædicatio. Si miſericordiam obtinere cupis, aliter peccata agnoſcenda & expianda erunt. Agnoſcendum intimo cordis dolore pernicioſum veſtrum ſchiſma. Agnoſcendum ſcelus,quo vos tot cruce ſignatorum cædibus inquinaſtis? Agnoſcenda ſupina, imò pluſquam ſupina vecordia,qua totum orientem impiis Sarracenis tradidiſtis & prodidiſtis.

Sed ad Martinum reuiſamus. *Cùm victores*,inquit Guntherus, *vrbem victam,quam iure belli ſuam fecerant,alacriter ſpoliarent,cœpit Martinus Abbas de ſua etiam præda cogitare:ac ne aliis omnibus ditatis, ipſe vacuus remaneret, propoſuit & ipſe ſacratas ſuas manus ad rapinam extendere. Sed quam prædam rerum ſæcularium eiſdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere cœpit,vt de reliquiis Sanctorum,quorum ibi magnam ſciebat eſſe copiam,aliquam ſibi corraderet portionem. Aſſumpto igitur ſecum altero è duobus Capellanis, neſcio quid grande præſagiens, quandam petit Eccleſiam, quæ in magna veneratione habebatur, ex eo quod mater famoſiſſimi Imperatoris Emmanuelis ibi nobilem habebat ſepulturam, quod cum Græcis magnum videretur,noſtri pro nihilo reputabant. Ibi de tota circumpoſita regione plurimum pecuniæ repoſitum ſeruabatur,nec non & reliquiæ precioſæ, quas de vicinis Eccleſiis, atq; cœnobiis ad eum locum ſpes vana ſecuritatis fecerat congregari, quod etiam noſtris ante vrbis expugnationem, ab his quos Græci expulerant, fuerat intimatum. Quam Eccleſiam cum multi peregrinorum ſimul irrumperent, & alij circa res alias, aurum ſcilicet & argentum, & precioſa quæq; diripienda cupidè occuparentur, Martinus indignum ducens ſacrilegium,niſi in re ſacra committere, locum petiit ſecretiorem, vbi ea,quæ maximè affectabat,reperiri poſſe ipſa loci religio promittere videbatur. Inuenit ibi ſenem quendam venuſta facie,barbaq; prolixa & cana, ſacerdotem vtiq;, ſed noſtris ſacerdotibus ipſo corporis habitu valde diſſimilem. Vnde & Abbas laicũ ratus, placido quidem animo, ſed voce quidem terribili vehementer increpitans, Age,inquit, perfide ſenex, oſtende mihi quas potiores ſeruas reliquias,vel ſcias te ſtatim mortis ſupplicio perimendum. Ille verò clamore potius,quàm verbis territus, quippe qui clamorem audiens,verba intelligere non valebat,ſciens nec illum Græci ſermonis habere commercium: Romana lingua, quam ex parte nouerat, cœpit hominem mitigare, & iram eius, quæ nulla erat, blanditiis emollire. Adhæc verò Abbas in pauca eiuſdem linguæ verba vix potuit eluctari, vt eidem ſeni, quid ab eo exigeret, aperiret. Tunc ille vultum eius habitumq; conſiderans & illud tolerabi-*

lius

lim indicans, si homo religiosus sacras reliquias cum timore ac reuerentia contrectaret, quam si seculares viri fortassis cruentis manibus funestarent, ferratam ei arcam aperuit, ostendens ei thesaurum desiderabilem, quem super omnes gazas Graciæ Martinus Abbas sibi gratum, & desiderabilem indicabat. Quem videns Abbas, festinanter, & cupidè vtrasq; manus immersit, & vti strenuè succinctus erat, sacro sacrilegio sinus suos implens, tam ipse, quàm Cappellanus ea, quæ sibi potissima videbantur, sagaciter occultauit, & protinus egressus est.

Porrò reliquiarum quas Martinus accepit, longum catalogum texit Guntherus; inter cæteras enumerat; *lignum Dominicæ crucis*, & *vestigium sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui pro redemptione totius generis humani effusus est*, & *particulam de loco natiuitatis Domini, de loco Caluariæ, de sepulchro Domini, de lapide reuoluto, de loco dominicæ Ascensionis, &c.* quas secum in Germaniam detulit: cumque capta Constantinopoli exercitus *cruce signatus*, de munienda potius, & retinenda Constantinopoli, quàm de Hierosolyma recipienda cogitaret, ipse tanto Reliquiarum thesauro onustus, in Palæstinam migrauit, & inde in Germaniam ad Cœnobij sui administrationem feliciter regressus est.

Et hunc cruciata hæc expeditio exitum sortita est. Qui plura cupit, legat Guntherum, & epistolam Comitis de S.Paulo ad Ducem Brabantiæ, & aliam Balduini iam Imperatoris Constantinopolitani, ad Coloniensem Archiepiscopum, quas Annalibus suis intexuit Godefridus Monachus. In priore maximè obseruanda est hæc cruce signatorum pietas. nam imminente prælio *ad peccatorum nostrorum cucurrimus confessionem*, inquit Comes de S.Paulo, *in Dei solùm misericordia confidentes. Postea nostras ordinauimus pugnas*; Epistolam claudit his verbis. *Si quis ergo Deo vult seruire, cui seruire, regnare est, & nomen habere militiæ conspicuum & clarum, tollat crucem, & sequatur dominum, & veniat ad tornamentum domini, ad quod ab ipso domino inuitatur.*

Apud Arnoldũ lib.6. Chronici cap.19. & 20. Exstant duæ epistolæ Balduini de capta Constantinopoli; altera ad Othonem Imperatorem: altera ad omnes Christi fideles.

In epistola Balduini Imperatoris illud potissimùm memorabile; quod ait: *Cuneis ordinatis, ante portam diu stetimus regiæ ciuitatis, & palatij imperialis, quod Blankerna nuncupatur, in nomine Domini agminum Israël, præcedente cruce viuifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire.*

Nec prætereunda illa pietatis plena promissio. *Sed nec in his desidia nostra subsistet, nec ab humeris nostris vexillum regale deponet, donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus inuisere transmarinas; & dante Deo, propositum transmigrationis adimplere. Speramus enim in Domino IESV, quod qui cœpit in nobis opus bonum, ad laudem, & honorem nominis sui, inimicorum crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit solidabitq́. Celsitudinem*

dinem igitur vestram propensius exoramus in domino, vt gloriæ huius atq; victoriæ, & spei præoptatæ, cuius ostium magnum nobis apertum est, velitis esse participes. Quod absq; vlla nobis dubitatione continget, si terræ vestræ nobiles atq; ignobiles, cuiuslibet conditionis aut sexus, eisdem desideriis accensos, ad nostras immensasq; capessendas diuitias temporales pariter & æternas, non solùm permissa licentia, sed salutaribus monitis accendatis. Vniuersis enim, dante Deo, sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit. Vniuersos volumus simul & possumus secundum status suos varietatemq; natalium, & augere diuitiis, & honoribus ampliare.

Addamus & illud Godefridi: *Capta vrbe, diuitiæ reperiuntur inæstimabiles, lapides preciosissimi, & incomparabiles, pars etiam ligni Dominici, quod per Helenam de Hierosolymis translatum auro, & gemmis preciosis insignitum in maxima illic veneratione habebatur, ab Episcopis, qui præsentes aderant, incisum cum aliis preciosissimis reliquiis, per nobiles quoq; partitur, & postea eis reuertentibus ad natale solum per ecclesias, & cœnobia distribuitur.*

CAPVT XXIX.

Septima, eaq; solennis, & publica in Palæstinam cruciata expeditio.

DIXIMVS superiore capite, quanta cura incubuerit Innocentius III. Pontifex ad hoc, vt terræ sanctæ subsidium tempestiuè mitteretur; eaq; de caussa etiam Lateranensem Synodum generalē conuocasse; Anno Domini M.CCXV. in quo cum alia sancita fuêre, tum illud, totis viribus quamprimùm Palæstinæ periclitanti succurrendum esse, misis quoquo versus *prædicatoribus crucis*, inter quos & ipse Innocentius, qui, vt refertur in Chronica Augustensi, Anno M.CCXVI. *ab vrbe egressus, verbum Crucis in Tuscia prædicauit, & apud Perusium ciuitatem in diuisione Apostolorum obiit, ibiq; sepultus est.*

Antequam tamen moreretur, hæc decreuit de loco, vbi peregrinis *crucesignatis* conueniendum erat. *Ad liberandam terram sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, de virorum consilio, qui plenè nouerant circumstantias temporum & locorum, sacro approbante Concilio, definimus, ita vt crucesignati se præparent, quod in Calendas Iunij sequentis post proximum, omnes, qui disposuerunt transire per mare, conueniant in regnum Siciliæ, alij, sicut oportuerit, & decuerit apud Brundusium, & alij apud Messanam, & partes vtrobiq; vicinas, vbi & nos personaliter, domino annuēte, disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio, & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione diuina & Apostolica profecturus. Ad eundem quoque terminum*

num se studeant præparare, qui proposuerunt per terram proficisci. Significaturi hoc interim vobis, vt eis ad consilium & auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus.

Dies profectioni præstitutus, cuius fit mentio in hac constitutione, fuit primus Iulij, Anni M.CCXVIII. teste Vrspergensi, cuius sunt hæc; *& quia dispositum fuerat in Concilio generali, vt eo anno in Kalend. Iulij cruce signati iter arriperent, multi de partibus Alemanniæ proficiscuntur. Ast ne pergant, in ciuitatibus Apuliæ impediuntur: sed auctoritate sedis Apostolicæ votum eorum differtur, & inutilibus remittitur per compensationem.* *Videtur legendum; Iunij, cũ ita sit in Constitutione Innocentij.*

De eodem Pontifice Godefridus in Annalibus, *Anno Domini M.CCXIV. Dominus Papa dolens sanctam terram tanto tempore sub potestate, & ludibrio paganorum constitutam: missis literis suis per omnes fines Christianorũ, quoslibet idoneos magistros prædicare crucem præcipit, vnde per diuersas prouincias innumerabilis multitudo pro amore Christi, & liberatione sanctæ terræ cruce se signat.*

Sed hæc tam salutaria consilia mors Pontificis interuertit. Honorius tamen III. successor Innocentij, antecessoris sui vestigiis insistens, officio suo non defuit, qui cruce signatis, prædicatione Innocentij excitis, Ioannem Columnam Cardinalem Legatum adiunxit. Dederant in hanc expeditionem varij, iique maximi, & nobilissimi Principes sua nomina. Nam vt Chronicum Augustanum habet, Annõ M.CCXVII. *Rex Vngariæ Andreas, & Leopoldus Dux Austriæ, Dux Morauiæ, Otto Episcopus Babenbergensis, Ebertus, & nobiles, & Comites cum manu valida transfretarunt ad succursum terræ sanctæ.*

Eadem fusius Godefridus Monachus, *Anno prædicto, Andreas Rex Vngariæ, Lupoldus Dux Austriæ, cum Episcopis & Comitibus, & copiosa multitudine signatorum mare transierunt. Item VVilhelmus Comes Hollandiæ, & Georgius Comes de VVide, cum aliis cruce signatis Teutoniæ, ad terram sanctam nauigio proficisci desiderantibus, super vnum de nobilioribus terræ fluuiis, fluuium Mosam congregati sunt apud Vlerdinge. Quarto igitur Kalend. Iunij prædicti peregrini se, & sua illi commendantes, cui est in vestimento, & femore scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium, oppansis velis lati mare conscendunt, sicq́; in pulchro comitatu sulcantes æquora in Kalend. Iunij applicant in Anglia apud Dertmudin.*

Platina huic expeditioni annumerat Henricum Comitem Niuernensem, & Gualterum Regis Franciæ Camerarium.

Porrò quò VVilhelmus Comes Hollandiæ, & alij Germani, qui in classe eius erant, delati sint, docet Godefridus his verbis. *Tertio Nonas huius mensis hinc recedentes perueniunt ad mare Britannicum, vbi inter rupes in mari latẽtes, confracta est nauis de Munheim, Inde applicant in Britannia apud S.*

Matthaeum in finibus terrarum, quod vulgari nomine, Finsposterne dicitur. Hinc perueniunt ad portum Phare in regno Legionensi. Ibi naues in portu relinquentes, petunt limina gloriosi Apostoli Iacobi in Compostella. Item, praefati cruce signati in martyrio beatorum Petri & Pauli, naues intrant, mare ascendunt, vbi orta tempestate saeuissima, separata sunt naues VI. Non. Iulij, & Comes Hollandiae, portum petunt cum pluribus nauibus in regno Portugalensi, in cuius introitu tres naues confractae sunt. Comes verò de VVide cum aliis nauibus reliquis intrauit portum in eodem regno. Inde recedentes VI. Id Iulij proxima sequenti feria portum intrant Vlixibonensem. Cùm itaq; cruce signati per aliquot dies in hoc loco morarentur, expectantes alias naues, cum quibus condixerant, accesserunt ad eos Seuerius Episcopus Vlixibonensis, Episcopus Elborensis, Martinus Commendator militiae de Palmela, Templarij, Hospitalarij cum aliis nobilibus Portugalliae, suas eis continuas tribulationes, & angustias ex nimia vicinia Sarracenorum querulosè ac lamentabiliter exponebant, asserentes castrum quoddam esse in foribus ipsorum, à Sarracenis inhabitatum nomine Alchaz, à quo olim fratres qui de Gladio appellantur, sunt eiecti & captiuati, addentes etiam hoc castrum in pensione centum Christianorum suo regi de Marrocb singulis annis fore obligatum.

Seuerus.

Narrat deinceps Godefridus, quomodo cruce signati supradictam arcem expugnârint, & in Christianorum potestatem redegerint, superatis quatuor Regibus, qui obsidionem solutum venerant, caesisque quatuordecim Sarracenorum millibus praeter captiuos, *qui infiniti erant*, inquit Godefridus, *insuper etiam Galea, quas per mare adduxerunt, fugata sunt. Reliquerunt etiam in campo omnia tentoria cum tota supellectili sua.* Ait Caesarius, captiuos affirmasse, *candidissimam aciem Cruces rubeas in pectore gerentem, suorum multitudinem in fugam conuertisse.* Subditq; Caesarius: *Haec mihi relata sunt ab his, qui certamini interfuerunt, & ex ore Sarracenorum, quae dicta sunt, audierunt.*

Caesar lib. 8. cap. 67.

Quando autem isti ex Lusitania venerint in Palaestinam, infrà docet Godefridus. Hoc certum, eò etiam Andream Hungariae regem, & Leopoldum ducem Austriae aliosque peruenisse. Ita enim Godefridus. *Eodem anno M. CCXVII. feria sexta, post festum omnium Sanctorum Patriarcha Hierosolymitanus cum magna deuotione tam Cleri, quàm populi tollens viuificae Crucis signum, profectus est ab Acaron in castra Domini, quae iam processerant ad Recordanna. Hoc autem dulce lignum post terram sanctam perditam reuerenter depositum, diligenter seruatum est vsq; ad haec tempora. Imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis, cogitauerunt prudenter Christiani diuidere lignum in partes duas, & partem vnam ad praelium deferre, quae ibidem perdita fuit, & partem aliam reseruare, quae nunc exhibetur. Cui Rex Vngariae, & Dux Austriae de loco castrorum progressi, nudis pedibus occurrentes deosculati sunt eam, cum tali signo obuiam euntes Soldano Babylonis, cuius filius Coradinus*

Nihil, quod legerim, simile alij.

radinus iactauerat se pugnaturum cum Christianis, qui Acaron fuerant congregati: Ideoque ordinatis aciebus obuiam illi processerunt per planum Faba vsque ad fontem Tubania, multum eo die laborantes. Præmissis etiam exploratoribus, puluis ascendens à longè aduersariorum motum indicabat: Sed incerti fuerant, vtrum contra eos, an fugiendo properarent.

Sequenti verò die secus montes Gelboë, quos habuerunt ad dexteram, & paludem ad sinistram incedentes, venerunt Bethsaidam, vbi castra fixerat aduersarius. Sed trium Regum Vngariæ scilicet, Hierosolymitani & Cypri non sustinens præsentiam, fugiens terram vastandam Christianis reliquit. Vnde Iordanem transeuntes in vigilia S. Martini corpora sua pacificè lauerunt, & requieuerunt per triduum, deinde secus littus maris Galilææ tres mansiones fecerunt peragrantes, in quibus saluator conuersatus est: aspicientes Bethsaidam ciuitatem Andreæ & Petri nunc in casale modium redactam. Demonstrata sunt loca, vbi Christus discipulos vocauit, & supra mare siccis pedibus ambulauit: desertum transierunt, & loca, vbi Dominus turbas pauit, & vbi cum discipulis post resurrectionem manducauit, sic per Capharnaum in iumentis infirmos suos portantes reuersi sunt Acaron, cum præda ac multitudine captiuorum. Deinde ad montem Thabor peruenerunt, vbi Coradinus castrum fortissimum cum LXXVII. turribus construxerat, & duo millia conductorum militum ad resistendum Christianis locauerat. Vbi primo aquarum inopiam, postmodum per modicam fossionem inuenientes copiam, pabuli & victualium abundantiam habuerunt. Sarracenum quoque impuberem ad eos descendentem baptizarunt.

Porro prima Dominica Aduentus Domini Patriarcha cum vexillo montem conscendit, Episcopis & Clero psallentibus & orantibus. Verùm licet mons ab omni parte præruptus sit, & excelsus valde, & impossibilis ad descendendum intra semitam tritam, milites tamen, satellites, equites & pedites viriliter ascendentes primo impetu strauerunt Castellanum & Admiraldum vnum, cùm aliis interfectis, qui portas castri egressi fuerant ad defensionem montis. Ceteris autem in stuporem versis, & intra mœnia receptis, quo hominum consilio vel Dei iudicio, ab impugnatione castri recesserint, & inglorii descenderint ignoratur. In tertio equitatu tui Patriarcha cum ligno Crucis & sacri Episcopi non interfuerunt, multa damna & incōmoda tam per latrunculos, quàm hyemis asperitatem perpessi sunt, & præsenti in vigilia natiuitatis Domini; & nocte sequenti: quæ nisi abbreuiata fuissent, propter inopiam lignorum, & vestimentorum penuriam, magna pars exercitus periisset in finibus Tyri iuxta Sareptam.

Porro naualis exercitus, qui ad Vlysiponem hyemauerat, inquit Godefridus, *pridie Kalendas Apriles anno M. CC. XVIII. mare ascendit*, variisq; actus casibus ad extremum Acconem appulit. *Ibi placuit Patriarcha*, inquit Godefridus, *regi* (Hierosolymitano Ioanni) *Episcopis, Ducibus, Hospitalariis, Templariis, ceterisq; Cruce signatis nauigio in Ægyptum de-*

ſcendere, & inimicorum ſanctæ Crucis potentiam, auxiliante Deo, conterere. Vnde accidit, vt in Aſcenſione Domini cum claſsis congregatio apud prædictum caſtrum indicta fuiſſet, & maiores diem & locū obſeruarent, claſsis ipſa (Chriſto duce) proſperis ventis vſa Damiatam infra triduum applicuit, & abſq; Chriſtianorum ſanguinis impenſa terram hoſtilem viriliter occupauit, ſine capitaneis, qui pauliſper morati propter prædictam cauſam nondum venerant.

Exponit deinde Godefridus, quanta Chriſtiani in tam diuturna Damiatæ obſidione perpeſsi ſint; Miraculi ſpeciem habuit hoc. *Nocte S. Agathæ Virginis, Deus innouans virtutis ſuæ miracula, tantum pauorem Soldano Babylonis & Satrapis eius incuſsit, vt relictis caſtris, ignorantibus etiam Ægyptiis, quos ad reſiſtendum ordinauerat, in ſola fuga ſpem poneret.*

Aderat inſuper Patriarcha, qui Crucem baiulabat ſolatium exercitus, in eaſque anguſtias venit Soldanus, vt pacem à Chriſtianis peteret: pacis capita hæc erant, vt *crucem ſanctam*, quæ capta fuit in victoria *Saladini, cum ciuitate ſancta, & omnibus captiuis, qui per regnum Babylonis & Damaſci viui reperiri poſſent, ſumptus etiam ad reparandos muros Hieruſalem redderet, inſuper regnū Hieroſolymitanum totaliter reſtitueret, præter Craceū & montem Regalem.* Sed in hoc *conuenerunt fideles, vt primùm ciuitas expugnaretur, licet opus cauſa liberationis ſanctæ terræ fuerit inchoatum, & omnium cruce ſignatorum talis fuit intentio:* quæ etiam anno Domini M. CCXIX. Nonis Nouembris, in ius Chriſtianorum conceſsit, magno omnium gaudio & applauſu.

At non longè pòſt ſucceſsit mœror. Nam anno M. CCXXI. Reddita eſt per tranſactionem quandam Damiata Sarracenis, vbi aderant, inquit Chronicon Auguſtenſe, *Ludouicus Dux Bauariæ, Vlricus Patauienſis Epiſcopus, qui eodem anno transfretauerant, & alij quàm plures nobiles & ignobiles, quorum non extat numerus, qui fugam arripientes vix euaſerunt. Vlricus Patauienſis Epiſcopus ab expeditione rediens tranſmarina, in via obiit.*

Fuerat autem Ludouicus Dux Bauariæ Cruce ſignatus apud Andernacum M. CC. XV. & plurimi nobiles cum illo, vt teſtatur Godefridus. Qui non immeritò arbitratur, peccata in hanc miſeriam Chriſtianos traxiſſe: quia Soldanus prius eis promiſerat, ſeſe regnum Hieroſolymitanum redditurum, vrbem reædificaturum: Damiatam quietè cum adiacente regione ad XX. milliaria poſsidendam conceſſurum, ne vlterius in terram ſuam procederent. Et tamen hac tam liberali oblatione & ſponſione non contenti, vlterius progredi & Cairum ſeu Memphim ſubiugare tentabāt. Quo factum, vt in eas calamitates inciderent, quibus ad tam ignominioſam tranſactionem adacti fuerunt.

Ait

Ait Platina, ex pacto redditum tunc à Sarracenis Crucis lignum Christianis, Ducesq; Christianorum cum moliri in Asia nil posse viderent obstantibus hostibus, cum Ioanne Columna in Italiam rediisse, eosque subsecutum Ioannem Hierosolymitanum Regem, cùm Romam venisset, perbenignè magnis donatum muneribus ab Honorio susceptum esse.

Peregrinationis Andreæ regis Hungariæ, qui pater fuit sanctæ Elisabethæ, meminit etiam Ioannes Turocius in Chronicis Hungaricis. *Postbac Rex Andreas terram sanctam visitauit ad mandatum Domini Papæ, quod mandatum acceperat dum esset adhuc Dux; sicut habetur extra de voto & voti redemptione; Licet vniuersis. Quia ipse compleuit & redemit votum patris, & ibi in terra sancta super exercitum Christianorum contra Soldanum Babiloniæ capitaneus & Dux præficitur; & mox victor efficitur gloriosus. Mansit autem tribus mensibus. regali deniq; thesauro exposito diuersorum sanctorum per ipsum reliquiæ comparantur. Caput videlicet sancti Protomartyris Stephani, & caput B. Margarithæ Virginis & Martyris; dextra beati Thomæ Apostoli & S. Bartholomæi, item de virga Aaron; & vna de sex hydriis billis, in quibus Christus mutauit aquam in vinum: & aliæ multæ, quas potuit tunc congregare. Reuersusq; in Hungariam cum preciosis thesauris Sanctorum, regnum suum reinuenit in prospero statu, non tamen hoc suis meritis, sed Sanctorum, quorum reliquias afferebat, ascribi voluit.*

Nimis tamen citò & importunè deseruit Andreas sacram militiam. *Reges Vngariæ & Cypri*, inquit Godefridus, *cum magna multitudine peregrinorum, & damno terræ promissionis, Tripolim profecti sunt, licet multa supplicatio Patriarchæ & aliorum frustrà regi Hungariæ facta præcesserit.* Nec descenderunt cum reliquis in Aegyptum ad obsidionem Damiatæ.

CAPVT XXX.

Octaua eáque publica & generalis in terram sanctam Cruciata expeditio à Friderico II. Romano Imperatore suscepta.



VANDO Fridericus hoc nomine secundus crucem acceperit, docet in Annalibus suis Godefridus his verbis. *Anno Domini M. CC. X V. in ipsa vigilia B. Iacobi Apostoli, Fridericus Rex Siciliæ, cum quibusdam Principibus & nobilibus totius Lotharingiæ, Aquisgranū veniens, sequenti die, scilicet in Festo S. Iacobi à Syfrido Legato Apostolicæ sedis, Coloniæ Archiepiscopo non existente, in regem vngitur, & in regali sede collocatur. Quo mox consecrato, Iohanne Xantensi scholastico, Crucem ibidem prædicante ad subuentionem terræ sanctæ, cruce signatur. Post quem Syfridus*

dus Moguntiensis Archiepiscopus, Leodicensis, Bauinbergensis, Pattauiensis, Argentinensis Episcopi, Dux Meraniæ, Dux Brabantiæ, H. Dux de Lynburg, Dux de Ancei, Palatinus Comes de Tuingin, Marchio de Bade. S. Comes de Lof. VV. Comes de Iuliaco. H. Comes de Seine, H. Comes de Monte & alij, plurimi nobiles, & magna equestris ordinis multitudo cruce signantur.

Tempestiuè igitur Fridericus cruce signatus est, nempe sub Innocentio III. eo ipso anno, quo Lateranense Concilium celebratum. Sed propositi votique sui executionem non solùm vsque ad obitum Innocentij, sed & longè diutius distulit, etsi sæpè à Pontificibus Honorio III. & Gregorio IX. officij, promissiq; sui commonefactus. Interea tempore Honorij ius regni Hierosolymitani, & titulum regis adeptus est. Nam vt Platina scribit, *Ioannes Rex Hierosolymitanus Friderico filiam ex Iole Vxore susceptam, in matrimonium locat, eique ius illud condonat dotis nomine, quod sibi hæreditario iure in regno Hierosolymitano competebat. Hinc est quod omnes Siciliæ Neapolitaníque reges titulum Hierosolymitani regni verbis, non etiam armis sibi vendicant.*

Plat. in Honorio III.

Dum ergo non tantùm dies ex die, sed & annus ex anno trahitur; Honorius muneris sui memor, nō destitit Christianos ad peregrinationem transmarinam extimulare. Hinc annō M.CC.XXIII. *missis prædicatoribus*, inquit Godefridus, *circumquaque Crucem prædicare fidelibus iterum iubet, denuntians omnibus, vt post biennium in natiuitate S. Ioannis Baptistæ cum glorioso Imperatore Friderico parati sint mare transire.*

Nec nihil effectum. nam, eodem Godefrido teſtante, *anno Domini M.CC.XXIV. Henricus Iunior Rex circa Maium Frankinfort curiam habuit, vbi nuncij Imperatoris cum literis ipsius affuerunt, intimantes regi & principibus Hermannum Magistrum hospitalis S. Mariæ Teutonicorum in Epiphania Domini in Sicilia ad Imperatorem venisse, & de succursu terræ sanctæ ad hoc eum induxisse, vt continuò Pharum disponeret transire, & versus Teutoniam venire, & cum principibus de processu suo & terræ sanctæ negotio ordinare, &c. Hoc etiam inter cetera intimantes, quod dominus Imperator ad succursum terræ sanctæ quinquaginta naues fecerit præparari, quæ Vsseriæ nuncupantur, quarum magnitudo tanta capacitatis erit, vt duo millia militum, cum dextrariis suis & omnium armorum pertinentiis, & præterea decem millia aliorum hominum valentium ad pugnam, & ad bella cum armis suis, in eisdem vsseriis valeant transferri. Ad vnumquodque vsserium fiet pons, vt milites, si necesse fuerit, armati & ascensis dextrariis suis, nauibus commodè absq; læsionis discrimine per ipsos pontes valeant exire, quasi iam ordinatis aciebus in prælium processuri, & (si opus fuerit) erectis velis intrare possint flumen Damiatæ, vel aliud aliquod flumen.*

Honorius quoque Papa, inquit Abbas Vrspergensis, *prædicabat & testificabatur in ipsa sua prædicatione, quod tempore sui sacerdotij recuperanda esset*

Hierosolyma, & mox denarrat seu historiam, seu fabellam. Cuius fidem penes ipsum esse volumus. Certè à fabula multùm non abludit.

Sub eodem Honorio Pontifice, anno M.CC.XXV. quidam *Balduini Comitis Flandriæ & Imperatoris Constantinop.* personam assumens, & quasi in theatro quodam, non ludicrè, sed seriò sustinens, multis persuasit, se Balduinum esse, cùm impostor esset. Et vt fucum magis simpliciorum animis instillaret, *semper processit ornatu imperiali purpuratus, præcedente se cruce, sicut mos est Constantinopolitanis Imperatoribus*, inquit Godefridus. Vbi in improbi sycophantę improbo facto, mos probus, Imperatoribus Orientis vsurpatus, elucescit, quem minimè præteritum oportuit.

Anno M.CC.XXVI. *Imperator Fridericus solennem Curiam Cremonæ indicit pro statu Imperij reformando, & negotiis sanctæ terræ, ad quem cum multi principes Teutonici properarent, vnà cum filio Imperatoris rege Henrico, apud Tridentum per VI. hebdomadas commorantur, non valentes progredi propter rebellionem Veronensium, qui Clusas Veronensium tunc obtinuerunt, &c. Conradus Episcopus Hildensemensis, qui tunc verbi crucis ministerio fungebatur, excommunicationis sententiam in Longobardos Imperatori cruce signato rebelles tulit, annuentibus & approbantibus vniuersis Longobardiæ prælatis, &c.*

Anno M.CC.XXVII. electa expeditio cruce signatorum ab omnibus mundi partibus mota cassatur & dissipatur, Friderico Imperatore, sicut dudum promiserat non transfretante. Ob quam causam *à Gregorio Papa excommunicatur.* Tandem anno M.CC.XXVIII. *Fridericus Imperator mare transit & recuperato Hierusalem, & parte terræ sanctæ, cùm Sarracenis vsque ad certum terminum treugas facit. Sed quod quasi inobediens, & excommunicatus transiuit, factum suum Gregorius Papa non approbat, nec ipsum absoluit.* *Godefrid. in Annal.*

Nihilominus Imperator venit ad terram sanctam, inquit Vrspergensis, *mense Augusto, & applicuit apud Accon. & ibi permansit: vbi, vt aiunt, multa sustinuit, ex perfida proditione Templariorum. Soli verò Hospitalarij de domo S. Mariæ Teutonicorum fideliter sibi astiterunt. Similiter Ianuenses & Pisani, & alij milites, qui cum ipso, & pro ipso aduenerant.*

Historia de Landgrauiis Thuringiæ refert hanc expeditionem ad annum Domini M.CC.XXVII. *quo*, vt inquit, *generale passagium ad terram sanctam factum, in quo & Fridericus Romanus Imperator cum multa turba cruce signatorum. Ludouicus quoque Princeps Thuringiæ Christianissimus, habito cum domino Conrado Hildensemensi Episcopo consilio ab eodem cruce signatus est.*

Idem in Vita S. Elisabetæ lib. 4. *Factum est tandem anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo generale passagium ad terram sanctam, in quo etiam Fridericus Romanus Imperator transfretauit. De mandato quippe Pontificis summi* *Exstat Tom. Antiq. lectionis.*

mi prædicabatur crux in subsidium terræ sanctæ. Tunc multi Archiepiscopi & Episcopi, & principes, aliíque Christi fideles zelo fidei contra inimicos Christi accensi cruce ipsius signati sunt, contra gentiles fideliter pugnaturi. Ludouicus verò eximius Princeps Thuringorum Lantgrauius, vir Christianissimus, habito cum venerabili Patre domino Conrado Hildensemensi Episcopo maturo consilio, ab eodem cruce signatus est in nomine Iesu Christi, latereque vsque ad tempus opportunum cupiens, signum quod acceperat, vestimento, vt moris est, mox non affixit, ne vxor, quæ eum tenerrimo diligebat affectu, hoc aspiciens de futura eius absentia, anxia turbaretur. Quod tandem dum eius marsupium cinguli solito reuolueret, reperiens; miro stupore resoluta, consternata est. Cuius mœstitiam suauissimus Princeps diuinis monitis, & dictis dulcibus deliniuit. Deinde disposita terra, suisq; principibus ordinatis, visitauit monachorum & monialium cœnobia, benedictionem ab ipsis accipiens, & eorum se orationibus recommendans.

Addit auctor: *Bene dispositis omnibus cum gaudio & alacritate maxima profectus est Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius, Princeps Hessiæ & Saxoniæ, Comes Palatinus, de terra sua eligens exulare pro amore Iesu Christi, vt in cœlesti patria ab ipso recipi mereretur.*

Cùm tranquillitate igitur paucis transiens Franconiam, Sueuiam & Bauariam, & trans Alpes Italiam, Lombardiam, Tusciamq;, venit in Siciliam vbi Imperator Fridericus ipsum cum inæstimabili gaudio suscepit in ciuitate, quæ Troia nuncupatur. Cum quo per totam viam progrediens, tandem Brundusium peruenerunt. Inde post Natiuitatem B. Mariæ semper Virginis cum omni virtute militia, aliáque familia nauigare cœperunt. Sed antequam nauim ascenderent, in insula S. Andreæ, Imperator & Lantgrauius mutuis colloquiis fruebantur. Ibi, proh dolor, delicatissimus ille & serenissimus Princeps Ludouicus cœpit paulisper febribus inquietari. Singulares tamen galeolas ascendentes, séque Christo cum orationibus committentes, portum Brundusij reliquerunt. Ingressi autem ciuitatem quæ Oceani dicitur, vbi Imperatricem inuenerunt, quam Langrauius cum debita veneratione visitans salutauit. Iamq; corpus eius acrius febribus vexabatur, ideoq; ad nauem reuersus, lecto decubuit. Videns igitur quòd sibi mortis periculum immineret, vocato Patriarcha Hierosolymitano, ab ipso sacræ vnctionis Sacramentum accepit, qui vt officium solenne hoc perageret, Episcopum de sancta Cruce cooperatorem assumpsit. Peracta vnctione, sacrosancti corporis Domini nostri Iesu Christi sibi viaticum tradiderunt. Quod cum fide Catholica & sincera deuotione suscepit. Sicq; vir Christianissimus pro Christi nomine exul & peregrinus, Christi cruce signatus à peregrinatione vitæ præsentis, rediens ad patriam, obdormiuit in domino tertio Idus Septembris.

Nec solum Lantgrauius decessit, sed & alij, inter quos Sifridus Augustensis Episcopus, inquit Vrspergensis, *& alij multi tam diuites, quàm pauperes de medio sunt sublati.*

Anno


Anno M.C.C.XXIX. rediit Imperator ex Palæstina, factis tamen prius induciis cum Soldano Babyloniæ, *& reddita sunt Christianis*, inquit Epitome bellorum sacrorum, *ciuitates scilicet Hierusalem & Nazareth, & tenuerunt eas annis quindecim. Fluxerunt autem à captura Ierusalem facta per Saladinum vsquequo fuit reddita Christianis ab Olequemel Soldano anni quadraginta & vnus.*

Fit compositio in quadragesima inter Imperatorem & Soldanum, inquit Vrspergensis. *Hierusalem quoque & Nazareth, & Ioppe cum terris adiacentibus, & aliis quibusdam locis Imperatori restituuntur, & treuga inter Christianos & Sarracenos vsque ad decennium statuitur.*

Fortunata censeri potuisset hæc expeditio ob Hierosolymam receptam, nisi domestica dissidia & ciuilia bella hanc tantam felicitatem obscurassent, vel potius corrupissent: data occasione Sarracenis recuperandæ Hierosolymæ, *M.CC.XLVIII.* vt ait bellorum sacrorum Epitome, *cæsis Christianorum quinque millibus.*

Huic publicæ & Imperatoriæ expeditioni annumerare licet illam, de qua Platina in Gregorio IX. *Recuperato patrimonio S. Petri & agro Sabino, spretisque Soldani legatis, qui suppliciter pacem petebant, multos ex Francisci & Dominici fratribus per Europam misit, qui prædicatione Christianos ad arma contra Sarracenos concitarent, quorum opera tanta multitudo militum breui comparata est, quanta nunquam antea. Interim verò dum tanto exercitui dux idoneus quæreretur, Elisabeth regis Vngariæ filiam, mulierem optimam, ac miraculis claram Pontifex in Sanctas retulit. Theobaldus autem Nauarra Rex & Aimericus Montisfortis, Henricusque Bari ac Campaniæ Comes iter per Germaniam & Hungariam, cum magnis copiis facientes, Constantinopolim primò, mox traiecto Bosporo Ptolemaidem peruenêre, longè ac latè omnia populantes. Verùm non ita multo post superueniente magna hostium multitudine, cùm se cædendo biduo defendissent, cùm optimo quoque milite cadunt.* De his ita scribit Guillermus de Nangis in vita S. Ludouici Francorum regis. *Eodem tempore anno scilicet M.CC.XLIV. venerunt quidam nuntij credibiles de vltramarinis partibus, rumores veros quidem, sed pessimos afferentes. Nam quidam infideles qui *Grossomi vocabantur, terram sanctam intrauerunt, & in sancta ciuitate Hierusalem furialiter debacchantes, proh dolor, non solùm ipsam ciuitatem, sed etiam Ecclesiam sancti sepulchri sanguine fidelium repleuerant, conditioni sexui, vel ætati non parcentes. Tunc adimpletum est illud quod per Prophetam diu antè fuerat peroratum: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.*

* Grossoini.



T CAPVT

CAPVT XXXI.

Nona eaq; generalis & publica terram sanctam cruciata expeditio à S. Ludouico Francorum Rege suscepta.

Guill. de Nangis in vita sancti Ludouici.



POST Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. Anno Domini M. C C. X L V. celebratum, destinauit Parisios idem Innocentius *Magistrum Odonem de castro Radulphi, Episcopum Tusculanum sedis Apostolicæ legatum, qui prius Parisiensis Cancellarius fuerat, vt per totam Franciam prædicaret, quatenus nobiles Frãcigenæ bellatores pro liberatione Dominici sepulchri, & vrbis sanctissimæ Hierusalem, de qua nostros Christianos Grossoini infideles, vt supra dictum est, expulerant, signum Crucis acciperent sacrosanctæ.*

Eodem anno infra octauas S. Dionysij conuocauit Rex Francorum Ludouicus grande Parisijs Parlamentum, in quo prædictus legatus & plures regni Franciæ Archiepiscopi, Pontifices & Abbates, Barones quoq; & Comites affuere. Et tunc ad præfati legati prædicationem, & Christianissimi Franciæ regis Ludouici exhortationem Iubellus Remorum Archiepiscopus, Philippus Bituricensis Archiepiscopus, Robertus Beluacensis, Garnerus Laudunẽsis, Guillermus Aurelianensis Episcopi: Dominus Robertus frater regis Franciæ Comes Atrebatensis, vir clarissimus, Hugo de Castellione Comes sancti Pauli & Blesensis, Galcherus nepos eius, Iohannes de Batris, vir nobilis, Petrus Comes Britanniæ, Iohanes filius eius, Hugo Comes Marchiæ, Ioannes Montisfortis, Radulphus de Couciaco, & multi alij tam Clerici quàm Laici, etsi non omnes simul, processu tamen temporis signum Crucis Dominicæ assumpserunt.

Vincent. lib. 31. hist. cap. 1.

Assumpserat autem ipse Ludouicus Rex iam antegresso anno crucem, vt docet Vincentius his verbis. *Anno præcedenti*, nempe M. C C. X L I V. *Rex Franciæ Ludouicus ab extasi rediens crucem accepit.* Aliter Aemylius in Ludouico. *Vicesimum iam annum regnabat, pacem domesticam fouens: suis consulens; erat in ætatis robore: florebat matre, vxore, fratribus, liberis, opibus, nomine. Tot proceres in Syriam, Phœnicen, Ægyptum nauigarant: ipse desidêre visus: cum morbo grauissimo correptus, pro mortuo deplorabatur. Vocis vsu amisso, ac nullis reliquis sensibus, animus eum defecerat: cum omnium miraculo ipse ad se rediens primùm omnium sacræ militiæ Crucem depoposcit, à Parisiorum Pontifice accepit.*

Matthæus VVestmonasteriensis in suis Floribus. Eodem anno M. C C. X L I V. in Aduentu Domini Rex Francorum Ludouicus ex reliquiis corruptelæ, quam in Vasconia contraxerat, grauiter infirmatus, in lethalem extasin raptus, iacuit aliquot diebus quasi mortuus, & assertione populorum circumsedentium penitus exanimatus. Assistebant autem ei iacenti mater eius, nobilis domina Blãchia, & frater eius Richardus, Comes Atrebatensis & Episcopus Parisiensis, & alij, sed pauci,

de

de sibi familiarissimis, dolentes quod iam Rex mortuus obriguisset; sed mater Blanchia maternum affectum impotens dissimulare, iussit crucem sanctam cum lancea, & corona, paucis euolutis annis in Franciam delatam, exanimi, imo, vt asseritur, exanimato corpori applicari, & suspirans cum singultibus sermonem prorumpentibus, ait. Non nobis Domine Christe, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Salua hodie regnum Franciæ & coronam, quam hactenus gratia tua sustinuisti. Monstra virtutem tuorum insignium, quæ in terra post te reliquisti, in magno iudicio apparitura: in quibus confidentes gloriamur. Mira res, Rex statim oscitans tibias & brachia ad se trahens, halitus faciens & suspirans, se signo crucis signari postulavouens se terram sanctam aditurum. Quod & factum est.

His, post aliquot annos multi ex Anglia sese adiunxerũt socios, de quibus hęc VVestmonasteriensis in Floribus, *Anno M.CCXLVII. Episcopus VVigorniæ VValterus, Comes Legiocestriæ, Simon de Monteforti, Gulihelmus de longa spata, & multi alij nobiles de regno Angliæ, exemplo Domini regis Francorum, & magnatum de regno eius, animati, circa tempora Rogationum crucem assumpserunt: vt in Terra sancta, Christi vestigia adorantes, & pro eius obtinenda hæreditate viriliter dimicantes, suorum peccaminum veniam consequerentur.*

Anno autem Domini M.CCXLVIII. *Rex Franciæ Ludouicus iter transmarinum arripuit, &c. Recessit igitur de Parisiis in sexta feria post Pentecosten, multis eiusdem vrbis processionibus, eum vsq; ad sanctum Antonium comitantibus. Iuerunt q; cum eo venerabilis OdoTusculanus Episcopus Apostolicæ sedis legatus, & duo fratres eiusdem regis, videlicet Robertus Comes Attrebatensis & Carolus Comes Andegauiæ cum vxoribus suis, multiq; regni Franciæ barones & Episcopi. Alphonsus quoque dicti regis frater Comes Pictauiensis crucem assumpserat transmarinam, sed illo anno cum Domina Blanchia, regina matre sua remansit ad regni custodiam.* *Guill. de Nang.*

Transiens ergo Christianissimus Rex Ludouicus per Burgundiam vsque ad Lugdunum, Dominum Papam Innocentium ibidem commorantem secundo visitauit. Indeque recedens, benedictione eius accepta, venit ad Rocham, quæ dicitur Douglui, vbi erat castrum fortissimum super Rhodanum, &c.

Interim Rex Ludouicus in Cyprum delatus *de consilio Baronum suorum, ac Baronum & terrarum Cypri, quia naues & galeæ suæ cum balistariis ac gentibus suis nondum aduenerant, in Cypro diutius expectauit, & propter instantiam hyemis, & propter alias causas concurrẽtes vsq; ad tempus Paschale iter suum aduersus Sarracenos distulit. Rex quoq; Cypri & omnes ferè nobiles illius regni atq; prælati Crucis signaculum assumpserunt, seq; cum rege Franciæ super Sarracenos, adueniente præfixo termino, profecturos, quò eos vellet ducere, iurauerunt.*

Mansit in Cypro Rex vsq; ad festum sanctissimæ Trinitatis anni M.CCXLIX. quo cum vniuersis copiis ex Cypro, versus, & aduersus Damiatam soluit, eoq; tandem classem appulit: postridie aduentus

uentus *peregrinis intrantibus galeas ceteráque vasella parua, quotquot intrare potuerunt, accinctis ad praeliandum, vt decuit, & armatis; rex cum legato sacrosanctam gestans Crucem Domini triumphalem nudam & apertam, in quodam vassello erat, praecedente quoque iuxta ipsos in alio vasello B. Dionysij Martyris vexillo, fratribusq; regis, cum ceterisq; baronibus, ac balistariis, & militibus circumquaque comitantibus. Deinde viriliter in nomine Domini versus terram, de Dei misericordia, & virtute sanctae Crucis non modicam habentes fiduciam, insultus primos tam sagittarum emissionibus, quàm aliis facientes contra hostium ferociam processerunt.*

Cis paucos dies Damiata in potestatem venit, hostibus fugatis, quam *Legatus sedis Apostolicae, vnà cum Patriarcha Hierosolymitano, nec non Archiepiscopis & Episcopis, qui praesentes aderant, & magna parte Clericorum ac religiosorum, Ludouicus Rex Franciae cum pluribus aliis processionaliter nudis pedibus, praesentibus & rege Cypri pluribusq; baronibus, & aliis hominibus ciuitatem Damiatae intrauerunt. & inprimis locum, in quo erat Mahomeria, legatus coepit reconciliare, quia dudum in altera eiusdem vrbis captione; B. Mariae Virginis Ecclesiae deputatus fuerat & appropriatus. Deinde redditis inibi de impensis beneficiis gratiarum actionibus Altissimo, celebrata fuit Missa solenniter in honore beatae Mariae Virginis matris Domini à Legato. Proposuit etiam ibidem Rex Franciae constituere Praelatum & Canonicos debitum assiduè famulatum domino reddituros. Capta est autem ciuitas Damiata anno suprà notato in octaua die post festum S. Trinitatis.*

Templum Mahometanum.

Verùm, non diu pòst exercitu in Aegypti interiores partes non satis cautè aut cogitatè progresso, miserabilem Christianorum stragem ediderunt Sarraceni, capto S. Ludouico, & plurimis ex nobilium numero.

Porrò *sceleratissimi illi & impuri Sarraceni*, inquit Auctor vitae S. Ludouici apud Surium, *praeter contumelias in saluatorem nostrũ iactatas, Christianis inspectantibus, Crucifixi effigiem flagellis verberârunt, & per summã ignominiam impiè eam conspuentes, in Christianae religionis dedecus pedibus conculcarunt.* Postea ex pactis conuentis restituta est Sarracenis Damiata, & Rex aliique vinculis soluti. *Quis verò hîc non agnoscat stupendum praepotentis Dei miraculum*, inquit auctor ille, *gentem illam ferocissimam parere tanto regi, gentem cupidissimam R[illegible] opulentissimum soluere captiuitate pro longè minori precio quàm obtinere potuissent? Rex autem quinque deinceps annis mansit in Syria, nec ociosus sanè, sed multos Sarracenos ad Christi religionem traducens, multos captiuos redimens, & vrbes aliquot & castra egregiè communiens.* De signo Crucis à se viso ante hanc Ludouici Regis expeditionem haec Cantipratanus. *Et ego fidelium nouissimus, antequã piissimus Ludouicus Francorum Rex anno ab Incarnatione Domini M. C C. X L V I. Crucem transmarinam*

Cantip. lib. 2. exempl. cap. 3.

nam susciperet (vel potius susceptam manifestaret) *crucem in cœlo ex clarissimo & sidereo lumine vidi: nec recolo me decentius & operosius formatam crucem vnquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octonos habere cubitos crucē ipsam in longitudine mihi planissimè visum est. Serenum cœlum erat valdè, & sine aliqua nube in aliqua parte sui; sub nostro horizonte cœlum erat coloris vnius.*

Anno Domini M. CCLI. inquit Guillermus de Nangis, *facta est cruce signatio pastorellorum, & puerorum multorum, quorum aliqui fingebant, se visiones vidisse, & miracula facere, ac ad vlciscendum Regem Franciæ Ludouicum, à Deo esse missos: inter quos erant quidam, qui se magistros vocabant, & more Episcoporum aquam benedictam etiam in ipsa ciuitate Parisiis fecerunt, matrimonia coniunxerunt, & dissoluerunt ad libitum, in religiosos, & clericos ac laicos multa enormia, & homicidia, cum non esset, qui eis resisteret, committentes, cruce signabant multos ad suam voluntatem. Dux verò eorum & Magister, quem vocabant Magistrum de Hungaria, dum per Aurelianos transiens cum magna pompa clericos occidisset, & plura mala committens, Bituris peruenisset, Iudæorumq́ libros destruens, eos bonis indebitè spoliasset, dum de Bituris recederet, inter villam, quæ dicitur Mortemer, & villam nouam super Carum à Bituricensibus eum insequentibus extitit interfectus. Pluribus autem aliis in diuersis locis propter sua maleficia interfectis atq; suspensis omnes dispersi sunt, & euanuerunt sicut fumus.*

Eadem de Cruce signatione *Pastorellorum*, Cantipratanus; qui puerorum Cruce signationem refert ad annum Domini M. CCXIII. his verbis; *Vidimus anno ab Incarnatione Domini M.* CCXIII. *infinitam puerorum multitudinem spiritu deceptionis arreptos, cum signo Crucis iter Hierosolymitanum aggressos fuisse, periisseq́ diuersis in locis: & maximam ex eis multitudinem per maleficos quosdam Sarracenis in mari venditos exstitisse.* Adeò Diabolus res Dei, qualis est Cruce signatio, imitari studet, simiarum ritu.

Ad hoc caput iure suo reuocatur expeditio Tartarorum in Palæstinam. Res ita habet. Anno Domini M. CCLIII. misit Rex Armeniæ Haythonus legationem ad Regem Tartarorum (quam ipsemet postea subsecutus est) postulans à Tartarorum Rege cum alia, tum etiam hoc, vt Christiana sacra susciperet, & exercitu in Syriam misso terrā sanctam Christianis restitueret, eiectis Sarracenis. Annuit Rex postulatis; datoque in Christi disciplinam nomine, copiosum collegit exercitum, quē Haolano fratre suo duce, aduersus Sarracenos destinauit: Nec vano conatu. Multa mox Sarracenorum, & Turcorum oppida capta, in potestatem venerunt, & in his ipsa Alapia opibus omnimodis abundantissima & affluētissima: & magna pars Palæstinæ. Interea fratris morte domum reuocatur Haolanus, relicta in

Ex Hist Oriēt. Haythonis c.13.

Syria Guiboga, vt cœpto feliciter bello prosperum finem imponat. *Cumq; dictus Guiboga sollicitè laboraret, vt terram sanctam reduceret in potentiam Christianorum*, inquit Haythonus, *ecce Diabolus inter ipsum, & Christianos illarum partium semen scandali & discordiæ seminauit*; quia Christiani non procul Sidone occiderant nepotem Guibogæ, cum aliis quibusdam Tartaris: qui rei indignitate motus, occupauit Sidonem, Christianorum ciuitatem, *& destruxit magnam partem murorum: Et postea nunquam de Christianis Syriæ Tartari fiduciam habuerunt, neque Christiani de Tartaris sunt confisi.* Res eadem, impulsu Regum Armeniæ, sæpius deinceps tentata est; sed nunquam eò perducta, vt felici exitu terminaretur; aliis atque aliis impedimentis semper intercurrentibus vsque ad tempora Bonifacij VIII. quando Casanus, seu Gazan Rex Tartarorum, profligatis Sarracenis, magnam Palæstinæ partem à Rege Armeniæ adiutus, Soldano Aegyptio eripuit; Sed ne tum quidem principio respondit finis, vt infrà dicemus.

CAPVT XXXII.

Decima eáque generalis & publica in terram sanctam Cruciata expeditio à S. Ludouico Francorum Rege & ab Eduardo Regis Angliæ filio suscepta.

Guill. de Nāgis in Vita S. Ludouici.



ANNO *Domini* M. CC. LX. *Dominica in Passione congregauit Rex Franciæ Ludouicus Parisiis Concilium Episcoporum & Principum regni sui*, inquit Guillermus de Nangis, *eò quod dominus Papa scripsisset ei, Tartaros in transmarinis partibus irruisse, Sarracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim & Damascum, Alapiam & terras illas subiugasse, & tam Acconi ciuitati, quàm toti Christianitati periculum imminere. Vnde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, & blasphemiis in Deum puniendis, peccatis & superfluitatibus cibariorum ac vestium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt vsq; ad biennium torneamenta, & iniunctum est quod non luderetur aliis ludis, nisi quod homines se exercerent in arcubus & balistis.*

Non tamen hoc tempore crucem accepit Ludouicus, qui *non bene quietus animo, remorsu conscientiæ perurgente, considerans illam peregrinationis viam, quam ad partes Syriæ fecerat, magis regno Franciæ dedecus & opprobrium peperisse, quàm Christi Ecclesiæ quicquam proficui contulisset: quod iam dudum mente conceperat tempestiuam nactus horam aperuit; scilicet, vt quantum diuina gratia sibi daret, contra periculum terræ sanctæ, quod proximum videbatur, consilium & auxilium apponeret salutare. Nolens tamen subitò aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui, per secretum nuntium & discretum humiliter & deuotè consu-*

consuluit super hoc felicis recordationis dominum Clementem summum Pontificem; qui tanquam vir prudens in principio reformidans, diúque istud deliberans tandem benignè consensit, ac pium ipsius propositum approbauit. Misit insuper propter hoc ad petitionem ipsius regis, legatum in Franciam, videlicet dominum Simonem titulo sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem.

Crucem igitur assumpturus conuocauit Parisiis Prælatorum, principum, Baronum ac militum, ceterorum quoque hominum multitudinem copiosam, quibus congregatis in vnum, domino legato præsente, ipse & Rex Catholicus coram cunctis qui aderant, exhortationem fecit quamplurimum efficacem, animans eos ad vlciscendam iniuriam Saluatoris in terra sancta longo tempore sibi factam. Finito postmodum domini legati sermone, ipse Rex primus cum deuotione multa crucem assumpsit, & tres filij eius post ipsum, nec non Comitum, ac Baronum, & militum maxima multitudo, & quamuis non multi in præsenti Parlamento, vtpote tanta nouitate perculsi, cruces viderentur assumere, tamen processu temporis multi tam Comites quàm Barones ad Regis exemplum propter Christum crucis signaculum propriis humeris affixerunt. Ex quibus *Alphonsus frater regis Comes Pictauiæ & Tholosæ, Theobaldus Rex Nauarræ, Comesq́ Campaniæ Palatinus, Robertus Cõmes Atrebati, & Guido Comes Flandriæ, Ioannesq́ filius Comitis Britanniæ, qui filiam regis Angliæ duxerat in vxorem, multiq́ alij nobiles. Et vt rex, & alij proceres, &c. nauigio & aliis rebus necessariis ad iter peragendum se prouiderent, terminum præfixerunt: infrà cuiusmodi temporis spatium ex multis nobilibus, & ignobilibus infinitis cruce signatorum contigit numerum augmentari.*

Accessit etiam ad hanc tam nobilem militiam Eduardus, Henrici Tertij regis Anglorum filius, de quo hæc in *Floribus* VVestmonasteriensis, *Anno* M.CCLXVIII. *Miles egregius Dux Eduardus crucem à Legato* (Apostolico) *pro se & patre recipiens, se parauit ad procinctum itineris terræ sanctæ, regi Frãciæ Ludouico impignorauit Vasconiam, &c.* Eadem Polydorus, nisi quod cruci signationem refert ad annum Domini M.CC LXVI.

Decurso interim præfixo termino, inquit Guillermus, *regisq́ nauibus, & procerum cum ingenti copia victualium, rebusq́ bellicis in portu Aquarum mortuarum præparatis, Rex deuotus cum filiis, & multis regni proceribus ad sanctũ Dionysium patronum suum, secundùm antiquam Regum Francorum consuetudinem, licentiam accepturus accessit. Itaq́ Martyres beatum Dionysium, Rusticum & Eleutherium deuotissimè cum multis precibus interpellans, vexillum de altario S. Dionysij ad quod Comitatus Vlcassini spectare dignoscitur, quem etiam comitatum Rex Franciæ debet tenere de dicta Ecclesia in feudum, morem antiquum suorum antecessorum seruare volens, signiferi iure sicut comites Vlcassini soliti erant suscipere, suscepit cum pera & baculo peregrinationis, totumq́ regnum Franciæ Martyris Dionysij protectioni deputans cum lacrymarum fluminibus tam nobiliũ,*

quàm

quam populi circumstantis, prius sancti claui, & coronæ benedictione percepta, ab Ecclesia est egressus. Rex Christianissimus Ludouicus toti regno Franciæ vale dicto anno Domini M. CCLXIX. *recto tramite, non diuertens, vsq; Digniaci Abbatiam, fines Burgundiæ penetrauit, indeq; Lugdunum super Rhodanum, Belligradum, & Viennam pertransiens ad optatum portum Aquarum mortuarum peruenit, vbi debuerat ex indicto crucesignatorum exercitus cögregari. Et quamuis pauci in aduentu regis in portu, vel circiter viderentur, post paullulum tamen temporis, tam barones & nobiles, quàm mediocris populi peregrinos ex omni parte videres affluere, & quasi locustas totam terræ superficiem operiri. Et sicut terra erat millibus hominum occupata, ita mare ingenti nauium numero tegebatur.*

Delata est classis post varios casus *Tunisium* seu *Tunetum*, cuius Regem dum vectigalem faciunt, sæua lues in exercitu serpere cœpit, quę plurimos exstinxit; in his ipsummet Regẽ, animi excelsitate & sanctimonia præstantissimum, cuius obitu factum, vt classis re infecta Siciliam repeteret.

De Eduardi itinere, non est vna omnium sententia. VVestmonasteriensis enim in *Floribus* hæc tradit. *Anno gratiæ* M. CCLXIX. *Rex Henricus tenuit natale suum apud VVestmonasterium in timore domini, & innocentia vitam ducens. Huius primogenitus, in armis strenuus, & pulcherrimæ iuuentutis, Eduardus, votum, quod vouerat, reddere Deo volens, mense Maio versus Terram sanctam iter arripuit, quem sequebantur, & præcesserunt multi nobiles & potentes. Astringebatur simili voto rex Franciæ Ludouicus, qui Eduardum præcesserat cum magna militia gentis suæ.*

Ibidem. *Eduardus noster sulcauit maria versus Acon, & à longè aspiciens Insulam Sardiniæ, ibidem applicuit: rumores certos de morte regis Franciæ Ludouici & de aduentu Caroli regis Siciliæ audiens. Attendens Eduardus, quod ille senex Carolus nihil aliud voluit, quia nec debuit, nisi iustum: Tunetum properauit, credens quod esset in senibus sapientia, & à tempore necessitatis prudentia. Ad quam veniens regionem, inuenit prædictum regem cum exercitu copioso. Eduardus verò delere volens inimicos crucis Christi ciuitatem Tunetum cum suis voluit expugnare.*

Scribit deinceps, Eduardum cum classe Francorum in Siciliam rediisse: Et tamen paulò pòst constituit VVestmonasteriensis Eduardum Accone seu Ptolemaide. Ait enim: *cum magna militia exiuit Accon, transiens per Nazareth, Cako & Caiphas castra, interficiens, quos reperit, Sarracenos.* At verò Aemylius, Platina, Polydorus, scribunt, Eduardum antecessisse Ludouicum, neque vnquam *Tunisium* venisse. Ita enim Polydorus: *Per idem tempus Euardus princeps cum ingenti classe in Asiam traiecit, Syria recuperandæ causa, vsque eò Ptolemaide commoratus (ita enim inter Christianos duces fuerat constitutum) dum Ludouicus Rex Franciæ, qui eodem tempore*

Aemil. in Ludouico.
Polyd lib. 16. Hist. Angl.

tempore aduersus Sarracenos bellum gerebat, ex Africa victor cum maiore exercitu adesset. Sed dum Eduardus belli socios exspectat, nihil factum propius fuit, quàm vt domestica fraude periret. nam cùm aliquando in cubiculo solus esset, ab Arsacida quodam, quem ipse quod multa de suæ gentis moribus narrare soleret, paulò ante in familiaritatem acceperat, tribus petitus vulneribus, agrè ex mortis periculo euasit, adiuuante cubiculario, qui manum Arsacidæ retinuit, donec à reliquis famulis in vestigio trucidatus est. Sarraceni Arsacidas vocant, sicarios, id est, hominum genus infidum, & superstitioni suæ deuotum, qui arbitrantur se æternam promereri beatitudinem, si hoste publico quouis modo interempto, ipsi morte etiam crudelissima afficiantur. Eduardus autem vbi ex vulneribus conualuit, audiens Ludouicum, quem exspectabat, per idem temporis in Africa morbo confectum interiisse, amissa spe rei benè gerendæ, in Angliam, factis cum hoste induciis, rediit incolumis.

Ego Guillermum de Nangis audiendum censeo, qui ista. *Rebus sic se habentibus, Eduardus Henrici Regis Anglorum primogenitus, qui in obsidionem Tunarum tardius aliis venerat, post dictam compositionem factam cum Sarracenis, nolens adhuc ad propria remeare, sed peregrinationis votum quod inceperat, si posset, volens perficere, cum quibusdam Francigenis militibus vlterius ad partes Syriæ transfretauit, & in breui portui ciuitatis applicuit Acconensis. Alibi enim securè terram occupare non poterat, cum totum regnum Hierusalém, & totam terram Syriæ Sarraceni, proh dolor, occuparent, præter quædam castella maritima Templi Hospitalis, quæ propter locorum naturalem situm modis omnibus congruunt, & propter modicos defensores, qui intus aderant, non poterant expugnari. Licet verò essent alia quædam castella fortissima maritima, ad quæ fideles transmarini reperiebant refugium, sola Accon ciuitas post Tyrum Soldani Babyloniæ viribus, & Orientis infidelibus resistebat.*

Eduardus, vt dictum est, cum quibusdam de Francia probatæ militiæ vrbi Acconensi moram, quasi per annum protrahens, cum ciuibus & Hospitalis Templi militia, ciuitatem à Sarracenorum inuasionibus indemnem satis laudabiliter custodiuit. Veruntamē in armorum negotiis nihil interim accidit dignum memoria, cum tam pauca, licet probata, militia, contra Soldanum Babyloniæ, Syriæ, & Ægypti ac totius Orientis dominum, extra muros in acie confligere non valeret. Recenset deinde eadem quæ alij de Arsacida, & reditu Eduardi ex Syria.

Et hæc quoq; cruciata expeditio non est nacta finem illum, quem sibi proposuerant *Crucesignati*, licet nacta sit finem illum, quem spectabat Deus, qui & ipsis *Crucesignatis* procul dubio propositus fuit. Neque enim hac in re quidquam spectabant, nisi id quod voluntas diuina aut volebat, aut permittebat. Post hanc expeditionem non inuenio aliam publicam, & quæ se generali nomine commendaret;

rebus Christianorum in Palæstina ad occasum tendentibus; Sarracenorum autem prosperis successibus in dies magis, occulto, sed iustissimo, Dei iudicio inualescentibus.

CAPVT XXXIII.

De Crucis prædicatione, tametsi irrita, pro subsidio terræ sanctæ sub Nicolao IV. Pontifice.



OSTHÆC expeditiones Hierosolymitanæ languere & frigere; & dissidia in orbe Christiano, maximo rei communis detrimento, indies magis crescere cœperunt. Cuius non ignari Sarraceni, dissensiones Christianorum in suum commodum verterunt. Itaque *anno Domini* M. CCLXXXIX. *Soldanus Babyloniæ, cum multitudine onerosa obsedit famosam Tripolis ciuitatem, quam proh dolor, cepit & solo tenus finaliter complanauit; non sine maxima effusione sanguinis Christiani. In vituperium insuper, & contemptum nominis Iesu Christi, per ciuitatem destructam ad caudas equorum sanctorum imagines iussit trahi.*

VVestmonast. in Floribus.

Plat in Nicolao IV.

Parem quoque calamitatem Sidon, & Berytus pertulere, *nemine adiuuante*, inquit Platina. *Restabat Ptolemais seu Accon in annos duos inducias à Soldano consecuta: hanc vt tueretur, Nicolaus Pontifex annixus, milites ad vexillum Christi vocat, ære suo conductos. Hi ad mille & quingenti fuêre. Hos postea multi, nullo dato nomine, nullis signis & auspiciis, secuti, cum Ptolemaidem peruenissent, non minora Christianis, quàm Sarracenis damna intulêre. Soldanus autem cum res suas repetiisset, nec redditæ essent, nostris omnibus exitium comminatus est. Magna inter Christianos de possessione Ptolemaidis concertatio tum orta erat, cum eam Patriarcha Hierosolymitanus, Templarij, Teutonici, Rex Cypri, Siciliæ rex Carolus, vindicare anniterentur. Erat & Pisanis in animo Ptolemaidem repetere (vt ipsi dicebant) suo iure, quos profectò bellum in Etruria ortum, à tanta rei fœditate auertit.*

Quid ergo mirum, si regnum in se adeò diuisum, dissipatum est à Soldano, de quo hæc VVestmonasteriensis: *Circa prædictum tempus,* nimirum anno gratiæ M. CCXCI. *amaritudo amarissima omnes inebriauit, & singulos zelatores nominis Christiani. Nam Milcadar Soldanus Babyloniæ, Sarracenorum graui exercitu congregato, Accon ciuitatem munitissimã, quæ iuxta loca maritima sita fuit in confinio terræ sanctæ, obsedit, obtinuit, & destruxit. O dolor, lamentabilior gemitu Hieremiæ Prophetæ. Hic destructionem veteris Hierusalem planxit in Threnis, quæ refugium tantum erat proselytis & Iudæis, Accon autem singulare præsidium fuit omnium nationum, Orthodoxæ fidei legibus subiectarum, venientium de longinquis ad vlciscendam sui creatoris iniuriam,*

riam, qui terram promissionis sui filiis, ipsius nomine insignitis, iure hæreditario debitam, pretio sui sanguinis irrorauit.

Eadem alij, nominatim Eberhardus Altahensis in Annalibus, qui addit: *Multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem, scilicet Hospitalarij & Templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordassent, ciuitas capta non fuisset.*

Capta est autem Ptolemais 14. Kal. Iunij, vt testatur Henricus Stero in Annalibus, edit. Francofort. hoc est 19. Maij, etsi historia Australis, id factum ferat 18. die Maij.

Dum hæc in Asia gererentur, inquit Platina, *Nicolaus Pontifex duos è latere legatos, Benedictum Caietanum, & Gerardum Parmensem in Franciam properè mittit, qui composita inter duos reges pace, eos contra Sarracenos Ptolemaidem oppugnantes animarent. Nam & pacem inter Iacobum Arragonensem, & Carolum his conditionibus (quas supra memoraui) iam composuerat, quò omnibus in hostem liberius proficisci liceret: & parare classem cœperat, de pace ferè certus. Sed nec reges ipsi Pontifici benè monenti obtemperarunt, nec qui in præsidio Ptolemaidis erant, inter se dissidentes, (quemadmodum poterant) vim hostium propulsarunt.*

De eodem Pontifice hæc Eberhardus. *Mandauit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, vt Concilia Prouincialia celebrarent, & deliberarēt, qua ope vel consilio eidem terræ posset subueniri. Et per Concilium habitum Saltzpurgæ, rescriptum fuit domino Papæ & cōsultū, vt prædicti tres ordines conuinirentur ad vnum ordinem, melioribus eorum obseruantiis in vnum redactis, & quod ad succursum eiusdem terræ sanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuntij antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus est; & sic hoc negotium remansit infectum.*

Extant in annalibus Eberhardi geminæ literæ Nicolai Pontificis, alteræ *ad vniuersos Christianos,* crucis prædicatrices, & annunciatrices, plenæ affectibus; & ad affectus in quouis pio pectore concitandos perquàm accommodatæ: alteræ, *ad Archiepiscopum Salisburgensem, eiusq; Suffraganeos,* quibus significat, se generale *passagium* pro subsidio terræ sanctæ ad festum S. Ioannis Baptistæ, anno salutis M. CCXCIII. indixisse & edixisse, monetque, vt suis in prouinciis *verbum Crucis,* diligenter prædicent; *Prædicandæ,* inquit, *viuificæ crucis mysterium, tibi frater Archiepiscope, in tua prouincia, vobis autem Suffraganeis, singulis in ciuitatibus, & diœcesibus vestris præsentium auctoritate committimus fraternitati vestræ in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus huiusmodi ministerium iuxta datam vobis à Deo prudentiam, non obstante, quod hoc idem aliis sit commissum, quorum affectum per vos nolumus impedire, solerter & efficaciter exequi studeatis, omnes fidei orthodoxæ cultores ad tam pij negotij prosecutionem idoneos, præ-*

V 2 dicatio-

dicationibus crebris & sedulis exhortando, vt ad liberandam dictam terram de manibus impiorum victoriosum eiusdem viuificæ Crucis signum suscipiant, & propriis assignantes humeris, ac magis cordibus imprimentes reuerenter, & publicè deferant, atq; ad eiusdem occursum in prædicto passagio generali promptis animis totisq; viribus se accingant.

Et in literis ad omnes Christianos. *Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solùm veneranda & piissima illa loca, in quorum altero Oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est humiliter, in reliquo mori crudeliter non expauit, sed etiam totam quasi iam terram eandem, quam ipse idem sua illustrauit præsentia corporali, miraculis clarificauit immensis, & tandem effusione sui preciosi sanguinis in nostræ salutis effusi precium consecrauit, occupata per nefandissimos Sarracenos, ipsorum immunditia pollui, fœdissima coram habitatione fœdari? Quis absq; amaritudine summa commemoret, tot Christianorum castra, ciuitates, & alia loca solennia destructa penitus, ad nihilumq; redacta, & eorum incolas eorundem Sarracenorum immanitate peremptos?*

Et post multa in eandem sententiam flebiliter prorsus scripta. *Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis persecutione monstrate. Accipite deuotione, qua Rex, viuificæ crucis signum. Illud in considerationis vestræ scrutinium deducentes, quod viris quantumcunq; magnificis, quantacunq; dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnam ascribitur, si eis quouis in bello Dominorum insignia gerere concedatur; sub quibus contingit frequenter non sine salutis æternæ discrimine mortis subire periculum sub cuiuslibet irremunerationis. Quanto igitur gloriosius, quanto securius Regis regum, in eius bello, victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet crucem? Sub qua deuotione congrua, puro corde suscepta, conceptum prosequentibus munditia continua propositum, mori, est vitæ perennis initium, transitoriæ mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo. Festinate itaq; festinate, ad salutis vestræ properate compendium. Accendatur cuiusq; virilis animus, & consultius attendentes; quod si fortè labor maior ex dictarum ciuitatum captione proponitur, merces vberior subsequetur, cùm sicut scriptum est, secundum laborem accipiet vnusquisq; mercedem, corpora vestra, & corda pariter eiusdem viuificæ crucis signo in terræ sæpe fatæ subsidium insignite, nunc præcipuè, dum ipsius terræ subuentio multis, & olim per sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus, & honoribus procurata, sed diuersis & aduersis aduentibus diutius impedita, diuina, vt supponit diuersa credulitas, prouisione dirigitur, & ad excipiendas terræ ipsius angustias, eamq; de impiorum manibus eruendam efficaciter sub spe diuini numinis præparatur.*

Et vt omnes magis ad hanc expeditionem inflammet, addit Pontifex, Eduardum Angliæ Regem iam crucem accepisse; & ad præstitutum terminum, nempe ad natalem S. Ioannis Baptistę, Anno Christi

sti M. CCXCIII. cum copiis Britannicis in Palæstinam traiicere velle. Quare ad aliam *crucesignationem* referendum arbitror hoc, quod scribit VVestmonasteriensis, *Anno gratiæ* M.CCXXCIX. *Pridie Nonas Augusti, Eduardus rex Angliæ de partibus rediit transmarinis, in quibus moram trahebat per annos tres, dies quindecim.* Pro hac autem peregrinatione assumpserat rex Crucem, anno Redemptoris M.CCLXXXVII. vt idem VVestmonasteriensis testatur. *Anno gratiæ* M. CCLXXXVII. *rex Angliæ Eduardus apud Blankefort in Vasconia iuxta Burdegalim post conualescentiam de graui infirmitate, crucesignatur cum multitudine hominum copiosa, & Christianorum exercitus capitaneus est effectus per legatum Romanæ Curiæ ad hoc missum.*

Cum igitur expeditio, de qua agimus, indicta fuerit ad annum M. CCXCIII. & postea mortuo Pontifice, in nihilum reciderit, fieri nequit, vt sit illa eadẽ, de qua VVestmonasteriensis scribit. Et hinc colligimus, Eduardum hoc nomine primum Angliæ regem bis in Palæstina fuisse. Semel ante adeptum regnum: iterum regno iam adepto. Tandem tertiò proficisci statuisse, vt ex epistola Nicolai liquet, qui, vt omnes ad crucis assumptionem alacriores redderet, cõcessit omnibus in Palæstinam profecturis, & illis itidem, qui licet ipsimet non proficiscerentur, aliis tamen ituris sumptus ministrare vellent, plenariam indulgentiam, cuius voluit esse participes, licet post cœptũ iter ex hac luce migrarent. Aliis itidem priuilegiis, & immunitatibus eosdem *crucesignatos* donauit; ab aliis item Pontificibus in prædicatione Crucis impertiri consuetis, de quibus iam suo loco actum.

Verum enim verò hæc omnia piè quidem fuere cogitata; sed ad rem nunquam collata. Et hæc vltima, quod sciam, prædicatio Crucis fuit pro recuperanda terra sancta.

Tentauit quidem Bonifacius VIII. expeditionem in terram sanctam reparare, sed nullo successu. In eam cogitationem hac occasione venit: *In Asia,* inquit Aemilius, *Tartarorum opes rursus ingentes erant. Cassanus Scytha Persas deuicerat, eosq; in ditionem redegerat. Armenij regis filiam in matrimonio habebat, religioneq; noster erat. Pulso Ægyptiorum Imperatore, Syria iura dabat. Cum defectione Persarum reuocaretur, Oratores ad Francum regem, Bonifaciumq; Pontificem Maximum misit, cum Latinis proceribus fœdus facturus, vt communi animo, consilioq; sacrum regnũ recuperaretur, & à barbara religionis vi tegeretur. Bonifacius rursus amplum magnificumq; sibi existimabat, se Pontifice recipi, quæ superioribus Pontificibus amissa fuissent, in Franciam literas ad Pulchrum Regem de bello sacro redintegrando dedit (vt ferunt) imperiosas, ac nisi continuò pareretur, minarum, & fulminis plenas.* Sed Philippo non obtemperare stetit. *Aemyl in Philippo Pulchro.*

 Multi

Multi propter Tartaros pollicebantur sibi recuperationem terræ sanctæ, etiam tempore S. Ludouici, quando primùm in Palæstinam traiecit. Quocirca hæc VVilhelmus de Nangis, & ex illo Vincentius: *A multis creditur, quod si Rex Franciæ Ludouicus mare transiens recto tramite venisset in Turquiam, liberè & absque vlla contradictione reddidissent ei* (Tartari) *terram.*

VVilhel. de rebus gestis Ludouici.

Et circa annum Domini M. CC. LXIX. Iacobus Rex Aragoniæ in Palæstinam expeditionem instituit, impulsu Tartarorum, quorum Rex, vt scribunt Hispani Historici, Europæ Principes, missis *circumquaque legatis ad arma capessenda excitare non desistebat, propemodum conuicio, cum Christiani nominis gloriam negligere viderentur. Id superioribus annis factitatum est, neque consequentibus intermissum; hoc autem tempore maiore conatu, ac nominatim ad Aragonium Regem, cum Alarico ciue Perpiniano, quem Rex antea alia legatione prouocatus ad Tartaros miserat, noui legati venerunt, sui Regis nomine omnia pollicentes, si quidem arma induere, viresq́ conferre induceret in animum.*

Marian. e li. 13. cap. 18.

Assensus est Rex, etsi multis contra nitentibus. *Barcinone classis valida comparabatur, milite & rebus omnibus instructa. Pridie Nonas Septembris anno salutis M. CC. LXIX. votis ritè nuncupatis, è littore soluit, incommodo anni tempore, atque procellis obnoxio. Itaque cum triduo in Balearem minorem peruentum esset, priusquam portum tenere potuissent, fœda ventorum tempestate disiecti, alia alij littora tenuerunt. Rex ad Aquas Sextias appulsus, vento restante, in Agathensem sinum reiectus est. Nonnullæ naues, quæ cursum tenere potuerunt, ad Acrem* (Acconem) *Palæstinæ oppidum nauigatione peruenerunt, in his Ferdinandi Sanctij naues Regis filij. Rex suorum cohortationibus fractus Mompeleij se ex maris iactatione paucos dies refecit, atq; propositi pertæsus, cui superi aduersari videbantur, rebus humanis irati, tametsi talium contemptor, vt fortuitorum, in Catalauniam rediit, multo maiori operæprecio.* Instituta est igitur hæc expeditio eodem anno, quo S. Ludouicus Rex Francorum, secundò, cruce assumpta, cum numeroso exercitu in terram sanctam abiit.

Porrò, quod paulò antea de Tartarorum legatione ex Aemylio recensuimus, id etiam proditum est ab Auctore Compilationis Chronologicæ, qui ista. *Anno Domini M. CCC. dum ciuitas Acion, & tota terra sancta in potestate gentilium steterat octo annis, Rex Tartarorum nomine Gazan, potenter cum suis, Rege Armeniæ ipsum adiuuante, terram sanctam vsque Damascum hostiliter acquisierunt, in duobus conflictibus LXX. millia hominum gentilium ad arma valentium occiderunt, præter reliquum populum, cuius numerus non poterat iniri. Idem Rex Tartarorum à Natiuitate Domini vsque ad Maium permanens in Damasco, potenter mittens suos solennes nuncios summo Pontifici Bonifacio, petens & desiderans, vt omnes Christiani aduenirent, terram sanctam*

accipiendo & possidendo, quam ipsis animo libente vellet dare: & vocauit principaliter tres ordines, Templarios, Hospitalarios, & fratres Alemannos in ipsis suis litteris Domino Apostolico ad Romanam curiam destinatis. Sed quare non itum? An quia promissis Tartarorum non fidebant? Volebat quidem Bonifacius; sed neminem Principum aut Regum reperire poterat, qui volenti aut iubenti morem gereret.

Postea tempore Clementis V. Historiam orientalem conscripsit Haythonus Armenus; in qua, ipsius Pontificis iussu, copiosè disputat de noua expeditione in terram sanctam; & de modo eam fructuosè instituendi: suadetq; præter cætera, vt Tartari in societatem belli adsciscantur. Imò & his verbis quasi classicum canit. *Ecce nunc tempus acceptabile Christicolis à Domino demonstratum. Nam Tartari offerent se paratos, Christianis dare subsidium & iuuamen toto posse contra perfidos Sarracenos. Et ob hanc caussam Rex Tartarorum Carbanda speciales nuncios destinauit, qui fratris sui Casani vestigiis inhærendo offert se exponere libentissimè posse suum ad subuersionem & totalem destructionem inimicorum nominis Iesu Christi.* Hæc & alia huius generis Haythonus.

CAPVT XXXIV.

Aliæ Crucis prædicationes & assumptiones aduersus Hæreticos, Sarracenos, & idololatras.



ANNO *Domini M. CC. XXVI.* inquit Godefridus, *Honorius Papa de consilio fratrum, legatum in Franciam mittit, dans illi in mandato, vt verbum Crucis prædicet contra hæreticos Auinionenses & Tholosanos. Ad hortationem igitur legati nomine Romani, in Franciam missi Ludouicus Rex Francorum, cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Nobilibus, Baronibus, cæterisq; Magistratibus Franciæ, Normanniæ, Flandriæ, Burgundiæ, Britanniæ, Campaniæ, Hannoniæ, Aluerniæ, de Pontino, de Bituria cōtra Auinionenses & Tholosanos hæreticos cruce signantur. Quorum aduentum cum inaudito apparatu ciues de Carcasone, de Burgo S. Ægidij, de Nauanto, & de Massilia sentientes, Regi Francorum occurrunt, se cum suis omnibus ipsius dominio subiugantes, & Ecclesiæ Catholicæ parere iuramento confirmantes. Verùm Auinionenses proditionē molientes, cùm regem intra muros suos recepisse putassent, portas recluserunt; sed inclusi viriliter se defendentes per aliam portam irrumpentes euaserunt. Quorum proditione rex concitatus innumerabilem pecuniam expendit in instrumentis mirabilibus, & hactenus incognitis, quibus dictæ ciuitatis murum & domos subuertit.*

Eadem ferè habentur in fragmento quodam historico libris *Philippidos* Guillermi de Nangis subiuncto. Est autem Rex iste, cuius Godefri-

defridus meminit, Ludouicus Philippi Augusti filius, parens S. Ludouici.

Præcesserat hanc expeditionem *cruciatam* alia in eosdem Albigenses, Philippo rege adhuc viuẽte, de qua hęc Rigordus. *In senium vergens* (Philippus) *proprio filio suo primogenito* (Ludouico) *non pepercit, quin eum mitteret bis ad hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus & expensis. Vt alia tam in vita sua, quàm in decessu suo multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium & iuuamen.* De qua expeditione sic canit Guillermus.

Guiller. lib. 8. Philipp.

Rex igitur primus zeli feruere superni
Corde pio motus ter millia quinque virorum
Ad proprios sumptus instructos rebus & armis
Dans exemplum aliis in Christi prælia misit.
At reliqui proceres, equites, comitesq́, ducesq́,
Prælati Ecclesiæ, nec non & nobile vulgus,
Omnes pene viri, gladios, qui ferre valebant
Spe ducti veniæ Christi sua pectora signo
Consignant, vt quod calet intus pareat extra,
Illosq́ in partes iter aggrediuntur ituri.

Erat autem Albigensium hæreticorum potissimus fautor & patronus, Raimundus;

Qui sancti comes Ægidij Tholosaq́ vocatur

vt ait Guillermus.

Qui postquam Ecclesiæ cœpit contrarius esse
Catholicæ fidei defensans improbus hostes,
Hæresiarcharum fautor: pepulíque fideles,
Nequaquam & Cleri metuens inimicus haberi
Nec consanguineum tibi Rex nec habere fidelem
Dignatus cœpit contra illum bella mouere,
Vtq́ illi liceat punire licentius illum,
Quamuis sciret idem proprio de iure licere
Impetrare studet à summo præsule sacra
Scripta, quibus pariat indulta remissio cunctis
Spem veniæ contra hæreticos, qui bella mouerent
Per quos temnebat Christi prouincia legem,
Et se pestiferi fœdabat peste veneni.

Exponit deinde Guillermus quantas hæreticorum strages cruce signati ediderint, & quàm pauci quàm innumeros profligarint, cæso etiam Arragonum Rege, qui Albigensibus suppetias laturus aduenerat, quæ qui cognoscere auet, Guillermi *Philippidem* adeat. Instituta est prior hæc expeditio in Albigenses anno Domini M. CC. IX. vt

scribit

scribit Vincentius sub Innocentio III. cuius iussu crux primitus contra Albigenses prædicata fuerat. Etsi alij ad sequentem annum referunt. *Vide Cæsarium lib.5.cap.21.*

Tam posteriorem contra Albigenses, tam alias contra alias expeditiones Cruciatas non semel præcesserunt diuinitus ostensæ Cruces. *Discoloratas Cruces*, inquit Cantipratanus, *& ex omnibus mundi partibus, quædam sanctissima reclusa, vt ipsa mihi retulit, in Brabantiæ partibus vidit, cùm secunda expeditio ad purgandam Albigensium terram per Legatos Curiæ Romanæ missa fuit. Sed & crux à multis populis, cùm in diuersis partibus prædicaretur, visa fuit manifestè.*

Anno Domini M. CCXXXIIII. inquit Godefridus, *Verbum Crucis prædicatur contra Stagingos, per inferiores partes Teutoniæ & Flandriæ: Collecto itaq; vniuerso exercitu Crucesignatorũ in crastina Ascensionis iidem Stagingi superantur, & à terra sua funditus extirpantur. Fuerunt autem populi Stagingi in confinio Frisiæ & Saxoniæ siti, paludibus inuiis & fluminibus circumcincti, qui pro suis excessibus & subtractionibus decimarum, multis annis excommunicati, contemptores clauium Ecclesiæ sunt inuēti. Qui cum essent viri strenui, vicinos populos, imò & Comites & Episcopos bello pluries sunt aggressi, sæpe victores, rarò victi. Ob quam causam authoritate populi verbum Crucis contra eos per multas diœceses fuit prædicatum: Quorum in prædicto bello circiter ad duo millia perierunt, paucis superstitibus ad vicinos Frisones confugientibus.*

Videntur autem seu *Stagingi* seu *Statingi* iidem esse cum illis, quos Siffridus Presbyter appellat *Stetingos* sic scribens: *Anno M.CC.XXXVIII. Tartari in Hungaria & Polonia multa millia Christianorum occiderunt. Contra ipsos Gregorius Papa fecit crucem prædicari. Similiter contra Stetingos, de quibus quinq; millia hominum à crucesignatis occisi sunt.*

In quibus Siffridi verbis habes etiam prædicationem Crucis contra Tartaros. Eadem reperies in compilatione Chronologica Anonymi scriptoris, quæ extat Tomo.1. illustrium scriptorum Germaniæ, quæ illustris scriptor & Doctor Dominus Ioannes Pistorius pridem publicauit.

Stadingos Hæreticis annumerat Molanus: quem nos secuti expeditionem aduersus Stadingos hoc loco collocauimus: cuius meminit etiam Thomas Cantipratanus; cum ait: *prima Crux nostri temporis contra terram Albigensium prædicata est. Secunda, in terram sanctam contra Sarracenos. Tertia iterum contra Albigenses. Quarta contra Stadingos. Quinta iterum in terram sanctam.* *Molan. de sacra milit. cap. 60. Cantip. lib. 2. Miracul. cap. 3.*

Incidit prior in Albigenses cruciata expeditio in annum Christi M.CCX. vel IX. vt supra dictum: Crucem prædicante Iacobo de Vitriaco, qui cum Fulconem de Gandauo socium prædicationis sibi adsciscere summis precibus contenderet; nec tamen Fulco precibus locum daret, mirè pœnas detrectati obsequij dedit. Rem his verbis exponit Cantipratanus, qui eo tempore viuebat. *Venerabilis Fulco de Gādauo natus, canonicus apud insulas erat. Hic, vt nobis ipse narrauit, de seipso, à Magistro Iacobo de Vitriaco legato, & prædicatore Crucis contra Albigenses, rogatus vt secum crucem per Flandriam prædicaret, renuit. cui cùm insisteret per amicos vt eum adiuuaret in negotio Ecclesiæ tam necessario & deuoto, renuit ille secundo, & nullo modo hoc se facturum asseruit. Tunc Magister Iacobus illum magis præceptum timere confidens: & ego, inquit præcipio vobis auctoritate qua fungor, vt in nomine Iesu Christi, in remissionem omnium peccatorum vestrorum istud negotium assumatis. Cui dictus Fulco: Nullo modo, inquit, assumam; & ego rogo vos, vt nequaquam me de hoc vlterius fatigetis. Mox Magister Iacobus in corde grauiter commotus, & ferè vsq; ad lachrymas fatigatus, ait illi. Cum vtique dignè possem auctoritate mihi commissa vos excommunicare, & omni beneficio tam priuare propter inobedientiam contumacem; nolo tamen, ne tanto viro tantum grauamen videar ingerere. Rogo tamen Deum qui omnium cordium est inspector, quatenus reddat vos non solùm ad istud, quod spernitis, sed prorsus ad omne opus inutilem. Mira res. Mox ad hæc verba quartana febris eum cum fluxu ventris inuasit, & vsque ad finem vitæ suæ per viginti quinque annos irremediabiliter fatigauit.*

Cantipr. lib. 1. exempl. cap. 22.

Sed vt ad Stadingos reuertamur, de expeditione contra illos de dogmatibus, quæ amplectebātur, hæc produntur, in Historia Archiepiscoporum Bremensium: *Anno Domini* M.CCXXXIV. *Henricus Dux Brabantiæ, & Florentius Comes Hollandiæ, Bremæ existentes, contra Stedingos viriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos Ecclesiæ. Nam, sicut probatum est super eos, & per Mindensem, Lubicensem, Raciburgensem, Episcopos, Papæ auribus intimatum, ipsi doctrina Matris Ecclesiæ penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcauerunt, nulli parcentes sexui vel ætati. Quæsierunt responsa dæmonum, simulachra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas Pythonissas, & quod deterius est omnibus, viaticum salutis æternæ horribilius quam deceat exprimi, pertractantes. Clericos etiam & religiosos impiè lacerantes cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis suffecit perditio; sed omnes quos poterant, & maximè rusticos, in foueam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur. Sicut Lucifer lucis æternæ lumine destitutus, caduca superbia procurante, cœlo contineri nequiens, eo quod perpetuæ cæcitatis tenebras incurrisset, cùm sit perditus*

Crant. in Metrop. Qua cum Greg. IX. innotuissent, contra eos, tanquam infideles, Crucem iussit prædicari.

&

& Minister perditionis effectus, ne ademptas sibi delicias sempiternas possit conditionis humanæ dignitas adipisci (quia solent miseri prosperitate fœlicium cruciari) illam in profundum perfidiæ ab altitudine fidei deiicere nititur, vt secum in lacum suæ miseriæ deducatur; existimans per hoc suæ damnationis cumulum minorari, cum soleat afflictis quoddam afferre solatium, grata miseris societas miserorum. Ita miseri, & miserabiles Stedingi, ponentes sibi omninò Deum contrarium, suis persuasionibus & malis exemplis grauiter infecerunt populum Christianum, ita vt infinita rusticorum multitudo, tam in remotis quàm in vicinis prouinciis constituta, verbo tenus eos defenderet, & si se opportunitas obtulisset, prompto animo proteruiæ eorum auxilium attulisset.

Sed Deus misericordiarum Dominus, suis fidelibus inspirauit, vt ad prædicationem crucis se viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoq́ue priuilegio, quæ accedẽtibus in terra sanctæ subsidium conceduntur. Itaq́ue Bremensis Archiepiscopus, Dux memoratus & Comes, peregrinorumq́ue non modica multitudo, VI. Kal. Iulij die Sabbathi processerunt vnanimiter contra ipsos, tanquam diuinæ potentiæ & patientiæ abusores, parati occumbere, vel ipsos cum eorũ nefandis operibus ad honorem & gloriam Iesu Christi & Ecclesiæ penitus abolere. Illi è conuerso tanquam ferinis vberibus enutriti, ad hoc crudelius sæuiebant, & in suo Asmodel ponentes fiduciam, non diffidebant se posse resistere potenti brachio Domini Sabaoth, & tantæ multitudini signatorum. Et mira & miseranda pertinacia obstinati, non cessabant adhuc claues Ecclesiæ scelestis labiis turpiter blasphemare. Bolche de Brandenflete, Tamno de Huntorpe, Thedmarus de Aggere, & alij pessimi malesuadæ eorum, vt vitam & patriam defenderent, ipsos fortiter hortabantur dicentes: quod ipsos aut oporteret succumbere, aut sicut canes rabidos insanire. Transierunt autem medio tempore peregrini Othmundam fluuium pontem de nauibus facientes, & cùm transierant, sapienter suas acies ordinabant. Stedingi vt amentes effecti, ac quadam insania ventilati, non timuerunt signatorum multitudinẽ, nec spiritualem nec materialem gladij potestatem, sed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes processerunt obuiam peregrinis. Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ primo congressu pestilentes illos super agrum Oldeneschе, vbi conuenerant, viriliter inuaserunt. sed ipsi summo conamine se defenderunt; statim Comes de Cliuo cum suis à latere irruens super illos, ipsorum aciem dissipauit.

Clerus qui eminus astans, rei exitum expectabat, Media vita, & alia miserationis carmina cum mœrore canebat, & pro Crucis victoria supplicabat. Nec mora, illi insipientes & maligni euanuerunt in cogitationibus suis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, hastis perfossi, gladiis percussi, equorum pedibus conculcati: Et ita manus Domini inualuit super eos, vt in breui spatio eorum VI. millia interirsint.

rint. Plurimi ex eis fuga præsidium postulantes, in proxima fouea & in VVisera se submerserunt. Si qui euaserunt, sub cœli ventis quatuor sunt dispersi. Sic pertinacia eorum facta est coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Hæc in prædicta Historia; quæ fermè ad verbum transtulit in sua m Metropolim Crantius.

Crant. lib. 7. cap 47.

Prædicauit quoq; crucem Martinus V. contra Hussitas non modò animos prauis opinionibus; sed & vrbes pagosq; in Bohemia ferro & igne vastantes. Extat Bulla hæc apud Cochlæum in historia Hussitarum, cuius executio commissa erat Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali, magnę autoritatis viro: qua, eadem priuilegia tam spiritalia, quàm temporalia concedebantut assumentibus crucem contra Hussitas, quæ olim concedi solebant nomina sua in militiam sacram Hierosolymitanam tradentibus.

Nec defuit officio suo Cardinalis. Non modò ex promiscuo vulgo innumeros, sed & ex principum cætu multos *cruce signauit*, inter quos *Fridericus Marchio Brandeburgensis, Princeps Elector, quem duo sequebantur filij, Ioannes & Albertus, Albertus item & Christophorus Duces Bauariæ, Dux Saxoniæ Fridericus; societas Sueuorum, quam S. Georgij vocant, & imperialium ciuitatum Episcopi, Bambergensis, Herbipolensis, Eistetensis, & aliorum principum auxilia, vt XL. millia equitum sub signis tum fuisse tradantur.* Etsi hic tantus apparatus fatali quoque infortunio parum emolumenti Catholicæ rei adferre visus est.

Attamen à tempore, quo Crux contra Hæreticos vsurpari cœpta, semper aduersus eosdem desertores digma hoc quasi in aciem productum est ab Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus; quibus inter cæteros, ministri sunt *Cruce signati*, qui *voto emisso* pollicētur se etiam cum vitæ fortunarumque discrimine Catholicam fidem defensuros. *Quorum Confraternitatem*, vt ait Camillus Campegius, *summi Pontifices, quàm plurimis gratiis, indulgentiis, atq; fauoribus illustrarunt*; qui etiam ad finem libri Zanchini adiicit ritum, quo isti Cruce signari solent. Cruce signatis aduersus Hæreticos eædem indulgentiæ conceduntur, quam proficiscentibus Hierosolymam, opis ferendæ gratia. Ita enim Pontifex. *Catholici, qui Crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoq; sancto priuilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur.*

Campeg. in addit. ad Zanch. Hugol. de Hær. ca. 9. Vide eundem in cap. 37. Zanch. de iisdē in Lucerna Inquisit. Cap. Excōmunicamus extr. de Hæret.

Contra Sarracenos qui magnam partem Hispaniæ occuparant, prædicata est Crux aliâs sępius, tum tempore Innocenti III. ingensq; exer-

exercitus cōtractus.& in Sarracenos missus splendidissimā victoriam obtinuit,cæsis ducentis millibus Sarracenorū.Extat Alphonsi Regis Castellæ & Toleti epistola ad Innocentium III.qua felicissimum hoc prælium copiosè describit,inter cætera etiam indicat, quibus armis vicerint.*nos,inquit,attendentes bellū illud, eū omnino incomportabile, impetu equorum processimus signo crucis dominicæ praeunte, & vexillo nostro:in quo erat imago B.Virginis & filij sui in signū nostrū supposita. Cumq́ue iam nos pro fide Christi mori constanter eligeremus,attendentes crucis Christi & imaginis suæ matris ignominiam,quas lapidibus & sagittis irritantes petebant, in arma furientes aciem illorum infinitæ multitudinis diuisimus, & licet ipsi essent constantes in bello,& firmi super domino suo,Dominus illorū aciem infinitæ multitudinis crucis suæ gladio trucidauit,& sic rex Sarracenorum cum paucis in fugam conuersus fuit, &c. Nos autem insequentes eos vsq; ad noctem, plures tamen insequendo interfecimus quam in bello,&c. Deo autem honor,& gloria qui cruci suæ dedit victoriam.*

Vide Roder. Tolet. lib. 8. de rebus Hisp. cap. 8. Apud Marianam lib. 11. de rebus Hisp. c. 25.

Sub Calixto qui successerat Nicolao V. quo sedente à Turcis capta est Constantinopolis, celebris instituta est crucis prædicatio aduersus Turcas deuicta Constantinopoli insolenter superbientes,& iā spe totam Hungariam deuorantes, in qua præclaram operam nauauit Ioannes Capistranus, vir magnę sanctitatis opinione:*Pontifex ergo cognita Mahometis Turcarū imperatoris voluntate Hungariam armis sibi subiicere cupientis,Ioannem Cardinalem sancti Angeli ; virum industrium ac magnanimum cum legatione in Germaniam misit, Septentrionis vires in Turcas concitaturum. Coactus est exercitus non tam armatus quàm fidelis.Turcæ centum quadraginta millia pugnatorum secum ducens Albam Græcam obsessum ibat. Ioannes Capistranus ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui vbi appropinquare Turcas accepit,nihil moratus in Albam se contulit, haud paruā cruce signatorum manum adducens. Ioannes quoq; Huniades contractis raptim copiis eò profectus est,&c. Turca interim apud Albam castra metatus summis viribus eam vrbis partē oppugnare adoritur,qua planus patuit aditus, dispositisq́; tormentis rara atq; insolita magnitudinis priores muros aperuit. Vacuum haud paruum spatium intus erat,vsq; ad murum alterum.Hic crucesignati stationes habuerunt.Parum tecta armis acies gladiis hastisq́; tantum hispida,verùm ferocitate animi & cælesti auxilio fisa. Ingressi per muri ruinas Turcæ atrox cum his prælium commisêre.Capistranus ex turri clamitans Christianos hortari,vexillum crucis ostendere,opem de cœlo promittere,maledicere hostibus, Dei præsentiam implorare. Huniades modò huc,modò illuc cum globo militum currere,instaurare ordines,pro fessis validos, pro saucijs integros sufficere,imperatoris ac militis officium exequi.*

Pugnatum est summa vtriusq; vi: modò nostri, modò Turcæ pedem referre. Hinc viuentium clamor, inde morientium audiri gemitus. Audaciores primiq; bellatores confossi gladiis cadere, super cadauera passim strata belligerari, pulsi extra mœnia hostes. Instante suo Imperatore, vrgente, castigante; Turcæ iterum irrumpere, iterum pugnare, acriter Christianos in vltimum discrimen adducere. Postremò Christiana virtute repulsi, denuò periculi magis quàm pudoris anxij, oppidum fœdè relinquere. Rursus sequentibus cruce signatis extra muros pugnam instaurare. Mox ex proposito fugere, & quàm longissimè Christianos ab oppido protrahere. Interim aciem à latere immitere, quæ reditum in vrbem egressis intercipiat: furentes nostri ac victoria exultantes, in quod præcipitarentur discrimen non aduertere, paulùm processuris & à fronte, & à tergo periculum imminere. Vidit ex muris Capistranus transuersam hostium aciem insidiasq; cognoscens reuocare suos cœpit. Cùm parum exaudirentur, tympanis ac tubis confundentibus vocem, præceps in pugnam dilabitur, atq; inter duas acies, inter tela volantia percuriẽs clamoribus ac signis Crucesignatos redire coëgit. Fraudati magna spe Turcæ in castra redierunt, cum quatuor & viginti horis interdiu noctuq;, nunc muros quatientes, nunc manu pugnantes prælium protraxissent. Multi ex vtraq; parte cecidêre, plurimi ex Turcis, & hi quidem præstantiores. De cæsis hostibus varia sententia est. Quidã super quadraginta millia periisse tradiderunt, nonnulli viginti millia cæsa fuisse affirmant.

Aen. Hist Boëm. cap. 67. Hæc Aeneas Syluius in historia Bohemica, qui & ipse postea ad pontificatum euectus Crucem prædicauit aduersus Turcas, ipseque præsens expeditioni interesse statuerat, sed extinctus est, cũ iam in portu Anconitano in procinctu ad tam præclarũ facinus versaretur; iamq; plurimi in omnibus orbis partibus, etiam in ipsa Polonia, teste Cromero, cruce assumpta, huic militiæ nomen dedissent.

Aduersus idololatras in Prussia Crux non semel prædicata est, & assumpta. *Anno Domini M. CCLXV.* inquit Compilatio Chronologica, *Albertus Landgrauius Thuringiæ, & Marchio Otto de Brandenburg. cum filio suo; Albertus etiam Dux de Brunschvveig, & multi alij in Prutziam peregrinantes cõtra Paganos cum signo Crucis profecti sunt. Quibus debellandis Teutonici Crucigeri potissimùm acciti sunt, amissa iam Syria.*

Eo tempore, quo Conradus Imperator Cruce suscepta in Palæstinam profectus est; alij, præsertim Saxones, cõtra Sclauos Idololatras expeditionẽ Cruciatam instituerunt, de qua Helmoldus hæc. *Tertius signatorum exercitus deuotauerunt se adgentem Sclauorum, Obotritos scilicet, & Lutitios, nobis confines, vlturi mortes & exterminia, quæ intulerunt Christicolis, præcipuè verò Danis. Huius verò expeditionis capitanei erant Albero Hammeburgen-*

Helmold. lib. 1. Chron. cap. 63.

burgensis, & vniuersi Saxoniæ Episcopi: Præterea Henricus Dux adolescens, Conradus Dux de Zaringe, Adalbertus Marchio de Saltvvidele, Conradus de VVitbin. Eiusdem expeditionis meminit Otto Frisingensis, additque; milites huius militiæ non gestasse Cruces *vestibus simpliciter assutas, sed à rota subterposita in altum protensas.* *Otto lib. 1. de rebus Frid. Imp. cap. 40.*

Contra idololatras in Liuonia Crux prædicata est cùm ab aliis, tũ à Bertoldo altero Rigensi Episcopo: *Cuius prædicationis instãtia,* inquit Arnoldus Lubecensis, *nõnulli sublimes & nobiles signaculo sanctæ Crucis insigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel potius ad cultũ Christi perdomandas, iter peregrinationis arripiunt. Nec defuerunt sacerdotes & litterati, suis exhortationibus eos confortantes, & ad terram promissionis felici perseuerãtia eos pertingere promittentes. Et quia profectio siue peregrinatio Hierosolymitana tunc vacare videbatur, ad supplementum huius laboris Dominus Cælestinus Papa indulserat, vt quicunque peregrinationi memoratæ se vouissent, huic itineri, si tamen ipsis complacuisset, se sociarent, nec minorem à Deo peccatorum remissionem perciperẽt. Fit igitur de tota Saxonia, VVestphalia vel Frisia, Prælatorum, Clericorum, militum, negotiatorum conuentus plurimus, qui in Lubeca comparatis nauibus, armis & victualibus, Liuoniam vsque peruenerunt.* *Arnold. lib. 7. Chron. cap. 9.*

Aliquando contra illos, qui publicãm quietem turbare videbãtur Crux prædicata est. Guillermus in vita Ludouici. *Tunc quoque,* nimirum, anno salutis M. CCXLV. *Circa fines Hannoniæ, vel Alemanniæ prædicabatur crux hominibus auctoritate Domini Papæ, vt irent contra Conradũ Frederici filium, in auxilium Landegrauij Thuringiæ Ducis, qui de nouo cum assensu & fauore summi Pontificis electus erat in Regem Alemanniæ.*

Siffridus. *Clemens Papa crucem prædicari fecit contra Conradum regem, filium Imperatoris Friderici, & contra ciuitates Tusciæ, & Longobardiæ illi adhærentes.* Platina de Alexandro IV. *Cum Ecelinus Tyrannus Mantuam obsideret, Philippum Fontanesium Archiepiscopum Rauennatem, Alexander Venetias propere misit, qui, prædicata Christi cruce, comparatoque exercitu, Ansedisium Ecelini ex vxore nepotem, Patauio expulit.* Meminit eiusdem Ecelini crucisque aduersus illum prædicatæ Cantipratanus; aitque, fuisse septimã sui temporis prædicationem Crucis: Nam sexta contra *Aquenses,* seu Aquisgranenses instituta est, *qui se pro schismatico,* vt inquit, *Friderico, quondam Imperatore contra VVilhelmum Regem Romanorum electum opposuerant.*

Con-

Contra Manfredum Siciliæ Regem crux prædicata est sub Vrbano IV. Pontifice. De quo hæc Pandulphus Collenutius. *Iam in Galliã Legatos miserat Vrbanus, vt Crucis signo delictorũ remißionem iis annunciarent, qui sibi aduersus Sarracenos Manfredumq́ auxilio forent: sicq́ magnum Crucigerorum exercitum comparauerat, ducibus Guidone Antisiodorensi Episcopo; Richardo Vindocij Comite, & Roberto Flandro, Caroli Adiouini, & Narbonensis prouinciæ Comitis genero, qui coniunctis viribus Albæ apud Taurinos per Longobardiam in Latium itidem peruenerunt, & Sarracenos illinc absque vlla difficultate ac sanguine expulerunt.* Et hæc de expeditionibus *Cruciatis* dicta sunto.

Pandulp. lib. 4. Hist. Neapolit.

Finis libri secundi.



APOLO-



APOLOGIA
CONTRA CRVCIATARVM EXPEDITIONVM CALVMNIATORES REINERVM REINECCIVM, ET MATTHAEVM DRESSERVM, ALIOSQVE sectarios.

ANNO Domini M.D.LXXXIV. edidit Reinerus Reineccius, Haereticus, Chronicon Hierosolymitanum, hoc est, de bello sacro Historiam, libris 12. expositam, *Auctore Anonymo quodam, qui illo ipso tempore, quo prima expeditio, Duce Godefrido Bullionio, suscepta est, viuebat; vt clarum ex proœmio, quod operi suo praeposuit. Huic Chronico adiecit editor prolixã, verbosam, & calumniis refertam praefationem, cui adiunxit eiusdem notae, tanquam ἐπίμετρον, omnis iudicij expers, iudicium quoddam Matthaei Dresseri de sacris expeditionibus, hominis in iisdem castris, hoc est, Lutheri vel Caluini, cum Reineccio militantis, & ex criminationibus consuti. Vtriusque calumnias breuiter refellere institui. Quod vt praestem, ipsa à me hactenus explicati argumenti ratio postulare videbatur.*

Animaduerto autem horum seu conuicia seu mendacia, seu vtraq; simul, pertinere partim ad Auctores cruce signatorum expeditionum, Romanos Pontifices; partim ad ipsos Crucesignatos: partim ad modum expeditionum: partim ad exitum. Qua ordine examinabimus, & quantum ponderis habeant, expendemus? Si tamen prius veram caussam, & originem indicemus, cur haeretici expeditionibus in Sarracenos, & Turcas missis tã libenter, & cupidè obtrectent. nam quae ipsi obtendunt, ea tantum velandae turpitudinis suae gratia

obtendunt; ne id quod volunt & faciunt, apertè velle & facere videantur. Et quid illud? Benè velle; & qua licet, benè facere Sarracenis ac Turcis. Quæ caussa voluntatis tam propensa, nisi amor erga Sarracenos, & odium in Orthodoxos Christianos? Ex amore enim nascitur beneuolentia; & quantum quis hos amat, & amplificatos cupit; tantū necesse est, vt oderit, depressosq́ exoptet illos; qui iis, quos in sinu & oculis fert; animo & manu indesinenter aduersantur. Hunc autem amorem, amorisq́ partum, beneuolentiam & beneficentiam ingenerauit, & cum lacte Quinti Euangelij instillauit his pullis suis Lutherus, qui cum alibi sæpius omne bellum contra Turcas dissuasit; tum sub initium sui Euangelij hoc axiomate paucis, quid agendum sit, suis exposuit: Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cœlo valet; Dixi. *Quid dixisti? Anne hoc tantùm? imò huius generis plurima; Et in his etiam hoc:* Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos: *Et hoc.* Dedit nobis Deus è Roma, truculentiores, cruentiores, insaturabiliores Turcas, quā sint veri Turcæ, quin & Turcissimos Turcas. *Qui hanc & huius farinæ consimilem doctrinam amplectitur; & tanquam à Propheta, & tertio* Helia *profectam exosculatur, is certè Pontificibus Christianos ad arma contra Turcas cientibus, æquus & propitius esse nequit: Qui hæc Turcica Lutheri monita in pectus demittit, ille nūquam heroica* Cruce signatorum, *aduersus Turcas in Asia facinora laudabit: aut laudatores facilè aure dignabitur. Maiori voluptati erit legere, Christianos à Turcis exstinctos; quàm Turcas à Christianis.*

Luth. in assert. art. 34. Tom. 2. lat. VVittemb.

Ergo cum isti à parente suo Luthero, eiusq́ disciplina non degenerent, odioq́ plusquam tartareo in summum Pontificem, omnesq́ Orthodoxos ardeant, mirandum non est, si conuiciis debacchentur in cruciatas *expeditiones; quarum Auctores, ipsi summi Ecclesiæ Præsules, quibus nihil aliud erat propositum; quàm Sarracenorum & Turcarum, quorum vires iam tum indies magis inualescebant; interitus ac exitium.*

Dicat quis. Lutherum reiecisse postea dogma hoc suum, & assertionem de Turcis bello non petendis: In visitatione enim Saxonica hæc ab eo scribi: Clamant aliqui prædicatores *temerariè* (*quorum*

rum tu signifer es, liquet ex articulis tuis, & ex articulorum assertione) non resistendum esse Turcæ. Hic sermo seditiosus est. *(seditiosus igitur tuipse es, ô Luthere, quia à te primitus prolatus est)* qui neque ferri, neq; permitti debet. *(Et tamen fertur ac permittitur in Tomis Lutheri Latinis & Germanicis, auditurq́ ac legitur quotidie ab innumeris.) Non ignoro hac à Luthero literis mandata. Interim & hoc scio, doctrinam, quam de bello Turcico plenus adhuc noui Euangelij musto tradiderat, tam in ipsius Lutheri pectore semper hasisse, quàm in posterorum cordibus firmiter harere. Non mentitur vetus verbum.* A teneris assuescere muitum est: *Nec falsum triuiale illud:* Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. *Nam quod in visitatione Saxonica cœpit plebem ad Turcicum bellum adhortari, id non tam voluntate, quàm necessitate fecit. Videbat enim suos eousq́ progredi, vnde forsan, saluo capite, regredi non possent, ni maturè pedem referrent; iam enim, teste Erasmo, qui tempore visitationis Saxonica viuebat & scribebat, pleriq́ à Luthero & pradicantibus inflammati, palam vociferari non erubescebant, satius esse arma sumere contra* baptizatos Turcas, *hoc est, cōtra Carolū V. Imp. & Ferdinandum Casarē; quàm contra Turcas non* baptizatos.

Iam Vlricus Huttenus Lutheri propugnator acerrimus, ad Fridericum Principem Electorem, Ducem Saxonia hac furiosissimè effuderat. Vtinam Turcæ seruiamus potius, *(quàm sacerdotibus)* qui viri sunt, & inprimis strenui, ac rei bellicæ, vt vix vlla natio, periti, &c. Quin etiam mitius imperant Turcæ, & in subiectos æquiores sunt, &c. *Erat hoc Luthero in more positum, vt oua ab alius excludenda poneret; Qua quando exclusa, publicè nimium displicebant, prasertim principibus, Lutheranismi studiosis, ipse statim, velut innocentissimus, contrà tonare & fulminare occipiebat; quasi quod factum erat, se inuito, & reluctante, non adiuuante & operam conferente, factum fuisset. Sic postquam spiritus Anabaptistici & Iconoclastici, & tumultus illius agrestium, in quo tot millia occubuerunt, vberrima semina iecissent; spiritus autem ille per Philippum, Carlstadium, & alios VVitteberga, & alibi, in apertum erupisset; & semina belli rusticani in copiosissimam messem adoleuisset; Lutherus derepentè aduolauit, spiritumq́ illum à se conceptum*

ceptum & satum, dentatißimis chartis flagellauit; & agricolas à se ad arma aduersus Nobilitatē & Sacerdotium concitatos, libris & declamationibus durius propemodum tractauit, quàm alij armata manu, ratus, opinor, neminem fore, qui hoc artificium animaduerteret: sed opinione sua falsus est. Neminem enim fugit id, quod ex communi omnium sensu pronunciauit S. Gregorius Nazianzenus. Non eius, qui demessuit, spica est; verum illius, qui sementem fecit; nec ei incendium assignandū est, qui ignem exstinguere potuit, sed qui excitauit. *Ego, quoties Lutherus aut ipse à se, aut ab aliis in hunc modum excusatur ac defenditur, vsurpare soleo illud ab eodem Nazianzeno vsurpatum.* Vestem hanc Histiæus quidem consuit: sed induit Aristagoras, qui antecessoris sui facta excepit.

Naz. orat. 2. in Iulianum.

Naz. loc. cit.

Verùm, vt ad institutum reuertar, non volens & lubens, sed metu imminentis capiti suo periculi Lutherus palinodiam cecinit, quod ad Turcicum bellum attinet. Quocirca parum mouentur filij illius & discipuli Prædicantes hac recantatione; sed constāter adhærescunt, ad articulum trigesimum quartum: Præliari aduersus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. *Nam si articulum hunc tanquam falsum, seditiosum, totique Christiano orbi extremè perniciosum detestantur; cur nō ex tomis Lutheri exscindūt? cur non abolent? cur toties cudunt & recudunt? Cur non saltem lectorem de peste hac cauenda, vnica, eaq; breuicula annotatiuncula commonefaciunt, ne Luthero hanc tantam insaniam insanienti fidem habeat? Cur si bellum in Turcas æquis oculis & animis intuentur, linguam vibrant in illos; qui iam olim gloriosißimos de Turcis triumphos retulerunt; & fama sui nominis totum orientem complerunt, ac illustrarūt?*

Cur Pontificem Vrbanum, harum expeditionum Auctorem primùm scurriliter & contemptim vocant TVRBANVM; *nimirum, quia turbauit Turcas horum socios & amicos, ne dicam, fratres, nec verum censuit illud, quod Lutherus in libro ad nobilitatem Germaniæ scripsit:* nullum esse pulchrius regimē vsquam, quàm apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur: nullum autem turpius, quàm apud Christianos, qui iure Canonico & ciuili reguntur. *Profectò non nisi ex summo in Sarracenos amore; summoq;*

in

in Catholicos odio Bibliander, seu Luthericola seu Caluinicola ille fuit, hæc effutire potuit in sua Chronologia tab.13. Vrbanus seu potius turbo sæuissimus, à spiritu malo homicidiis gaudente impulsus, bellum pro recuperanda Iudæa commouit. *Macti Hæretici, sic, sic itur ad iugum Sarracenicum. Rectam insistitis viam. Biga vehimini expedita, quàm biiuges amor & odium, concorditer trahunt; & ad metam destinatam rapiunt. Hæc præfari libuit, vt lector minus miretur hos tam dura fronte esse; vt expeditiones sacras conuiciis & opprobriis incessere audeant. Agunt conuenienter naturæ affectioni, disciplinæ & institutioni suæ. Quis miretur, si ignis vrat; aqua madefaciat? Imò mirandum foret, si ille non vreret; hæc non humectaret. Nunc rem ipsum aggrediamur.*

CAPVT PRIMVM.

Examinatur & refellitur prima caussa, qua Dresserus fabulatur inductum Vrbanum II. Pontif. vt bellum sacrum indiceret.



INDICTI huius belli *duas caussas ex multis excerpemus*, inquit Dresserus; *vna est vindictæ cupiditas: altera regni auiditas.* Vt primam caussam declaret, repetit dissidia, & bella inter Gregorium VII. & Henricum IV. Imperatorem gesta; nominatim illud; quo Henricus Imperator Pontificem, Roma in potestatem suam redacta, fugauit, & ad Normannos ire compulit. Ait ergo, *Vrbanum II. Gregorij VII. successorem vlcisci has iniurias cupientem, & iugum Pontificibus ab Imperatore impositum excutere tentantem; expeditionem Hierosolymitanam indixisse; vt Imperatorem viribus & copiis exhaustum; facilius postea profligaret, & ex Italia exterminaret. Quid verò*, inquit Dresserus. *An dubitabimus, satis magnam caussam tunc fuisse Romano Pontifici omnes occasiones quærendi, quibus hoc ab Imperatore impositum iugum à ceruicibus suis propulsaret? etc. Cùm autem alia via nulla procederet, quod sperabat, huc euasit tandem Vrbanus II. vt quoniam intestinis bellis debilitari potentia Imperij non potuit, expeditionibus externis exhauriendam atque frangendam illam esse duceret.* Hæc sectarius.

Quæ omnia tam falsa, absona, & absurda; vt in ipso falsitatis & absurditatis quasi pectore, calamum, quo hæc chartæ illeuit, tinctum fuisse oporteat. Nam primò nullus veterum historicorum caussam hanc vnquam monumentis suis aut prodidit, aut vel leuiter innuit;

Reinec. præfat ad Anonym. non Robertus Monachus, non Anonymus à Reineccio publicatus, non Tyrius, non Vrspergensis, non Malmesburiensis, non alij Historici & Chronologi; non ipse Reineccius, qui vix Vrbanum huius expeditionis primum Auctorem & impulsorem agnoscere dignatur: imò totam propemodum laudem transfert ad Henricum IV. Imperatorem, & ad Politicos Principes. Vbi manet igitur caussa, quam Dresserus comminiscitur? In cerebro nimirum Dresseri; & in sola charta, cui illitâ, quam ipse Reineccius, tantus Dresseri amicus, manifestæ falsitatis coarguit, vt paulò pòst dicam.

Secundò, Si Vrbanus vlciscendi Imperatoris & deprimendi Imperij gratia ad transmarinam militiam Christianos excitauit; stupidum profectò Imperatorem fuisse oportuit, cui Pontificis conatus non suboleret. pari itidem stupore occupatos fuisse dicendum est tot Imperij proceres, qui non animaduerterint, quorsum Pontificis mens collinearet. Solus Dresserus tam acutus est & sagax, vt post quingentos annos odoratus sit illud, quod omnes, qui militiæ illi vel interfuerunt, vel tempore illo floruerunt, fugit.

Tertiò, si expeditio sub Vrbano in perniciem Hẽrici Imperatoris & Romani Imperij excogitata fuit; qui fit, quòd, vt tradidit Auetinus, & ex Auentino Reineccius, Henricus IV. Cæsar, Imperij proceres ad sacram militiam cohortatus est, *de eiusq́ auctoritate, cùm alij quorum nonnullos Anonymus, plures Auentinus commemorat, tum VVelfus IV. hanc professus est?* Agnoscis, opinor, verba Reineccij. An adeo excors erat Henricus, vt Pontifici opem ferret ad exhauriendas vires Imperij, in Imperij simul & Imperatoris ruinam? Quid cæcus liuor non fingit; quid non asserit, dummodo, quem execratur, lædat; si non re, certè maledictis? Ecce enim Dresserus mentitur, hanc expeditionem ab Vrbano susceptam euertẽdi Henrici IV. Imperatoris gratia. Negat hoc Reineccius, & rectè negat; quia omnes antiqui scriptores aliam huius expeditionis caussam reddunt. Et tamen hoc sui sodalis commentum, etsi verè commentitium, perire noluit Reineccius, ideo tantùm, quia Pontifici maculam adspergebat. Libro itaque suo assuit, nihil veritus lectoris iudicium, cui labor nullus deprehendere, si id quod narrat Reineccius, verum est, verum esse non posse, quod scribit Dresserus: atque adeo Dresseri vanitatem à Reineccio refelli; nec semel, vt per incogitantiam id accidisse quis fortasis suspicari posset, sed sæpius.

Videamus quid scribat Reineccius in Notis ad caput 1. Anonymi lib. 2. *Cum Henrici IV. bellis Germania iam per annos viginti tres grauiter quassata fuisset, & Principes reliquaque nobilitas inde armis assueta, tantum arma crepares; Cæsar, vt in pacem publicam consuleret, ad sacram militiam eos adhortatus*

tus fuit, spem faciens, se vnà iturum. Sic ergo è Lotharingia seu Belgica Germania, quæ tum tota ditionis Imperij erat, Godefridus cum fratribus duobus, & Robertus Flandrensis; è superiore & magna VVelfus, Dux Bauariæ, & alij militiam illam professi fuerunt. Quia autem Cæsarem alia negotia domi detinebant, quasi Legati partes Godefridus obiit. Nam inde est, quod Auctor noster scripsit, auctoritatem eius in exercitu præcipuam fuisse; item bellum ipsum ad Romani Imperij dignitatem pertinuisse.

En, tantum abest, vt Reineccius putauit, hoc bellum cœptum in perniciem Henrici, & depressionem Romani Imperij, vt ipsummet Henricum huius militiæ Auctorem statuat; dicatque, suasam ab Henrico bono Germaniæ, & pacis stabiliendæ gratia, & ad dignitatem Romani Imperij pertinuisse. Qua ratione, obsecro, consonant hæc cum Dresseri figmentis, seu potius vanissimis contumeliis? Gratias tibi Reinecci, qui amici & encomiastæ tui impudentiam tam bellè refutas; bellè, inquam, quia sternis eam; tametsi non satis pudenter; vt proinde vanitas vanitatem, & impudentia impudentiam hoc loco pulset & exterminet. Quæ enim inuerecundia, decus & laudem huius belli, transcribere Henrico IV. Imperatori, & quidem in solidum: cùm testimonio omnium Historicorum constet, Principes, aliosque Christianos, voce summi Pastoris Vrbani excitos, ad sacræ militiæ signa conuolasse; Petrumque Eremitam primo omnium ad Vrbanum Pontificem sese contulisse, vt sedis Apostolicæ auctoritate fretus & munitus, cæteros Principes, quos adire parabat, ardentius ad *prælia Domini prælianda* inflammaret? Non imus inficias, alios itidem Principes tam Ecclesiasticos, quàm politicos, non parum momenti ad primam illam peregrinationem contulisse; sed motos, vt sic loquar, ab Vrbano, *motore primo*; nam quæ vel Petrus Eremita, vel illius impulsu fideles in Palæstina, vel ipse Alexius Græcus Imperator, vel alij prius egerant; ea non tam facta, quàm consilia & deliberationes fuêre. At vbi Pontifex operi manum admoliri cœpit; quàm primum consilia in facta verterunt: iamque transactum dari vidimus, quod antea tantum erat deliberatum, vel sola mente & desiderio informatum.

Illud insuper ex Reineccio quærendum est; quē Auctorem secutus, affirmet, Godefridum, in expeditione sub Vrbano egisse vices Henrici Imperatoris, & propterea primas vbiq; ei fuisse delatas? Nulli veterum hoc in mentem vnquam venit; qui omnes consensu testantur, Godefridum, (vt & alios Principes) proprio studio, & solo pietatis ardore incensum, hoc iter suscepisse, & feliciter etiam confecisse; tanquam sui iuris & nutus; primasque ideo inter omnes meruisse,


quod

quod animi corporisque dotibus reliquis longè antecelleret. Si Godefridus duntaxat Henrici Vicarius fuisset in ipsa expeditione; fuisset itidem Vicarius duntaxat illius in ipso Regno, atque adeò tantum *Vicerex*; vt & Balduinus frater, successor in regno. At quis hæc non dicam fando, sed vel somniando vnquam audiuit.

Ait Reineccius, *secuti sumus Auentinum lib. 5. scriptorem, inquam, talem, qualem inter omnes esse constat*. Nimirum qualem illum artificiosissimo penicillo non semel depingit *Marcus Velserus*, IIVir Augustanus in libris rerum Augustanarum Vindelicarum, & in Boiorum Historia.

Cæterùm vt Dresserus odio Pontificis finxit Vrbanum nihil aliud spectasse, quàm vt Henricum & Imperium pessundaret; ita Reineccius, paribus odij tædis succensus totam huius rei laudem tribuit Henrico Imperatori; *quia*, inquit, *spectat hoc ad Germanici nominis decus*. At non spectat ad nominis Germanici decus, vt tu mentiaris; & alienis plumis Germanos ornes, Ipsi hanc laudem integram sibi non deposcunt; satis habent, quod in communionem laudis admittantur. Interim belle, vt supra monebam, sua vanitate refellit Reineccius vanitatem sui sodalis: neque enim sola veritas, sed & non raro falsitas expugnat falsitatem; quando scilicet simul consistere, & in vna sede morari nequeunt; vt certè nequeunt, quæ Reineccius & Dresserus de caussa huius expeditionis scribunt.

Addo præterea, si Imperator Henricus Germanus, huius expeditionis Auctor fuit, cur tam pauci Germani in eam sua nomina dederunt? Abbas sanè Vrspergensis, Otto Frisingensis, & alij, disertè scribunt, paucos ex Teutonibus in hanc militiam adscriptos fuisse, tum propter schisma inter imperium & sacerdotium, tum quia finis belli huius Germanis vix perspectus erat. Et quamuis Anonymus; Robertus Monachus, Tyrius & alij nominent interdum, *Sueuos, Bauaros, Saxones*, exploratum tamen est, paucos numero fuisse comparatione Francorum & Belgarum; qui longè cæteros superassent, si Imperatoris Germani hortatibus inducti peregrinationem illam obiissent. Ad hæc, Auentinus nusquam scribit, Godefridum Bullionium fuisse in hac expeditione *vicarium* Henrici, & vt scriberet; quis scribenti fidem commodaret; præsertim cum Auentinus de hac militia omnia misceat & prima cum posterioribus, & hæc cum illis confundat, qui in Pontificis mentione omittenda Reineccio *impigrè*, fateor, *præiuit*; & eo ipso Dresseri impudentiam aliquando exorituram, satis refutauit.



CAPVT II.

Expenditur & refellitur altera caussa, qua Dresserus & Reineccius aiunt, Vrbanum Pontif. impulsum, vt bellum transmarinum indiceret.



LTERA caussa indicti ab Vrbano belli, *est regnandi cupiditas*; inquit Dresserus. Hanc vt ob oculos ponat, mendacia in explicatione prioris caussæ effusa repetit, quasi repetita venustiora sint; quam semel tantum effusa. Dicit ergo, *Vrbanum satis aduertisse se terminos suos proferre & dilatare non posse; nisi vires Imperij imminueret ac infringeret; infringendi autem commodiorem viam non occurrisse, quàm vt principes, magnamq́; Imperij partem in Asiam pelliceret ac transmitteret.*

Verùm hanc caussam huius secundæ caussæ refellunt Reineccius & Auentinus, vt antea dictum; qui tradunt, ipsum Henricum Hierosolymam proficisci statuisse; & quidem non semel, vt Auentinus expreśsè scribit; nec Pontificis, sed suopte nutu: imò Pontificis odio incensi isti vix fateri volunt, Vrbanum quidquam ponderis & operæ ad hanc expeditionem contulisse.

Quod si hæc fuit mens Pontificis, quam ei affingit Dresserus, iterum mirari subit, quomodo Henricus IV. Imp. & alij proceres Imperij fucum sibi fieri siuerint; vt proinde Dresserus Pontificem non pośsit facere rapacem, quin Henricum Imperatorem, omnesq́; Germanos faciat stipites ac truncos, omni sensu destitutos, & ad suam ipsorum perniciem operam suam cum opera Pontificis coniungentes.

Deinde cum pauci ex Germanis hanc militiam sub primam prædicationem Crucis profeśsi fuerint, teste Vrspergensi & Ottone Frisingensi, fieri non potuit, vt vires Imperij vsque ad perniciem Imperij & Imperatoris exhaurirentur: nam vt sexcenta vel septingenta millia in Palæstinam migrarint, pleriq́; tamen Franci erant. Et multi ex illis turba imbellis; quorum abitu minimè ita debilitata est Germania; vt *præda foret Pontifici*, sicut iste Pontificis iuratus hostis fabulatur. non enim tam ab incolis deserta est Germania, vt, licet plurimos emittat; domi non retineat, qui defendendis focis & aris sufficiant.

Antequam autem hinc abeo, monere non supersedebo, Reineccium ex nullo scriptore, nisi ex nupero Auētino demonstrare posse, Guelfum Bauariæ Ducem, Crucis signaculum tempore primæ expeditionis sub Godefrido, suscepisse; hoc enim Auentinus, & iste sectarius

rius ex cerebro suo fingunt; aut si non fingunt, nominent auctorem, qui id prodiderit. Ipsemet Anonymus, quem Reineccius vulgauit, nil simile tradit; multò minus alij. omnes enim Guelfi expeditionem referunt ad annum Domini M C I. qui erat primus annus Regis Balduini, successoris Godefridi. Credibile sanè est profecturum fuisse VVelfum cum reliquis principibus, si vnà cum illis signaculum Crucis accepisset. Quod etiam de Conrado Henrici IV. Constabulario intellectum volo.

Reineccius ex his salebris se non extricat. Ait. *De VVelfo, quid caussæ interuenerit, quod is tardius profectionem suam susceperit, ignoratur.* At ego non nesciri existimo; non enim ad primam Crucis prædicationem signaculo Crucis sese insignierat, quidquid Auentinus sine testimonio antiquorum nobis decantet; qui etiam Thiemonem Archiepiscopum Salisburgensem, & Idam seu Itam Leopoldi Ducis Austriæ matrem, & alios post captam à Godefrido Hierosolymam, eadem vanitate ad primam Cruce signationem refert. Sed satis de his. Pergamus.

Vt Dresserus confirmet Vrbanum II. dominandi cupidine inductum, militiam Crucesignatam indixisse & constituisse; hunc in modum scribit. *Caue putes, religionis potius, quàm dominationis caussa bellum sacrum ab eo indictum.* Quam sollicitè monet, vt lector caueat. Ne pareamus tamen monenti, donec cognoscamus caussam, ob quam tam anxiè nos commonefacit. *Ambierat*, inquit, *iam multis annis Ecclesiæ orientalis primatũ, nec potiri tamẽ eo, ad illud vsq; tempus potuit.* Si quis cupiat id, quod sibi iure diuino debetur, is nullius ambitionis insimulari iure potest. At primatus in Ecclesias orientales debetur Pontifici Romano, & debebatur Vrbano II. qui tunc cathedrã Petri tenebat. Stant enim immota illa Redemptoris verba. *Pasce oues meas. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo claues regni calorum.*

Nec verum quod Hæreticus dicit; *Romanum Pontificem non potuisse potiri primatu in Ecclesias orientales; vsq; ad tempus occupatæ per Cruce signatos Hierosolymæ.* quia ante Græcanicum schisma quietè, tanquam pastor pastorum, non modò oues, sed & ipsos orientis Pastores pascebat. Postea discessum est à Romana Ecclesia. At quo bono? vel potius quo non damno & exitio? Nam secessio illa à sede Petri, Sarracenis aditũ ad orientis Ecclesias populandas & deuastandas expeditè patefecit.

Deinde illo ipso tempore, quo occidentales in orientem potenti manu migrarunt; plurimi erant cùm alibi, tum in Palæstina; qui summum Pontificem, tanquam Ecclesiæ caput venerarentur: inter quos & ipse Patriarcha, cum quo Petrus Eremita egit, fuisse videtur; cum scriptores Latini non aliter de illo scribant, quàm de viro præclara

vitæ sanctimonia & innocentia prædito; quod certè non facerent; si schismatis crimine contaminatum aut nouissent, aut existimassent.

Fatemur ergo Vrbani consiliū inter cetera hoc etiam spectasse; vt Ecclesia Christiana, atq; adeò Romana, cui Pontifex præsidet, (quia semper hanc nulla est Christiana) amplificaretur, vtq; oues, quæ per deuia oberrabant, ad ouile reducerētur. Quod Pontifici magis vitio verti non potest; quàm quòd sollicitus ille pastor, proditam & vagabundam ouiculam quæritans, inuentamq; propriis humeris imponens, ad reliquum gregem reportauit; & hoc eo fine, vt noua accessione gregem adaugeret.

Nam quod Hæreticus mentitur, Pontificem *terram ipsam appetiuisse per hoc bellum sacrum*, id cæteris eius calumniis adscribatur; Vrbanum sanè Pontificem liberāt ab hac criminatione omnes principes, quorum forti dextera Palæstina in potestatem Christianorum venit: & omnes Historici, qui clarissimi exercitus generosissima facta in litteras miserunt. nam quod ait, Gregorium IX. occupasse prouincias Friderici II. Imperatoris, dum is in Syria versaretur; id calumnia non vacat: nā Pontifex sibi per vim & iniustè ablata, recuperauit. Nec prior bellum intulit; sed illatum à ducibus Friderici propulsauit. Consulantur Historici, & in his Platina, Pontificibus adulati non consuetus; & iudicium fiat de fronte huius sectarij.

Controuersiarum inter Bonifacium VIII. & Philippum Regem Francorum iudex nec sum, nec esse volo. Hoc tantùm dico, iniquè agere Hæreticos, si ex vnius Pontificis importuniore aut imprudentiore facto colligant, alios itidem Pontifices in simili culpa hærere. Quod enim ad Vrbanum II. & alios interiectos Pontifices vsque ad Bonifacium VIII. (quorum plerique non paucos labores pro terra sancta exantlarunt) si Bonifacius Regnum Franciæ à Philippo, seu meritò seu immeritò transferre aliò vel conatus vel minatus est, dominandique cupiditate longius æquo processit? Quid hoc ad Vrbanum, Innocentium, & similes, ad quos ex Palæstina nihil temporalis commodi redundabat, præter solicitudines infinitas, & innumerabiles impensas; quas fulciendo regno Hierosolymorum tot hostibus vndequaq; cincto, plena manu expendere oportebat?

In hac secunda Cruciatarum expeditionum caussa concinit Reineccius suo præconi Dressero. *Si caussas*, inquit, *scrutére, ea procul dubio princeps deprehendetur, quod Romano solio maior potentia quærebatur, præsertim pendente tunc adhuc lite de Ecclesiasticis dignitatibus à Gregorio VII. Vrbani decessore mota.* Audi Hæretice. Christianæ Reipublicæ & religionis propagatio & amplificatio quærebatur. Hæc autem obtineri non potest;

Z 2 nisi

nisi coniuncta cum Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ diffusione,& ampliatione. Quam qui desiderat, is vtiq; *bonum opus desiderat.* Quid criminis, si pater,filiorum;& pastor,ouium incremẽtum studiosè quærat? Nec lis Gregorij VII. cum Imperatore ius Pontificis imminuit. Abstraxit quidem aliquandiu nonnullas ouiculas, sed suo tempore ad vnitatem & concordiam cum cathedra Petri regressuras. Neque enim huiusmodi nubila semper durant. Disiiciuntur tandem, & in gratissimam serenitatem commutantur.

Mox,inquis,*Hierosolymitanus & Antiochenus Patriarcha Pontificis iugum subierunt.* At *iugum suaue* & *onus leue*, quod qui non præoptat & præfert iugo Lutherano,Caluiniano,& Sarracenico,is, opinor,helleborosis rectius annumeratus, quàm sanis. Addis: *Et hodie etiamnum Maronitæ Christiani, Libani montis incolæ,eidem subiecti sunt.* Ita est,mi homo.Et Romæ collegium Maronitarum à Pontifice Romano conditum est, eo fine; vt eius alumni omni disciplinarum genere in Italia exculti in patriam postmodum regreßi popularibus suis in obsequio Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ persistendi auxilio sint, & incitamento.

Pontificis mente feliciter & ingeniosè ab vtroq; Nouatore explicata;addit Reineccius fabulę *Epicitharisma.* Vocat Vrbanũ, *Turbanum.* idq; ex Bennone,*Cardinale*,vt ait creato,opinor,ab Illyrico;vel si quis talis Benno legitimus Cardinalis vnquam exstitit;liber tamen ille de Gregorio Septimo, mendaciorum abundantißimus, quem iste citat,ex officina eius non prodiit,sed aut post Victorem III.ab Illyrico, aut ab alio quopiam sectariorũ compositus est. Et quia Vrbanus successor & defensor erat Gregorij VII. hinc Reineccio nihil aliud est quàm κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν:*mali corui, malum ouum.* Sed cùm omnes scriptores, quotquot vel ex professo, vel aliud agendo bellum sacrũ literis mandarunt, Vrbanum II. tanquam insignem Pontificem laudibus celebrent, non est quod aut Dresseri, aut Reineccij conuicia moremur,à quibus vituperari laudi est Vrbano,non vituperio:adeò neminem isti vituperãt, nisi sui dissimilem:& neminem laudant,nisi sui similem. Et si isti laudarent Vrbanum, non dubito ex ipsis cœli sedibus recineret illis. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge,* *euge.* Quia;vt inquit S.Augustinus,*tali oleo pinguefactum est caput hæreticorum,cùm dicunt,ego sum, ego sum. Et dicitur illis:Tu Domine. Acceperunt euge, euge, secuti sunt euge,euge: facti sunt duces cæci cæcorum sequentium.* Apertißimis vocibus *Donato* (Luthero) *dicuntur ista cantica:euge,euge,dux bone, dux præclare; & non dixit ille; auertantur statim & erubescant, qui dicunt mihi, euge, euge:nec eos corrigere voluit, vt Christo dicerent, dux bone, dux præclare.*

Psal.69. S. August. in Psal. ...

3.Reg.18.

Olim

Olim primo conſpectu his verbis inuaſerat Achab Rex Eliam Prophetam. *Tune es ille, qui conturbas Iſraël?* Cui intrepidè Propheta. *Nō ego turbaui Iſraël, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Idem reſponſum iure det his hæreticis turbinibus Vrbanus. Non ego turbaui Eccleſiam, ſed tu (Bibliander, Reinecci, Dreſſere, ſimiles) & domus patris veſtri (Lutheri & Caluini) *qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim* (hæreſin.) 3.Reg.18.

Porrò, quia aliquis Hæreticis iſtis obiicere poterat, Pontificem pietatis intuitu, & religionis inſtaurandæ gratia hoc bellum indixiſſe, occurrit Dreſſerus in hunc modum: *Nullum hîc pietatis documentum in Pontifice apparet. Fucata & plena ſuperſtitionis ſunt omnia.* Quid ita verò? *Non enim fundamentum ex verbo Dei vllum proferri poteſt, quo ſuſceptio atq; conatus talis niti poßit.* Ergo, vt video, ex decretis iſtorum, ſacris litteris conforme non eſt, vt impij ex prouinciis, quas Chriſtianis per vim ademerunt, exterminentur? Ergo neque iam licitum erit Turcas ex Hungaria vi & armis expellere. Quo enim iure Cruce ſignati olim in Palæſtina aduerſus Sarracenos bellum geſſerunt, eodem hodie belligerant Chriſtiani cum Turcis in Hungaria, & alibi. An nullo ſacrarum litterarum fundamento nititur, vt iugum Mahometanum à ceruicibus Reipublicæ Chriſtianæ depellatur; & iniuriæ, quæ Chriſtianis Turcæ inferunt, vindicentur; inq; libertatem captiui fratres noſtri, & ſub intoleranda illa Tyrannide gementes aſſerantur? An nulla ſacrarum litterarum auctoritate nititur, vt Chriſtiana religio propagetur, Mahometiſmus excindatur? An hic omnia *fucata & ſuperſtitioſa, & pietatis expertia*, vt iſte inſulſus impoſtor, Turcarumque & Mahometiſmi fautor, & aduocatus blaſphemat?

Reiecerat, Deus ſemel Hieroſolymam, inquit iſte, *& deletam volebat, vt nè lapis ſuper lapide remaneret. Ideo non amplius benedicta, ſed maledicta erat terra; & iacere eam in ruinis perpetuis oportet.* Quàm inconſideratus nugator; quàm incircumſpectus? Eſtne à Cruce ſignatis Hieroſolyma reædificata? Iacuitne perpetuò in ruinis, poſtquā à Tito euerſa fuit? Iacetne hodie, cum à Sarracenis poſsidetur, in ruinis? Iacuitne in ruinis à tempore Saladini; qui eam Chriſtianis eripuit? Nunquamne Hieroſolymæ Chriſtianæ religionis cultus floruit ante Ducem Lotharingiæ Godefridum? Vbi quæſo ſcriptum; quandoquidem ſcripturam ſemper in ore geris; Deum velle, vt poſt deſtructionem ſub Tito, ciuitas illa in æternum nunquam reparetur? Et ſi hæc Dei voluntas erat; qui factum; vt poſtquam ab Aelio Adriano reſtituta eſt; ad hoc vſque tempus duret; tantis annorum ſpatiis, & tanta ſibi mutuo ſuccedentium Principum viciſsitudine? Si Deus noluit vllum

diuinum cultum in illa vrbe vigere; qua ratione accidit; vt ante Constantini Magni ætatem Episcopi sanctissimi cathedram Hierosolymitanam tenerent, & populo Christiano iura darent; & loca Christi contactu sanctificata, religiosissimè colerent; sub ipsum autem Constantini imperium, & multis annis pòst, vsque ad Heracliũ Imperatorem, amplissima & magnificentissima templa Hierosolymis, & in tota Palæstina sint sumptuosissimè in honorem Dei, & memoriam Sanctorum exstructa; vt taceam Monasteria, quorum innumerabilis erat copia.

Quî factum, vt ex toto terrarum orbe omnis ætatis, conditionis, & sexus frequentissimi accurrerent adoratum in loco, vbi steterunt pedes Domini; veneratumq; sacrosanctam Crucem; & sepulchrum Domini; & præsepe, in quo reclinatus; & alia monumenta Christi, & Apostolorum consortio, & vsu consecrata?

Voluit quidem Deus deleri Hierosolymam; & deleuit quoque; sed illam Iudaicam; illam Domini interfectricem: nec tam illam propter illam, quā propter sceleratos incolas deleuit. At vbi vetuit, obsecro, ne in locum veteris & Iudaicæ Hierosolymæ exstrueretur noua & Christiana; Christianorum habitaculum futura? nam non modò quidam ex Christianis Imperatoribus Iudæos ab hac noua Hierosolyma arcuerunt; sed & nonnulli ex Imperatoribus ethnicis. Legimus in Euangelio, Christum prædixisse; forè, vt lapis super lapidem non remaneret. At nusquam legimus; prædixisse, fore, vt nunquam repararetur, Deusque in illo loco coleretur. Multò minus proditum est, hoc à Christo fuisse interdictum.

Vbi vnquam auditum est Aelio Adriano Imperatori, ciuitatis huius alteri conditori in reparatione Hierosolymæ accidisse, quod accidit Iudæis, cum Iuliani Apostatæ auxilio, & impulsu templum Iudaicum Hierosolymis reædificare aggressi fuissent? Lege, oro, Gregorium Nazianzenum, Sozomenum, aliosque, & renuncia mihi, num quid simile in repetita vrbis exstructione euenerit. Nimirum nolebat Deus, vt pro Iudaico cultu templum illud repararetur; & tamen passus est eo ipso in loco exstrui templum cultui Christiano dedicatum; cui etiam tota Hierosolyma destinabatur, si non ex proposito Adriani, certè ex consilio Dei; vtentis ad hoc Adriani, quamuis ignorantis, ministeriò.

Adhæc, quî fit, quod cultus Christianus illa in ciuitate semper durauit, etiam sub Imperio Sarracenorum, licet sub iugo graui? Quî fit; quod ad hodiernum vsque diem adhuc perseuerat, & quidem cultus Christianus, Romanus? Mirum & illud; si terra illa non est

ter-

terra benedicta, sed maledicta; vocatum esse perpetuò, & etiamnum vocari per antonomasiam; *terram sanctam*: idque non solùm sermone & vsu latino; sed & aliarum nationum idiomate ac consuetudine. Quis vnquam dixit; Deum templum & cultum suum; hoc est, Christianum, hic enim iam est verus cultus Dei, vigere noluisse Hierosolymis? An Cruce signati Iudaicum cultum reducere volebant? Hunc olim suum; sed post mortem Christi antiquatum, iamq; non suum, abstulit Deus irreparabiliter; quia Iudaismum non vult reuocari, & resuscitari. quippe iam mortuum ac sepultum. Sed nō inficias ibunt isti, nisi fallor, cultum Christianum, & Iudaicum magno discrimine secerni: illumque Deo in *omni loco dominationis suæ* deferendum esse: hunc nunquam & nusquam.

Quantam porrò amentiam produnt illa verba: *Superstitio erat detestanda. ibi templum Dei, cultum aut regnum instaurare velle, vnde Deus templum & cultum suum abstulerat.* Abstulit Deus ex omnibus propè totius mundi prouinciis cultum Iudaicum: Abstulit synagogas innumeras. An malè fecerunt, qui in ablati cultus Iudaici locum substituerunt templa & sacra Christiana? Mirum, à condito Christianismo, nulli Imperatori, nulli Regi, nulli Principi, nulli deniq; hominum, qui saperet, in mentem venisse, id quod Dressero non modò in mentem venit; sed & in linguam, in calamum, in papyrum.

Sed video, vbi calceus Hæreticum vrat. In locum Iudaici cultus substitutus est Hierosolymis, tam olim à primis Christianis, quàm postea à nostris militibus cruce signatis cultus Christianus, Catholicus, Romanus; qui solus verus Dei cultus. Hoc malè habet hæreticū. Hac cruce angitur: quia, vt omnia sæcula percurrat, nihil Lutheranū, nihil Caluinianum Hierosolymis reperiet; nisi fortè fratrem Caluinismi, aut Lutheranismi Turcismum, seu Agarenismū. In expeditione profectò Godefridi Lotharingi nullum Prædicantem reperiri potui. Quæsiui sollicitè & studiosè. Fortissimi illi, & strenuissimi Heroës pensilem, opinor, fecissent, de proxima & obuia arbore: si tale portentum exercitui crucifero sese admiscuisset. Cæterùm admisceri non potuit. Necdum enim terris erat cognitum. Necdum ex Styge eruperat. Necdum Furiæ Furippos istos genuerant.

Addit Hæreticus. *Errauit Pontifex vehementer, si spem aliquam in terrestri Hierosolyma positam habuit, cùm ideo eam destructam euersamq; funditus vellit Deus, vt ad cœlestem Hierusalem mentes, atq; cogitationes suas omnes Christiani referant.* Iterum mentitur, Deum ciuitatem Hierosolymitanam destructam velle, & quidem funditus. Vnde hoc, oro, tibi constat? An ex sacris litteris? At illæ nihil de hoc; tantùm de illa loquuntur, quæ

Chri-

Christum occidit, illa funditus destructa est; Vbi verò patefecit Deus se nolle, vt in locum destructæ sufficiatur noua? An ex euentu hoc tibi constat? At Hierusalem stetit hactenus per tot sæcula; & stat hodie, stabitque in posterum. Et si Deus penitus destructam vellet; quis voluntati eius obsisteret? Deinde terrestris Hierusalem non magis obstat eleuationi & ascensioni mentis ad cœlestem illam Hierusalem, quàm quæuis alia ciuitas; omnes igitur euertendæ erunt, ne mens à cœlestium rerum consideratione retardetur; imò terrestris Hierosolyma tactu, & præsentia Christi sanctificata; & Christum quasi adhuc spirans, cœlestemq; odorem eius quodammodo efflans, mirabiliter animos ad Christum in cœlo versantem erigit, excitat, inflammat: quod multi iam olim experti, & in his etiam nostri *Cruce signati*, experiunturque hodie; qui loca illa non curiositatis, vt solent sectarij, sed pietatis & religionis gratia adeunt & obeunt.

Rudolph. lib. 4. Hist. cap. 6. Memorabile huius rei exemplum prodidit Rudolphus, editus à Pithæo; quod huc transcribere operæpræcium duxi. *Contigit, vt quidã à Burgundiæ partibus ex Augustodunensi territorio Lethbaldus nomine, cum cæteris Hierosolymam pergens deueniret; qui prospectis locis omnium sacerrimis, cum ad illum locum montis Oliueti deuenisse contigit, ex quo Saluator ad cœlos ascendens, tot idoneis testibus, venturus inde iudicare viuos & mortuos est repromissus, proiiciens se in Crucis modum toto prostratus corpore cum lacrymis inenarrabili mentis iubilo exultauit in Domino, reerigens se identidem palmis ad cœlum extensis, nisu, quo poterat, corpus librabat in altum; ac in voce huiusmodi aperiebat mentis desiderium. Aiebat namq́; Domine Iesu, qui propter nos de sede maiestatis tuæ descendere dignatus es, vt genus hominum saluares, quiq; ex hoc loco, quem oculis intueor, carne vestitus remeasti ad cœlos, vnde veneras, obsecro tuam omnipotentissimam bonitatem, vt si hoc anno est mea anima ex hoc corpore migratura, non hinc recedam, sed in conspectu ascensionis tuæ fieri contingat. Credo enim quoniam sicut te secutus sum corpore, qualiter ad hunc deuenirem locum, sic anima mea illæsa, & gaudens post te sit ingressura ad Paradisum. His peroratis reuersus est cum sociis ad hospitium. Erat autem iam hora prandij. Cæteris verò discumbentibus, conuersus ipse ad lectulum vultu alacris, ac veluti graui sopore paululum requieturus, illicò namq́; obdormiscens, ignoratus quid viderit, protinus dormiens exclamauit: Gloria tibi Deus. Socij quoq; hæc audientes, monebant illum vt surgens comederet, qui noluit, sed vertens se in latus aliud, dixit se pati aliquid incommodi, recubansq́; vsq; ad vesperum, conuocatis sui itineris sociis; viuifica Eucharistiæ requirens accepit viaticum; illisq́; dulciter salutatis emisit spiritum.*

Hæc Rudolphus, qui ex relatione eorum, qui omnia spectarunt, scripsit, quæ scripsit.

CAPVT

CAPVT III.

Laudes figuratæ & diasyrticæ, quibus Reineccius & Dresserus sacros milites afficiunt.

NE isti nimium Satyrici, vel potius Satyri, omnesq; mortales præter se & suos, capitali odio prosequi videantur, laudibus non modicis efferunt Principes, & omnes illos, qui expeditionem in Palæstinam susceperunt, excepto Pontifice Vrbano; huic enim vt vel minimam laudis portiunculam impertiant, impetrare à se nequeunt. Principiò igitur, honoris & reuerentiæ ergò vocat Reineccius Principes istos sacrosque milites noua nomenclatura *Argonautas*. Obstupui, fateor, ad hanc appellationem, præsertim cùm plerique illorum, qui primam expeditionem secuti sunt, nunquam nauigarint, nisi per Bosporum seu Brachium S. Georgij, quo Asia ab Europa seiungitur. Et vt Boëmundus, & pauci alij ex Apulia in oppositum littus traiecerint; minimum tamen viæ nauibus, potißimùm pedibus confecerunt. Mirandum igitur, quomodo iste *Argonautæ* vocabulum ad has nostras pedestres copias transferat, & Christianißimos Principes ethnica appellatione dehonestet. Ipsi profectò nunquam sese *Argonautas* nominarunt, neç scriptores, Orthodoxi; (nam Carionem, Neandrum, & nescio quos alios Hæreticos, ita loquentes nihil moror) qui res ab illis gestas posteritati commendârunt. Semper enim aut *Crucesignatos*; aut absolutè *signatos*, aut *Cruciatos*, aut *milites Christi*; aut *sacram militiam*; aut *milites sepulchri Christi* nuncupant. Quæro, cur hæc nomina displicuerunt Reineccio? Num nobis Godefridum Lotharingum, Principem inuictißimum transformare vult in *Iasonem*, & crucem Christi, cuius in libertatem vindicandę gratia tantum laboris subiit, in fabulosum, illud *vellus aureum*? Absit, absit hæc profana nouitas. Nil commune nostris ducibus *cum Argonautis*: Nil via, nil discrimina istorum, ad viam & discrimina nostrorum. Nil caussa ad caussam; nil virtus ad virtutem, quæ in *Argonautis*, fallax, falsa, & vmbratilis, & fortè nulla; In nostris Principibus vera, germana, solida, vno verbo Christiana.

Nec satis dispicio quid Reineccium impellere potuerit, vt *Argonautæ* appellationem ad hos nostros transferret; nisi fortè Nouatorem nouitas impulit: & odiũ Crucis, & sepulchri Domini; à quibus nomen petere indecorum censens, potius ab *Argonautis* petendum duxit: nisi fortè ideo *Argonautas* nuncupauit; quia vt *Argonautæ*, ita & nostri per Hellespontum nauigarunt: etsi diuerso modo; quia no-

ſtri ſecundum latitudinem ex Europa in Aſiam; illi ſecundum longitudinem ex Græcia in Colchidem.

Sed omiſſo *Argonautarum*, neſcio num vocabulo an conuicio, propius ad encomia, quibus Dreſſerus Cruce ſignatos extollit, accedamus. *Reliqua*, inquit eſt altera *cauſſa expeditionis ſuſcepta à militibus Chriſtianis, quæ vtiq; pia, honeſta, & litteris monumentisq; decoranda eſt.* Mirum dictu cauſſam belli huius in militibus tam piam, honeſtã, litterarumque monumentis exornandam fuiſſe. In Pontifice autem nihil prorſus laudis, & commendationis meruiſſe. An non idem ſacris militibus finis erat, qui Pontifici? An non eadem mens? An non idem cõſilium? Si laudatur in militibus, quare vituperatur in Pontifice? Aut ſi vituperatur in Pontifice; cur laudatur in militibus? An non milites eo in bello ad id vnum toto pectore incumbebant, vt Eccleſiæ Catholicæ, atque adeò Romanæ Imperium proferretur, & læto incremento adaugeretur? An ſacri illi milites euerſionem Romani Imperij per illa ſua arma quærebant?

Quis, oro, magis euertit Romanum Imperium, isne, qui Sarracenos impunè ſuccreſcere, & multiplicari ſinit; an is, qui hanc peſtilentem herbam totis viribus è veſtigio eradicatum tendit, & quidquid occurrit, ferro letali demetit? Cùm igitur confeſsione iſtius ſectarij, mens cruce ſignatorum in hoc bello laudanda & prædicanda fuerit; ſequitur etiam Pontificis mentem laudandam & prædicandã fuiſſe; quia nihil aliud quàm ipſi milites, ſibi propoſitum habuit; & ſi habuiſſet, fruſtra fuiſſet; quia abſque ope militum, nunquam quod voluiſſet, ſi aliud voluiſſet, obtinuiſſet.

Cur verò pia, honeſta, & litteris monumentiſque decoranda ſit militum cauſſa, his verbis nos docet Dreſſerus. *Hi enim ſuo quodam conſilio, neq; impetu temerario ad hoc bellum lati ſunt: ſed Deo pietatem ſuam, Papæ obedientiam, & miſerè vexatis Chriſtianis officium debitum, iuſtumq; perſoluere voluerunt.* Si ob has cauſſas militum cauſſa laude digna eſt; etiã Pontificis cauſſa laude digna erit. Quia ipſe etiam ſuo quodam conſilio, neque impetu temerario ad hoc bellum inductus eſt: ſed litteris frequentibus, imò & lamentis Chriſtianorum Orientalium; & precibus quoque Alexij Comneni Imperatoris Græci; & Deo pietatem ſuam, & miſerè vexatis Chriſtianis officium debitum iuſtumque perſoluere voluit. Miror autem, qua ratione laudet iſte *obedientiam* Papæ à militibus præſtitam; ſi, vt ipſe in Lutheri ſchola inſtitutus credit, Papa eſt Antichriſtus? An laudandus, qui Antichriſto morem gerit? Et multò magis miror, laudari ab iſto *obedientiam* Papæ à militibus exhibitam, ſi, vt iſte mentitur, omnes Papæ cogitationes in

hoc

hoc negotio, pertinebant, *ad euersionem Romani Imperij; & ad superstitionem inducendam & stabiliendam.* Denique quomodo laudanda est caussa militum; si, vt iste dicit, terra illa non est amplius *benedicta*, sed *maledicta*; si Deus *terrestrem Hierosolymam funditus vult esse deletam, & sempiterna obliuione obrutam*, sique à cœlesti Hierosolyma inuestiganda mortales remoratur?

Pergit Hæreticus. *Multa equidem concurrunt, quæ difficultatem tanti belli auxerunt* (imò plurima) *itineris longinquitas, periculum ab hoste, rei ipsius magnitudo.* Iam rectam insistis viam, Nouator, progredere; sed eodem pede, nec opus erit refutatione. *Verùm hæc tamen omnia despexerunt, & pro nihilo putarunt magnanimi illi duces atq; milites, ac vltro sese in discrimen atq; certamen tantum pro salute nominis Christiani obiecerunt. Non patria, non domus, non fortuna, non liberi, non propinqui, eos à spe conatuq́; depulerunt.* Iam tandem lux aliqua veritatis Dressero alluxit: quando, positis calumniis, dignis laudibus tam præclarum facinus Cruce signatorum extollit. Perge bonis auspiciis.

Quod verò nihil aliud in hac expeditione spectarint, aut quæsierint milites isti, quàm veri Dei cultus propagationem, & Christiani nominis à barbarorum blasphemiis defensionem, multa sunt, quæ documenta dant; primum quidem, Pontificis Romani mandatum tanti ponderis tunc apud Christianos fuit, vt instar oraculi diuino instinctu afflatuq́; fusi haberetur. Hic siste gradum. Plura super hoc capite sermocinari mutuò non erit abs re. Ais, milites nihil aliud quæsiuisse, quàm Christiani nominis, & cultus propagationem & defensionem; idque inde etiam colligis, quia obtemperarunt hac in re mãdato Pontificis: Necesse igitur est, Pontificis mandatum fuisse sanctum, omniumque ore celebrandum ac decantandum; cur igitur ob hanc expeditionem indictam tot contumeliis affecisti Vrbanum? Cur tibi & tuis *Turbanus* est, si nihil aliud mandauit his militibus; quàm vt Christianã religionem tuerentur & ampliarent? Quæso te; estne laude dignus is, qui *Turbano* morem gerit? Atqui milites nostri, vel tuo testimonio, laudẽ meritissimò merentur, non igitur *Turbano*, sed Vrbano Christi Vicario obsecundarunt. Vix quid quã vidi mirabilius, quã sint tricæ & pedicæ, quibus se iste inuoluit.

Fatetur rectè fecisse milites morem gerendo Vrbani præcepto; hoc enim spectasse ad propagationem nominis Christiani: & tamen mandatum hoc culpat & carpit in Pontifice, ex solo Pontificis odio, eoque capitali. nam vt omnia in summam contraham: illud Pontificis mandatum aut bonum erat, aut malum; si bonum; cur reprehendis in Pontifice? si malum, cur laudas in militibus? neque enim laude dignus est, qui malo cõsilio obsequitur. Deinde ex verbis tuis

colligo, milites nostros non fuisse Lutheranos aut Caluinianos, vt nec alios eius ætatis Christianos; quia si vestri similes fuissent; iussa Pontificis minimè pro iussis ipsius Dei reputassent: Etsi tanti ponderis erat tunc mandatum Pontificis apud Christianos, quanti tu verè fuisse scribis; vos igitur eo tempore aut nondum nati eratis; aut nondum Christiani eratis; quia, vt hodie, ita & tunc, nullius momenti fuisset apud vos mandatum Pontificis. Quod si tunc, si vixissetis, Christiani non fuissetis; quia auctoritas Pontificis omnibus Christianis sancta & veneranda, in nullo precio & numero apud vos fuisset, vtique nec hodie Christiani estis; quia nulli sunt veri Christiani; nisi sint similes illis, qui per totum terrarum orbem sub vno capite Pontifice Romano viuebant eo sæculo; quo prima expeditio Cruce signata in Palæstinam instituta est.

Iam ad alia. Ais, *Quanquam totum illud Pontificium edictum ex rebus fictis atq; commentitiis, hoc est, Petri Eremitæ somnio quodam constitit; tamen militum Christianorum nihilominus est laudandus zelus, atq; in suscepto consilio propositoq; perseuerantia.* De somnio Petri paulò pòst plura aduersus hunc somniatorem. Nunc illud dico; tenere istum solenne suum, quando scribit, basin & fundum huius edicti fuisse Petri somnium. Nihil minus. Fundus fuit calamitas Christianorum sub iugo Sarracenico ingemiscentium, opemque fratrum suorum implorantium. Fundus fuit spes & desiderium non modò comprimendi Mahometanos, ne latius se diffunderent; sed & eosdem eiiciendi ex promissionis terra; quod & felicissimè cecidit. Fundus erant tot litteræ missæ, tot cohortationes factæ, tot preces oblatæ, tot deliberationes habitæ super hoc negotio, etiam tempore Gregorij VII. qui hanc militiam animo non segniter versasse fertur; etsi ipse aliis impeditus, nihil expeditum dare quiuit.

Petri somnium ad ipsum Petrum præcipuè excitandum, & animandum pertinebat; vt ex Tyrio, & Anonymo liquet. quod cur iste fictitium arbitretur; caussam nullam video; quàm quia nihil credit, nisi quod ipse in phantasia sua somniat. An ideo falsum censet; quia somnium fuit? Atqui etiam Pharaonis & Nabuchodonosoris somnia verè fuère somnia; & tamen fuère vera, futurorumq; certa arguméta. An ideo falsum credit, quia iam temporibus legis Christianæ nihil per somnium mortalibus patefieri censet? At hoc falsum esse, euincit vel ille Angelus, qui apparuit Ioseph in somnis, deque abitu in Aegyptum, & reditu ex Aegypto instruxit: *Et Magi responso in somnis accepto per aliam viam reuersi sunt in regionem suam*: vt taceam ad testa-

Ioël. 2. Act. 2. mentum gratiæ potissimùm pertinere illud Ioëlis, vel ipso Apostolo

Petro

Petro interprete: *Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus: effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.*

Quæ igitur caussa, cur fidem abroget Hæreticus somnio Petri? An exitus somnio nō respondit? At respondit. An est veterum quispiam, qui somnium hoc Dæmonis illusioni ac præstigiis adscribat? Nullus est, qui tale quid in commentarios retulerit. Quicunq; hoc somnium attingunt, illi non aliter attingunt, quàm Anonymus Reineccij, cuius verba accipe: *Interim tenebris cœlo circumquaque incumbentibus, Petrus orandi gratia ad sanctum sepulchrum redit. Vbi sub vigiliis & orationibus fatigatus, somno decipitur. Cui in visu maiestas Domini Iesu oblata est, hominem mortalem & fragilem sic dignata alloqui; Petre dilectissime fili Christianorum, surgens visitabis Patriarcham nostrum, & ab eo sumes cum sigillo sanctæ Crucis literas legationis nostræ, & in terram cognationis tuæ iter quantocyus accelerabis, calumnias & iniurias populo nostro & loco sancto illatas referabis, & suscitabis corda fidelium ad purganda loca sancta Hierusalem, & ad restauranda pericula sanctorum. Per pericula enim & tentationes varias Paradisi portæ nunc aperientur vocatis & electis.* Hæc Anonymus: similia Tyrius, & alij; quos nugatori huic opponere; nihil aliud est, quàm nugas eius refellere. *Anon. lib. 1. cap. 5.*

Obseruetur autem constantia Dresseri, qui antea contenderat, bellum hoc vlciscendi & regnandi cupiditate nixum fuisse, is nunc ait, alia fulcra non habuisse; quàm *somnium Petri Eremitæ, & superstitionem: si bellum hoc consideres, vt à Pontifice profectum; nam si milites intuearis,* ait iste; *nil nisi religionis amor, sepulchri Domini cura, & Sarracenorum Turcarumq; depulsio, pia & iusta illis arma induit.* Hic primùm sciscitari lubet, quomodo sint pia & iusta arma; quæ *vanis somniis* & *superstitione* nituntur. At ista talibus columnis nitūtur; quia etiam ex parte militum, aliis non nituntur, quam ex parte Pontificis. Si igitur *somniis* & *superstitione* ad hæc arma Pontifex inductus est; vt blaterat Hæreticus; oportet & milites somniis & superstitione ad hæc arma capessenda impulsos esse; quia caussæ inferiores & subditæ, impulsæ à superioribus non alium finem spectant, quàm superiores; si ex impulsu superiorum agant.

Deinde Pontifex ipse, & omnes scriptores testantur, Vrbano belli huius aliam non fuisse caussam, quàm religionis amorem, sepulchri Domini curam; & Sarracenorum Turcorumque depulsionem. Cur igitur ipsi Pontifici, & tot scriptoribus non magis fidem accommodaremus, quàm Hæretico, qui hoc leuiter, inconstanter & impudenter inficiatur?

Præterea si milites isti amore religionis & fidei veræ excitati sunt ad hęc arma; certū autem sit, eos non amore Lutheranismi aut Caluinismi

 nismi

nismi excitatos esse; sed amore eius religionis, quæ hodie etiam in Catholica Ecclesia sub Romano Pontifice viget; quęque vnicâ magis est vnica, omnis consortis nescia, necessariò conficitur, Lutheranismum & Caluinianismum, non esse religionem, sed sacrilegium; non fidem, sed perfidiam; etiam assertione Dresseri; qui *crucesignatorum* arma dicit fuisse *iusta & pia*, hoc itidem titulo, quod sumpta fuerint amore religionis; vtiq; legitimæ & genuinæ; Arma enim quæ sumuntur amore religionis falsæ, minimè pia & iusta censeri possunt. Illud etiam non iniuria petat quis, quomodo sint arma *pia & iusta*, quæ sumuntur propter curam & venerationem sepulchri Dominici; si, vt Lutherus scribere non erubuit: Deus non magis curat Dominicum sepulchrum, quàm *vaccam Helueticam?* An Hæreticus hoc patentis sui effatum tanquam impium & execrabile detestatur? Vtinam detestetur; socios habebit in dicti huius detestatione omnes *crucesignatos*; quorum animus tam religiosè afficiebatur erga sepulchrum Dominicum; vt se milites & peregrinos sepulchri Dominici nominarent; eius interpositu fidem suam obligarent; & si quid iureiurando confirmandum erat; per *sepulchrum Dominicum*, tanquam per rem sacratissimam, iusiurandum dabant: & hodie nobilissimi quiq; Equites *sepulchri Dominici* sese creari & nuncupari, summo sibi honori ducunt. Si sepulchrum Dominicum sanctius non est, & sic Deo magis cordi, quàm *vacca Heluetica*, poterunt Lutherani ex suo grege instituere milites, peregrinos & equites alicuius *vaccæ Helueticæ*: non inuidebimus illis hæc tam honorifica cognomenta & insignia.

Ad extremum, quomodo depulsio Turcarum & Sarracenorum existimari potest *pia & iusta*; si, vt scripsit Lutherus, non improbante Dressero, ni nolit esse Lutheri discipulus; Turcæ longè sunt *meliores & prudentiores, & æquiores*, quàm *nostri Principes?*

Quomodo sunt arma *pia & iusta*, quæ suscipiuntur pro *terra maledicta*; vt ait Dresserus; & pro ciuitate, quam Deus in æternum excisam euersamque cupit? Quomodo sunt arma *pia & iusta*, quæ suscipiuntur aduersus Turcas, cum *præliari aduersus Turcas, sit repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*, vt insanit Lutherus; cuius insanię Dresserus proculdubio subscribit, tanquam insani magistri non sanus discipulus. Miror autem frontem Caluiniani Iunij, qui scribere non erubuit; *Lutherum nunquam simpliciter affirmasse contra Turcas pugnandum non esse, sed κατά τι* (secundum quid) *respectu conditionũ horum temporum*. Quæso, num totum mundum delirare isti existimant, vt nullus planè supersit, qui nouissima hæc commenta animaduertat?

Luth. asser 34.

Iun. contra quint. controu. Bellar.

Quid

Quid clarius his Lutheri verbis, simpliciter, & non tantum *secundum quid* pronunciatis? *Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.* An non hoc asseruerauit prius Lutherus? An non à Luthero assertum damnauerat Leo X? An non hunc eundem articulum totidem verbis repetitum, in assertione Articulorum tueri conatur Lutherus? Quæ hæc Prædicantium impudentia, vt Luthero aliam mentem aduersus clara & testata Lutheri verba affingunt?

An ideo verba ista non simpliciter, sed *secundum quid* accipienda sunt; quia in fine defensionis insani articuli; subiungit Lutherus: *Qui habet aures audiendi audiat, & à Turcico bello abstineat, donec Papæ nomen sub cælo valet:* quasi his verbis insinuet non simpliciter non esse aduersus Turcas bellum gerendum; sed non esse bellum contra Turcam suscipiendum, nisi post extinctum *Papam*, omnesque *Papistas* ad internecionem vsque deletos. Cæterùm licet hæc stultitia aliquod temperamentum esset, an ideò verba illa absoluta non essent? *Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, &c.* An non hæc verba furore, forsan & Baccho ebrius prius effutiuerat Lutherus; quàm explicationem assertionis suæ aduersus Leonem Pontif. Maximum furiosissimè conscripsit?

Deinde nego verba prædicta vllam assertionis limitationem continere. Nam qui dicit, non esse pugnandum aduersus Turcas, *donec Papæ nomen sub cæco valet:* is dicit, aduersus Turcam non esse pugnandum, nisi in nihilum redacto Papa, totaque eius auctoritate obtrita; & debellatis omnibus, quibus *Papæ* nomen, & officium est in precio: at hæc hypothesis simpliciter est impossibilis: Immobiliter enim perstant promissa illa Christi: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Qui ergo docet, arma aduersus Turcas sumi non debere, nisi Pontifice & Pontificiis exterminatis, ille simpliciter docet, non esse bellum cum Turca gerendum; quandoquidem nullo vnquam tempore vllis machinis efficietur, vt Papæ nomen *sub cælo nihil valeat.* Quemadmodum igitur ille, qui diceret; cùm Turca bellum non esse gerendum, donec cœlum ruat; simpliciter diceret, cum Turca bellum non esse gerendum, ita & Lutherus simpliciter hoc asseuerat.

Interim tamen placet, quod Iunius agnoscit, Lutheri mentem hanc fuisse, vt Turcæ arma non inferantur, nisi prius euerso Papa, & omnibus illis expugnatis, apud quos Papæ auctoritas sacrosancta habetur. Hoc enim volunt illa: *Donec Papæ nomen sub cælo valet:* Valet enim apud illos, qui Papam, vt Christi in terris vicarium, venerantur.

En mansuetudinem quinti Euangelij; quod patientius est Turcæ & Alcorani, quàm Pontificis & Pontificiorum; quandoquidem non modò

modò cupit, sed & edicit; vt, omissis Turcis, arma vertantur in Papam, inque illos, quibus Papæ nomen sanctum est ac venerandum. *Sensit Lutherus*, verba Iunij refero, *& non sine causa, his temporibus eam Christianitatis conditionem esse, vt ipsam prius & potius de suo statu intus curando videre oporteat, quàm de bello inferendo foras.* Explicatius mentem Lutheri nobis explicare potuisses, si lubuisset; sententiæque sanguinariæ te forsitan non suppuduisset. Voluit nimirum Lutherus prius debellandos esse Pontificem & Pontificios, quàm Turcam; & quia hoc fieri nequit; simpliciter etiam voluit, Turcam non esse impetendum armis: licet hanc suam mentem verbis illis: *Præliari aduersus Turcas est repugnare Deo, &c.* iam antea satis patefecisset.

Sed iam ad Dresserum, qui subiungit: *Si caussa belli huius non fuisset ita superstitione pontificia contaminata, absque dubio euentum habuisset longè meliorem.* Nimirum hæc est vis totius orationis Dresserianæ. Petrus Eremita visione cœlesti excitatus, imperterrito animo legationem in occidentem ad Pontificem Romanum, alios Principes & Respublicas suscepit; ergo fieri non potuit, vt prima illa expeditio admodum felicem exitum sortiretur. Atqui rumparis licet Hæreticè; felicissimum exitum habuit; & talem, cui ex omni Christiana memoria vix vllus comparari; certè nullus præferri iure potest. Videtur tamen Dresserus hoc insinuare velle, si expeditio illa minus superstitione contaminata fuisset, hoc est, si Lutherana fuisset; & milites Lutherani, vel Caluiniani, non cruce, sed cristis conspicui, longè meliorem habuisset euentum. Quid igitur cunctamini Lutheristę & Caluinistæ; quin prædicatis non crucem; quia hoc vobis nefas, sed arma aduersus Turcas in Palæstina? videamus num septingenta vel octingenta millia ad classicum vestrum sint conuolatura. Quid moramini? Videamus num transita Hungaria, Bulgaria, Thracia; Nicæam in Asia, & Antiochiam, & alias innumerabiles vrbes, & tandem ipsum Hierosolymam felicius sitis occupaturi sine cruce; quam Crucigeri nostri cum Cruce. Quid statis? Quin arma expeditis & *iuratis in hæc: simul imis saxa renarint, vadis leuata, ne redire sit nefas.*

Crucem, vt humeris vestris affigatis, non postulamus; quandoquidem iam dudum quis animi sui sensus esset, Lutherus his verbis exposuit. *Si essem miles, viderem\u0026 in acie sacerdotem aut vexillum cruce insignitum, vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, quàm si me ipse Diabolus insequeretur.* Bone Deus, quid fecisset Lutherus in cruciata expeditione; vbi omnes & singuli Cruce insigniti erãt; vbi vexilla, clypei, hastæ, galeæ crucibus micabant; vbi sacerdotes, propositis crucibus, milites ad arma exacuebant? Lutherus cum Diabolo suo derepen-

derepentè in pedes sese coniecisset; odiumque crucis currenti alas addidisset.

Necdum finem ineptiendi facit Hæreticus. Audiamus patienter, quæ restant, quandoquidem hucusque durauimus. *Incendit præterea optimos milites* (optimi fuerunt, quia Catholici & Pontificij) *ad cupiditatem atque studium huius belli durißima seruitus Christianorum in terra sancta;* (non est ergo terra maledicta, vt tu supra dicebas; quia esse terram sanctam, vt hîc fateris, & esse *terram maledictā*, vt supra asserebas, prorsus sunt contraria & asystata) *qua erant oppreßi à Sarracenis.* (Eadem caussa incendit Pontificem ad cupiditatem & studium huius belli, testibus cunctis historiarum & Annalium scriptoribus; testatur id ipsum luculentissimè oratio plena diuino spiritu, quam ad circumfusam multitudinem habuit Vrbanus Pontifex in Concilio Claromontano, quæ exstat apud Robertum Monachum & Tyrium). *Ac habet sanè laudem suam expeditio, quæ pro Christiana libertate suscipitur; sed abesse debet superstitio:* hoc est (vt interpreter Dresserum) debet esse Lutherana vel Caluiniana expeditio, absque Cruce; absque Sanctorum reliquiis, absque Sacerdotibus, qui Sacramenta militibus administrent; & absque vllo, cui aliquid reueletur à Deo vel sanctis Angelis; etsi nil obstat, si in huiusmodi exercitu reperiantur, qui cum Diabolo *modium salis*, more Lutheri, abliguriant; & noctu vel interdiu cum illo consultent; quomodo Cruces sint confringendæ, Reliquiæ dissipandæ; aræ euertendæ; opesque Ecclesiasticis ex templis in priuatos loculos & sacculos euerrendæ.

In Vngaria, inquit Hæreticus, *infeliciter pugnatum est, quoties Romani Pontifices vel Episcopi Christianis ardentes faces belli aduersus Turcam ministrarunt.* Impudētissimum mendacium. Nam sæpissimè feliciter pugnatum est etiam in Hungaria, aduersus Turcas impulsu Pontificis & Episcoporū; vt notum in Vngaricis Historiographis versato, ac non planè peregrino. Quæso, cuius auspiciis parta est victoria nobilissima ad Albam Græcam; quando Ioannes Capistranus cum Cruce signatis eò accurrit; & potentissimū Turcarum exercitum ab obsidione depulit; strage multorum millium Mahumetanorum patrata. Et vt aliquando improsperè pugnatum fuerit; quando suasu aut Pontificum aut Episcoporum arma sumpta sunt; sæpe tamen infaustissimè & perniciosissimè signa cum Turcis collata sunt; quando non Pontifices; sed ipsi Reges ac Principes suopte nutu; sine vllius Pontificis aut Episcopi instinctu in Turcas duxerunt. Quis tunc caussa cladis exstitit? Certè si Pontificis, aut suasio & cohortatio caussa calamitatis foret; necesse esset, vt quando hæc abesset; lætus euentus sequeretur; & quando

adesset; tristis & calamitosus; at secus fit; quod omnibus, quibus sycophantia oculos non occæcauit, cognitissimum est.

Dic, sodes, hæretice, quis auctor fuit prælij ad Echinadas superiore sæculo commissi. Dic, oro, sed planè, absq; ambagibus. Illud simul expone, cuius suasu Alfonsus Rex Castellę; cũ vicinis fœdere sibi iunctis Regibus, in saltu Castulonensi ducenta millia Sarracenorum trucidarit sub Innocentio III? Sed nimis in hac tam manifesta vanitate refellenda immoror; & exempla sector externa; cum præsens argumentum abundè huius hæretici effrontem frontem coarguat. Aio enim, Cruce signatos primæ expeditionis, cui Dux Godefridus præfuit; & postea occupatis Hierosolymis, regnoq; constituto, Godefridum Regem primum, & Balduinum fratrem eius successorem, & alios Reges & Principes per aliquot annos fortunatissimis successibus in conflictibus aduersus Turcas vsos; & quibus vix meliores aut mirabiliores literarum monumentis proditos legimus. Testem do Robertum Monachum, Tyrium, & hunc ipsum Anonymum, quem edidit Reineccius, & Dresserus censura sua fœdauit. Ea profectò de his Heroibus scribunt, quæ clarissimorum olim Ducum famam vel adæquent vel superent. Et tamen quis Auctor & suasor huius belli? Nonne Vrbanus? Nonne alij Pontifices Romani? Nonne Episcopus Podiensis? Nonne alij Antistites, qui sepius etiam pręliis interfuerũt, non pugnandi, sed milites solandi, & exhortandi, crucemque præferendi gratia? Et audet adhuc caput hoc multum quiritari de infelicitate huius expeditionis impulsu Vrbani II. susceptæ?

Fortè hoc ad felicitatem belli pertinere arbitratur, vt nullus vnquam cædatur ab hostibus, nullus intercipiatur & in vincula compingatur; nullus vulneretur, nullus morbo aut inedia consumatur, nullus alia molestia affligatur. Vbi vnquam à creato mundo talis expeditio aut visa aut audita fuit; Aut si putant talem institui posse; aut experiuntur id ipsi; ipsoq; expriméto suam in sententiam nos traducant. Appendant signis suis biblia Lutherana aut Caluiniana, aut in ipso certaminis ardore ferat ea, media inter agmina Prædicans; non sine illo celeusmate. *En verbũ Domini, quod in æternum manet.* Videamus, num tam lætis victoriis potituri sint, quam lætis potiti sunt nostri Cruce signati, quando Antiochiæ ab Episcopis & sacerdotibus lancea Dominica, & cruces, exercitui præportatæ sunt, & post captam Hierosolymam quando ipsa Domini prima & vera crux semper in aciem educta fuit; tutelę, & solatij, & victorię obtinẽdæ gratia, præsentibus Episcopis & Sacerdotibus, quorum suasu & hortatu bella illa gerebantur, vt taceam primum suasorem Romanum Pontificem.

Iam

Iam perge. *Non potest bene procedere bellum, quod impulsu, aut ductu Pontificis geritur.* De ductu non laboro. non enim ipse Pontifex ducit exercitus. De impulsu, impudenter, more tuo, mentiris. Redarguunt te ferè omnia prælia, quæ cum Turcis iniit Godefridus Dux Bullionius & Balduinus, frater eius, quorum gesta discripsit Reineccij Anonymus. *Rectè dixit Lutherus*, inquis. *se nolle esse in eo exercitu, si miles esset, cui Pontificius aliquis sacerdos præsit, quod in templo is, non in acie collocatus sit.* Non tantum hoc dixit Lutherus; sed & addidit, se si Crucis aut Crucifixi imaginem in exercitu conspicaretur, non aliter fugam initurum, *quàm si ab ipso Diabolo insequente in fugam compelleretur.* Certè si ita animatus fuit Lutherus, vt reuera fuit, nihil loci reperisset in expeditionibus Cruce signatis, vbi omnia plena crucibus & Sacerdotibus. Iam antea monui, & nunc iterum moneo, prodite vos aduersus Turcas in aciem; Educite Prædicantes vestros, & biblia Lutherana aut Caluiniana, sicut nostri milites eduxerunt Sacerdotes & Cruces. Si plura & præclariora facinora aduersus Turcas patraueritis, quàm ipsi patrarunt, fatebimur libentes volentesque, sacerdotes & Cruces longè à militia relegari debere.

Quod si, vt inquis, ex sententia Lutheri, *sacerdos pontificius non in acie, sed in templo collocandus est*, cur ex tam innumeris templis pontificios sacerdotes eiecistis; & quidem numero tam multos, vt, si in vnum congregari possent, exercitum omnibus Lutheranis debellandis sufficientem constituerent.

Adiungis. *Quod considerare cum animo suo etiam tunc debuit Romanus Pontifex, cùm sacrum bellum indixit: ne, inuito Deo, refragante muneris impositi officio, aduersante fortuna, in discrimen atque dimicationem capitis tot fortes & probè paratos milites adduceret.* Considerauit omnia, & longè accuratius, quàm tu. In omnes partes oculos circumtulit; quidquid munus sibi impositum ferret, diligenter perpendit, antequam ab vllo Lutherano monitore hac de re moneretur. Quia nimis serum fuisset; si isti exspectandi fuissent. Et adeò Deo non inuito Pontifex milites istos ad arma sumenda conciuit; vt ipso in Claromontano Concilio perorante, omnes quasi vno pectore & ore exclamarint; DEVS VVLT, DEVS VVLT, quod ipsis deinceps tessera belli fuit. de quo pulchrè Angelius Bargæus in sua Syriade.

Vix ea fatus erat, procerum cum cætus ouantem
Sustulit exultans clamorem ad sidera, qualem
Nubibus abruptis dare sæpe tonitrua suerunt,
Poscentes bellum, seque in diuturna vetantes

Tempora perplexis differri ambagibus, idq;
Vnum omnes ore exclamant, vnum ore frequentant.
VVLT DEVS *hoc fieri bellum, iubet arma moueri*
Hæc Deus, & specubus resonans respondet ab imis
Vox eadem.

Sed de hoc plura postmodum. *Satis iam de caussis belli sacri dixisse* (imò mentitus esse) *videor*, inquit Hæreticus, *quæ omnia ad eam summam referri volo* (redigit in Epitomen sua mendacia) non potuisse hoc bellum felix & salutare esse Ecclesiæ Christi (fuit felicissimum & maximè salutare, præsertim primum sub Godefrido) *idcirco quia Pontificis instinctu vel potius edicto susceptum est:* (mendacij crassi caussa mendacissima;) *non iudicio aliquo, aut consilio pio* (nil nisi mendacia fundit) *sed vindicta & regni cupiditate* (repetita mendacia) *non religionis propagandæ studio, sed superstitionis vanæ commento, nō ornandi caussa Christi gloriam, sed gratia amplificandi sedis Romanæ potentiam.* Quot verba, tot mendacia, clara, perspicua; testata argumenta capitalis in Pontificem odij; cuius factum in ipso vituperat; in militibus laudat: cùm, ringatur licet, nunquam demonstraturus sit aliud Pōtifici in hoc bello propositum fuisse, quàm militibus; & aliud militibus, quàm Pontifici. Quid non audet comminisci odium, securū omnis iudicij, dummodo sese exerat, aliquid tentet, eumque, in quem festur deprimat & maledictis incessat.

Niceph. lib. 1. Non possum committere, quin hic ad scribam verba Nicephori Gregoræ; quia sensum mentemque meam tam liquidò exprimunt, quam si à me sensus mei patefaciendi gratia fuissent prolata. *Sæpe*, inquit, *mecum ipse miratus sum, qui fieret, cum plerisq; mortalium quietā & tranquillam prorsus agere vitam liceret, ac plurimos habere, quibus admirationi essent, nullos verò penitus inimicos, vt ipsi ad quosuis proscindēdos propensi, linguas improbas, futiles & contumeliosas vltrò exacuerent, idq; nulla sæpe occasione data, quæ ad huiusmodi maledicentiam iure illos incenderet. Illos verò magis etiam sum miratus, qui Imperatores simul (* clarissimos Principes *) & Patriarchas,* (& in his Romanum) *falsis maledictis incessere, ac impudenter proscindere audent. Sed hi admiratione omnium maxima me affecerūt, qui tam falsa maledicta sua mandare litteris non dubitarunt.* (ex quorum numero non postremi Dresserus & Reineccius) *nam conuicia quæ lingua proferuntur, statim aura dissipat. Quæ verò scribuntur, & libris imprimuntur, diutius & grauius eos, quos læserunt iniuriâ premunt: auctoritate à scriptura petita, & longo tempore se iactante.*

Nescio, qua gratia hæc facere studeant, aut cuius lucri spe in talia præcipitia incurrant. Nam siue vt singularem suam improbitatem expleant, adeò falsa maledicta

ledicta congerunt, malè faciunt, & turpiter admodum, suoq; capiti nocent. Nam improbitatis suæ monumentum produnt posteris, quod cum bene dicendo & celebranda veritate innotescere auditoribus licuisset, plaustris conuiciorum in innocentes effundendis, semetipsos traducere publicè maluerunt, haud secus ac ii, cui liceret in terra continente beatè securéque viuere, in Atlantici maris tempestates ac fluctus vltrò se coniiceret. Siue ob diuturnitatem scriptorum suorum ita conuiciantur & mentiuntur: etiam sic procul à scopo aberrant, infirmis rationum suarum iactis fundamentis. sciunt illi quidem forsitan, vulgi aures insectatione aliorum, quàm collaudatione magis delectari, ac iniurias quàm rectè facta libentius legi, quamuis illas prolixa mendacia venditent, hac verò lux veritatis antecedat. Nec in hoc vel iustitiæ præsidem animis intuentur, vel æqua & recta iudicia bonorum virorum reuerentur. Quæ res non adeo illis obest quos vituperant, quàm ipsis obtrectatoribus, quòd & homines cordati malis suspicionibus aduersus illos conceptis eos inter improbos perpetuò numerabunt: & Deus iustitiæ præses linguas eorum grauioribus pœnis persequetur. Atq; etiam interdum ex ignoratione veri & imperitia rerum, quæ à quouis audierint, priusquam expendant, sintne probabilia, & veritati consentanea, an verò absurda, & ab ea prorsus abhorreant, sic illas chartis illinunt, ac memoriæ mandant, easque caussas afferunt, quæ nullæ sunt, & ea dicunt, quæ neque facta sunt, neq; omnino fieri possunt, quales esse Platonis ideas accepimus, & tragelaphos ex Indicis monstris in Asia narrari ab iis, qui figmenta figmentis cumulant, vt maiorem in animis auditorum admirationem concitent.

Hæc scitè & eleganter Gregoras; quibus Dresserum, Reineccium, & similes ad viuum nobis exprimit: & quę illos merces ob tot calumnias in Pontificem effusas maneat, perspicuè ostendit. Quamuis autem isti videri velint, quasi milites laudent; solum verò Pontificem maledictis incessant; attamen tota illa laus tantum est *figurata*, vt S. Hieronymus appellat, *& ironica*, omnisq; illa maledicentia, qua Pontificem appetũt, redundat in fortissimos illos milites pro Pontificis, tanquam pro Patris gloria mortem oppetere paratos. Si enim *vindictæ*, & *regni cupiditate* & *superstitionis amore* Pontifex ad hoc bellum fuit impulsus, iisdem caussis impulsos oportuit ipsos milites, cùm se hac in re velut obsequentissimi filij cum parentis optimi voluntate ac proposito conformarint; vt fusius antea demonstratum.



CAPVT QVARTVM.

Refelluntur calumniæ Reineccij in bellum sacrum.



AVDAT Reineccius bellum sacrum; sed ita; vt laudatio eius parū à vituperatione discrepet. Obiicit. I. *varia fuisse de hoc bello iudicia.* Testes citat Tyrium, Vrspergensem, & suum Anonymum. At, quid hoc ad imminuendam gloriam & præstantiam Cruciatæ expeditionis? Quæ res vnquam tam præclara exstitit, de qua non simul atque in lucem prodiit, varia fuerint iudicia? Vel ipsam religionem Christianam intuere; quam non modò variis iudiciis, sed & acerrimis aduersariorum contradictionibus mirificè exagitatam nouimus. *Defecta hac*, aiebant Iudæi, *notum est, quia vbiq; ei contradicitur.* Act. 28.

Deinde, cur taces, quinam sequius de hac expeditione iudicarint, & quam ob causam? nimirū *Teutonici*, vt ait Abbas, & quidem *simpliciores*; caussarum tantæ expeditionis ignari; qui à *commeantium turbis rem ad integrum edocti*, sinistrum iudicium mutarunt in dexterum. Scilicet nihil vnquam aggrediendum erit; donec quiuis de triuio præclarè de conatu illo iudicet: nec bene sentiemus de Crucesignatis, quia, vt inquit Reineccius, *nescio quid in illis accusat Nicephorus Gregoras capitalis & æternus Latinorum hostis.* Multum certè horum vel iudicia, vel accusationes milites sacros grauant; vt & id, quod in Petro Eremita dicit accusari ab Vrspergensi; & si ipse non accusat; sed quid quidam de Petro senserint, chronographi more, tantummodo commemorat. *Primi*, inquit, *Petrum quendam Monachum sequentes, quem tamen postea multi hypocritam fuisse dicebant, &c.* Hic non explicat ipse suum, sed quorundam aliorum de Petro iudicium: quem Robertus quoque carpit; eumque inter cætera dicit, *summam abstinentiam in deliciis quæsiuisse.* Robert. lib. 2.

Quæ accusationes num veræ sint, pro certo non scio: veras non esse, verisimiliter existimo; tum quia plures laudant Petrum, tanquam virum vitæ sanctimonia & morum integritate conspicuum; tum quia notum est, de viris, etiam innocentissimis, Deoque charissimis varia solere non tantum spargi, sed & in chartas referri, aliquando per imprudentiam, aliquando per inuidiam, interdum aliam ob caussam; tum quia facta Petri argumento sunt, eum pietate insigniter excelluisse: tum demum, quia longè humanitatis legibus conuenientius est de non aliunde, quàm ex aliorum relatione noto bona, quàm mala credere, præsertim si plures sint, qui bona memorent, quàm qui mala, constetque alioquin fuisse communionis & societatis Catholicæ hominem. nam si Hæreticus aut Schismaticus fuerit, idque certò liqueat,

liqueat, malum fuiſſe nobis perſuadeamus oportet; licet omnium ſcriptis celebretur; Qui enim hæreticum dicit, is ſentinam quandam omnis malitiæ dicit.

Cæterùm quiſquis Petrus Eremita fuerit; ſiue in eum quadrent, quæ Vrſpergenſis ex nonnullorum ſententia tradit; ſiue fuerit, qualis à Roberto depingitur; ſiue etiam ab Antiochena obſidione clanculum ſeſe abducere voluerit, quid hoc ad reliquos ſacræ militiæ milites? quorum præconiis nec illi officiunt, quos luce clarius conſtat rectâ mente nomen in hanc militiam non dediſſe, & ad terram ſanctam ſanctè non migraſſe, nec in terra ſancta ſanctè habitaſſe. Quid mirum, ſi inter tot myriadas inuenti ſunt officij Chriſtiani immemores? Si propter admixtionem improborum culpandi aut tollendi ſunt probi; culpandæ, & tollendæ erunt integræ prouinciæ; quia, nulla, opinor, eſt regio aut natio, in qua non ſint paleæ cum tritico, aut cum frumento zizania.

Quocirca cauſſę nihil erat, cur Reineccius tam anxiè conquireret vitia incolarum Palæſtinæ. Vertat oculos ad ſuos; & vbi omnia ſcelera exſtirparit, tum Palæſtinæ vel emendandæ vel caſtigandæ, & increpandæ operam nauet.

Verùm quæ hactenus allata, adhuc fuère tolerabilia. Quis ferat illud, *teterrimæ & fermè inauditæ impietatis exemplum, quo caper itineris dux conſecratus, & anſer ſpiritui ſancto aſſimilatus?* inquit Reineccius. Quod ad caprum attinet, idem refert Anonymus. Meminit & anſeris; Sed non eo modo, quo Reineccius. Neque enim dicit, anſerem ab his *Spiritui ſancto aſſimilatum*; ſed aſſeruiſſe illos, *anſerem quendam diuino ſpiritu afflatum eſſe.* Sed quare Hæreticus non dicit, quid addat Anonymus. Addamus nos, quandoquidem ille fraudulenter reticet. *Quid mirum, ſi modernis temporibus, huiuſmodi abominationes, & tam fœda ſcelera, inter aliquas ſocietates tot millium inuenta ſunt, quæ Dominus in caput eorum reddiderit? Cùm temporibus Moyſi & Ioſue, & cæterorum ſeruorum Domini in medio iuſtorum inuenta ſit iniquitas, & ab eo, qui eſt Dominus vltionum, virga ſua maieſtatis correpta & purificata.* Hæc Anonymus.

Anonym. lib. I. cap. 31.

Deinde cùm, vt Vrſpergenſis ſcribit, confluxerint tam incogniti; vt nemo eorum linguam intelligeret, liqueatque ex Ottone Friſingenſi, eo tempore Saxones cruciatam expeditionem in Idololatras ſibi vicinos moniſſe; mirũ videri non debet, ſi huiuſmodi vel Idololatræ, vel ſemiidololatræ in tanta hominũ multitudine, & varietate deliteſcere potuerint, præſertim cùm nõ fuerint in exercitu Godefridi, ſed in illa incondita turba, quã comes Emicho ducebat; vt expreſsè teſtatur Anonymus. Nec valdè mirandum hoc; cùm in comitatu Patriarchæ

triarchæ Iacob respectu harum copiarum tam exiguo,& tam sancto, reperta sit ipsa Patriarchæ vxor,quæ idola surripuerat;& ne sibi surriperentur,insidendo celarat. Ad hæc,quid si insignia *capri* aut *anseris* in signis militaribus abierunt in fabulam de capro & ansere viuo? idque ideo,quod propemodum inusitatum esset aliis imaginibus in hac expeditione vti,quàm aut imaginibus Crucis, aut alicuius cælitis.

Vertit & hoc militibus sacris vitio Reineccius,quòd ea persuasione essent: *qui sic militarent,& in ea militia mortem oppeterent,Martyribus sanctis accenseri,& beatitatis cœlestis participes fieri.* At verò,quo sensu hoc de Martyrio accipiendum sit,iam suo loco explicauimus.Certè Martyrij consortes esse, qui in prælio animam suã pro defensione Christianæ religionis ponunt, formula sua loquendi confirmat Anonymus,quem Reineccius in lucem dedit:Robertus Monachus, Tyrius, & alij,qui argumentum belli sacri attigerunt; imò ipse etiam Innocentius Pontifex.

Huc pertinet illud S. Ludouici apud Guillermum Nangensem, de Christianis immanitate Sarracenorum interemptis. *Venite milites, sepeliamus Christi Martyres, qui maiora quàm nos pro Domino sunt perpessi.* Godefridus in Annalibus,vbi de obsidione Damiatæ, & scalis in ascensu muri fractis. *Fortes agonistas Christi deorsum præcipitans,& per martyrij palmam ad cœlos eleuans.* Alphonsus Rex Castellæ in epistola ad Innocentium III. de cæsis Sarracenorum ducentis millibus. *De exercitu Domini,quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est,quod incredibile est, nisi quia miraculum est,vix viginti quinq; Christiani,aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia. O quot gratiarum actiones, nisi de hoc dolendum sit, quod tam pauci Martyres de tanto exercitu ad Christum Martyrio peruenerunt.*

Extat apud Marianam lib. 11. de rebus Hispan.cap.Slt.

Omitto prudens similia,cùm passim sint obuia, quæ certum, nõ ita accipienda,quasi qui pugnãdo in illis expeditionibus cadebant, veri nominis Martyres essent; aliud enim quiddam,vt dixi suo loco, ad Martyrium propriè dictum requiritur; nimirum vt manu & armis contra inferentes mortem non pugnent; aut ex professione sua pugnare non debeant; quo nostri Cruce signati carebant: quia illorũ professio, vel maximè erat, Sarracenis vi, & armis aduersari. quia tamen potissimùm pro Christo & Christiana religione, & pro sanctissimarum legum defensione,& amplificatione sanguinẽ profundebant, vitamq; suam omnibus periculis imperterriti obiiciebant; spretis omnibus mundi illecebris, quibus securè domi inter suos frui poterant,& sic hoc animo factoque suo proximè ad veros Martyres

tyres accedebant; hinc factum est; vt crebrò *Martyres* nominarentur, eorumque obitus, *Martyrium*.

Quare & Theologi Martyrij duplicem acceptionem distinguunt; Omissis aliis satis erit hîc adscribere verba Ioannis Maioris, si non scita, attamen vera, & ad institutum nostrum accommodata. Disputaturus enim de Martyrij ratione & essentia sic scribit: *Pro intelligentia quæstionis supponatur: Terminus* MARTYRIVM *bifariam accipitur. Vno modo, extenso termino; & tunc sic definitur. Est volitio non deserendi opus secundum dictamen rectæ rationis, non obstante conditione mortis in præsentiarum ostensa, siue sit contrapugnatio, siue non. Hoc modo strenui milites pro fide Christi morientes, dicuntur Martyres. Secundo modo accipitur Martyrium definiendo vt prius, ponendo sine contrapugnatione: vt Petrus, Andreas. contrapugnare est viribus & armis resistere.* Hæc Maior. *Maior 4. d. 4. q. 14.*

Priore igitur modo dicuntur milites *crucesignati* occumbentes in prælio pro defensione fidei, *Martyres*, & *Martyrium* subire; non autem posteriore modo, qui strictam & pressam *Martyrij* notionem complectitur: licet Dominicus Sotus milites pro fide Christi mortem in cõflictu oppetẽtes, *Martyrij* propriè accepti appellatione afficere videatur; non obstante, quod aduersariis suis vi, & armis obstant. Sic enim scribit. *Tandem notandum, quod neq; voluntas appetendi mortem, neq; mors ipsa eidem voluntati adiuncta, nisi caussa adsit fidei, aut religionis, sufficit ad Martyrium. Quamuis, inquam, vita in defensionem Reipublicæ, aut pudicitiæ, aut alius cuiusuis virtutis politicæ exponatur, nisi id referatur in fidem, aut virtutẽ infusam, quæ aut Christum, aut Deum habet pro obiecto, non censetur Martyrium. Itaq; vel formaliter vel virtualiter debet esse confessio fidei, & testimonium eius; hoc enim sonat Martyr, quod testis fidei. Beata enim Agnes, quæ pro tuenda virginitate colla gladio submisit, eò celebratur vt Martyr, quòd id fecit in testimonium fidei, quia virginitatem, quam Christo vouerat, tueri voluit. Quare quicunq; mortem subiret in testimonium alicuius virtutis, nempe ad defendendum esse virtutem, dummodò fide id Christi faceret, verè esset Martyr, & pariter, qui Rempublicam defenderent, vt fidem protegerent, nempe si illam à Turcis & infidelibus tutarentur,* (vt fecerunt nostri Cruce signati) *vel ab hæreticis* (vt fecerunt Cruce signati contra Albigenses & Hussitas) *qui religionẽ Christianam subuertere nituntur.* Hæc Sotus. *Sotus 4 d. 49. q. 5. a. 2.*

Ex quibus criminationes Reineccij non magno nisu disiicientur, nominatim illa, cùm ait: per hunc *Martyrij* & *Martyrum* honorem in vsum deductam fuisse illam legem, *quam Nicephorũ Phocam promulgare instituisse, scripsit Cedrenus, meminitq; Zonaras in eius vita: nempe, vt milites in bellis interfecti pari cum Martyribus honore colerentur, & similibus hymnis ac veneratione celebrarentur.* Aut falleris, aut fallis, aut vtrunque

c facis.

facis. Nam Phocas milites in bello cæsos, volebat & iubebat haberi pro Martyribus propriè dictis, & quidem quosuis milites, quacunq; mente ad militiam accessissent: idque faciebat immodico rei militaris studio. At verò, qui *Cruce signatos* nostros pro fidei Christianæ defensione interemptos *Martyrum* appellatione afficiunt, illi *Martyrii* vocem latius vsurpant. quandoquidem pressè loquendo ille duntaxat Martyr est, qui veræ fidei caussa mortem sibi illatam spontè fert, nullo modo vi aut armis repugnando.

Quod si quis tamen contendat, nõ esse de essentiali ratione Martyrij, vt quis non repugnet; nihilominus calumnia Reineccij de Nicephoro Phoca mera calumnia erit: quia Nicephorus volebat quosuis milites in quocunque bello, quacunque de caussa suscepto, occisos, verè esse *Martyres*; in quo suo consilio auius à verò longè abiit: quia, vt quis Martyris titulum mereatur, fidei vel virtutis ad fidem relatæ defensionem adesse oportet: quod certè non fit in quouis bello; nec promiscuè à quibusuis militibus. Quid enim si Christiani contra Christianos bellum gerãt? Quid si solius ditionis, & iurisdictionis gratia etiam aduersus Sarracenos? Quid si solùm iniuriarũ propulsandarũ caussa? Quid si solum spe stipendij aut prædæ, vt plerunq; solent? Quid si propugnationem & propagationẽ Catholicæ fidei, aut in postremis, aut in secũdis habeant? Quocirca Sotus, cùm dixisset, *Martyres* esse, & *Martyrum* aureolam mereri, qui Rempublicã defendunt, vt fidem protegant, nimirum si illam à Turcis & infidelibus, vel ab hæreticis tutentur, statim subiecit: *Secus si ab alio Christiano Rege, tanquam milites temporales, illam defenderent. ibi enim quamuis virtutem fortitudinis exerceant, non perinde laureolam promerentur.* Magno igitur discrimine distant Nicephorus Phocas, & qui Cruce signatos Martyribus annumerant.

Illud insuper angit Hæreticum; quod illis, qui militiã hanc profitebantur, cœleste regnum promittebatur, si vitam cum morte commutarent: citatque canonem; *Omnium vestrum* ex caussa 22. Gratiani, q. 5. quem ab Vrbano II. conditum dicit; & sic habet. *Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minimè negabuntur.* Vbi dupliciter hallucinatur; Primò, citans caussam 22. pro 23. sed hoc leue. Secundò, tribuens canonem Vrbano II. quem Gratianus tribuit Nicolao Pontifici; & Iuo parte 10. cap. 87. Leoni IV. ad exercitum Francorum, qui diu ante Vrbanum II. & expeditiones in Palæstinam vixit. Sed Reineccio, tanquam hæretico Lutherano aut Caluiniano, stomachum mouet, quòd huiusmodi operi decernatur,

tanquam merces, beatitudo cœlestis; quia ipse nullum hominis coram Deo meritum agnoscit. Nec multum refragor, si de homine Lutherano aut Caluiniano loquatur. De Catholico id pernego; si enim regnum cœleste promittitur ei, qui aut famelico cibum, aut sitibundo potum; aut nudo vestem largitur; mirum profectò foret; si huic operi tam præstanti & eximio, quo quis omnia, ipsam quoque vitam, qua nihil dulcius, aspernatur; par præmium à Deo non tribueretur.

Neque Pontifices, cuicunque & quomodocunque hanc militiam profitenti æternam vitam pollicentur, sed ei, qui hoc charitate Dei præditus præstat; quique de malè commissis seriam pœnitentiam agit: atque adeò plenariæ indulgentiæ se capacem efficit. Neque enim ipse Christus in nouissimo iudicio omnibus cuiuscunque sortis dicet illud: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere*: sed illis, tantummodò, qui hæc & similia ex charitate Dei & proximi cum vera cordis contritione præstiterunt. Matth.25.

Culpat & hoc Reineccius in Cruce signatis, *quod*, vt ait, *magis de Hierosolyma occupanda, quàm de conseruanda laborasse videantur*: hoc est, ita recuperarunt, *vt aditum ad illam interclusum relinquerent, is*q*ue semper ferro, per*q*ue summa pericula aperiendus esset: nam terra quidem Solymanni familiæ, magis irritatæ, quàm fractæ obstabat potentia, mari naufragia imminebant.* Accusatio, quantum intelligo, in hoc consistit, quòd Cruce signati mare non verterunt in aridam; vt in posterum absque naufragiorum discrimine Brundusio, aut aliunde in Cyprum; & ex Cypro in Palæstinam peruenire liceret; & quidem pede sicco: aut si mare volebant suo in loco relinquere, debebant saltem effecisse, vt nauigando Hierosolymam, nullus ventus æquora turbaret; & quia hoc non effecerunt, id quod experientia satis compertum habetur, non satis Hierosolymorum incolumitati consuluerunt.

Debebant insuper Bulgariam, Thraciam; totamque Asiam à Bosporo Antiochiam vsque occupare; & Turcas radicitus exstirpare, ne vllus vnquam succresceret, aut ex intimis Persiæ, & Mesopotamiæ angulis prorepere; & quia hoc non præstiterunt, iure in reprehensionem Reineccij incurrunt.

Quis igitur non animaduertit, quàm meritò isti chartas declamatiunculis, & præfatiunculis suis aduersus *Cruce signatos* oppleant; quod rem tam imprudenter gesserunt; & sæpe vix ducentis trecentisue millibus multa millia Sarracenorum profligarunt, & ad internecionem vsque deleuerunt, Duce & auspice sanctissima Domini

Cruce. Nec culpa vacat, quod omnes ciuitates quotquot à Bosporo vsque Antiochiam sunt, quas in suam potestatem redegerant, aut leui opera redigere poterant, non munierunt incolis, & præsidiariis suæ gentis; quasi omnibus implendis & muniendis septies centena millia suffecissent: & si colonias singulis in locis, quæ sui iuris fecerant, relinquere voluissent, Cruce signati sub Godefrido, pleræq; occidentis prouinciæ habitatoribus viduandæ, & in solitudinem redigendæ fuissent.

Quàm verò leuiter & obiter attingit Reineccius caussas, cur milites sacri cruce sese insignierint. Nimirum, horrent isti de cruce multum, & verè loqui: & si quando in eius mentionem delabuntur, ieiunè prorsus rem transigunt; & Cruci gloriam, quàm iure sibi vendicat, nunquam largiuntur, vt vel ex ipso stylo, dicendique genere appareat, eos inuitos, & reluctantes in hoc argumento, tanquam in sibi permolesto versari.

Ait, *crucem esse religionis Christianæ Hieroglyphicum, eoq; denotari calamitates Christi, τῦ ἀλεξικάκυ respectu, & ope depelli, & ita depelli, vt post huius vitæ labores exantlatos immarcessibilis pios corona maneat.* Mi homo, non tantùm hoc, sed & illud Cruce designatur, præsidio eius nos tutos reddi, aduersus hostes tam aspectabiles, quàm inaspectabiles, tanquam instrumento Christi Redemptoris nostri: & ea de caussa tam in bello, quàm pace; tam domi, quàm foris vsurpari non modò vt mnemosynon eius, qui ærumnas à nobis depellit; sed etiam vt expultricem, tametsi *instrumentalem*, ærumnarum caussam, & vt adiutricem in aduersis; qualem sæpius experti, si non hæretici; at Christiani, nominatim nostri *Cruce signati*; qui humeris crucem affixerunt, non tantùm vt monumentum, sed etiam vt instrumentum Christi; quo mirabilia patrat, & eiusmodi mirabilia, quæ cùm Hæretici capere nequeant; inficiari non formidant.

Vt autem Reineccius suum nobis erga Crucem studium & affectum demonstret; ait se *Constantini Magni miraculosa Cruce, & regio diademate signi loco vti voluisse; sic tamen, vt ex Horatij carmine vnius vocis mutatione, hoc videlicet: Nil desperandum Christo duce, assumeret* : Mirificè celebrat hoc Reineccij factum amicus quidam illius carmine encomiastico. Nec ego sanè reprehenderim. Absit à me; imò Reineccium laudo, quòd neglectis aliis hoc sibi sacrosanctum Crucis symbolum præcipuè elegerit; etsi hoc laudare non possum, quod non elegit cultus & venerationis, sed nescio cuius mysticæ, vel potius politicæ significationis gratia; qua mente alij sibi deligunt leones, vrsos, apros, capros, gryphes, & quid non? Quærit poëta de Reineccio.


Cur

Cur gerit in clypeo diadema crucemq; rubentem?
Et quis in hoc signo sensus vtroque latet?
Vt reor, & nisi me mea fallit opinio, signa
A Constantino Cæsare sumpta gerit.
Primus hic imposuit capiti diadema, suosq;
Armis appictas iussit habere Cruces.
Nempe quod ostento monitus, formidine presso
In sola didicit spem superesse Cruce.
Sub cruce suaue Deo seruit diadema, sub illa
Quisque sua felix in statione manet.

Pulchrè poëta, nec minus verè: sed nescio num ad Reineccij stomachum. Nam *si in sola didicit spem superesse* cruce; in typo, inquam, Crucis, quem Constantinus in galea, diademate, clypeis, hastis, & iste in suo stemmate seu digmate gerit: canat ergo nobiscum. *O Crux aue spes vnica:* nam nisi hoc fecerit; verum non erit; quòd didicerit; *in sola spem superesse Cruce.* Etsi hoc didicisset; didicisset & illud: Crucem cultu & veneratione dignam esse. Quis enim, quem ratio non fugit; inficiari ausit, id in quo solo formidine presis, & in arcto positis, spes superest, cultu afficiendum esse?

Nec dissimulandum illud: Narrat Anonymus lib. 4. cap. 43. qua ratione Antiochiæ lancea Dominica reperta fuerit. De eadem rursus scribit lib. 5. cap. 32. Reineccius, vt suam nobis fidem patefaceret ad priorem locum in margine libri alleuit hęc. *Legenda de lancea Christi inuenta.* Ad posteriorem: *Noua legenda de lancea Domini.* Vtitur *Legendæ* vocabulo, quod scit suis esse inuisum & exosum; vt facti veritatem suspectam reddat: nam quod isti labefactare nequeunt ratione; id subruere conantur cuniculis calumniæ aut irrisionis. Ad ea porro quæ idem Reineccius ad cap. 32. lib. 5. Anonymi annotat, vt fidem historiæ de lancea Dominica eleuet; responsum iam pridem est in opere de S. Cruce. *Lib. 1. cap. 96.*

At quod miratur, cur Tyrius Principes & Nobiles Crucesignatos vocauerit *Marranos*, facilè admirationem deposuisset, si more Syriaco Tyrium in Syria vocabulum hoc vsurpasse, & à *Marim*, quod *Dominum* significat, deduxisse nouisset: ita vt *Marranus* nihil sit aliud, quàm *Dominus*: Nam quod iam apud Hispanos, & alibi in vitio ponitur, quid refert? nil notius, quàm vocum significata mutari solere, *vt folia in syluis.* *Tyr. lib. 1. c. 17.*



CAPVT V.

Refelluntur calumniæ petitæ ab euentu expeditionum crucesignatarum, & quæ caussa infelicis successus.



CALVMNIANTVR fuisse infelicem euentum istarum expeditionum. Atqui si loquuntur de expeditione, cuius dux & ductor Godefridus erat; itemque de bellis, quæ ipse postea in Palæstina gessit; & Balduinus frater eius; & & alij nonnulli Reges & Principes Hierosolymitani; veteri more mentiuntur, odioque Pontificis Romani, & ipsius Catholicæ religionis, quam omnes crucesignati profitebantur; facinora planè Heroica; & quibus ex omni Christiana antiquitate vix reperiuntur paria; obscurare summa perfidia nituntur. Sed frustra. Clarent tot scriptorum clarissimis monumentis, clarebuntque sæclis innumerabilibus; vt nulla sycophantarum nebula obfuscari queant.

Sed obiiciunt Dresserus & Reineccius. *Multum Christiani sanguinis, etiam in hac prima, & omnium felicissima & exoptatissima expeditione effusum esse: milites sacros multa incommoda famis, sitis, pestis, aliorumq; morborum pertulisse.* Quasi verò hæc non contingere soleant in omni bello; quasi mortem oppetere, vulnerari, famere, sitire, & cetera huius generis non sint velut symbola & proprietates quædam cuiuscunque belli. An non qui militiam profitetur; ad hæc omnia subeunda & toleranda iureiurando quodammodo sese adstringit? scilicet qui nomen dat militię, is delicias & cupedias voluptatesque exspectare potest; quasi professio belli, sit professio quietæ, otiosæ & securæ vitæ. Quantum sanguinis fusum est pro terra sancta, quando fortissimi Macchabæi eius aut recuperandæ aut retinendæ gratia aduersus finitimos Reges ea bella gesserũt, quæ adhuc in sacris Macchabæorum libris legimus. Cecidit ipse Iudas alioquin inuictissimus, Ionathas captus est; & cum filiis suis crudelissimè trucidatus. Ceciderunt & alij aliâs, vitam pro patria & patriis legibus profundere promptissimi. An hęc prælia eam ob caussam culpare decet? An sine fructu bella illa à Macchabæis suscepta sunt?

Obiiciunt & illud, *terram sanctam non diu à Christianis retentam & possessam.* Atqui Hierosolymam octoginta octo annos obtinuerunt, vt taceam quindecim illos, quibus postea in Christianorum potestate fuit, armis Friderici II. Imperatoris. Et in munitissimis Palæstinæ regionumq; adiacentium ciuitatibus & arcibus habitarunt Christiani propè ducentos annos, ingentesque Sarracenis clades importarunt; eorumque impressiones viriliter retuderunt. Recuperauit Heraclius

Hiero-

Hieroſolymam à Perſis, & paulò poſt iterum amiſit. Num ideò fruſtra aduerſus Perſas arma expedierat? Expulit Iuſtinianus ex Africa Vandalos. Amiſſa rurſus eſt Africa, & à Sarracenis occupata. Num ideo factum malè à Iuſtiniano, qui non ſine ſanguine Chriſtianorum Romano Imperio Africam adiecit?

At quarundam expeditionum, vt Conradi Imperatoris, Ludouici filij Ludouici Craſsi, Regis Francorum; geminarum ipſius S. Ludouici, & plurium triſtis exſtitit euentus, omniumque lachrymis deplorandus, & tota demũ actionis huius cataſtrophe in lugubrem finẽ exiit, capta Ptolemaide multis millibus Chriſtianorum interemptis, & ex tota Syria penitus exterminatis. Non abnuimus fortunam interdum cœptis parum fauiſſe. Sed bene habet, fatetur ipſemet Dreſſerus, *iniquum eſſe ſi ex euentu, non ex voluntate conſilia ponderemus, cùm in humanis actionibus ſæpe vſu venire videamus, vt quod bene conſultum cogitatumque eſt, malè cadat. Magis itaque ſpectare cauſſas euentorum, quàm ipſa euenta conuenit. Et ex euentu non decet de facto ipſo ſiue bello iudicare. Sic enim Fridericum Barbaroſſam Imperatorem, planè inconſideratum ducere oporteret, qui contra Sarracenos mouens, nauare atque efficere id non potuit, quod propoſitum ſibi habebat, ſed in amne quodam minoris Armeniæ miſerè occubuit. De cuius tamen propoſito pio dubitare ſas non eſt. Quid ergo? cauſſæ ſunt, ex quibus factum quodq; æſtimari debet.*

Cùm igitur ipſemet Dreſſerus confiteatur ex euentu non eſſe de re ipſa decernendum, non eſt quod diutius in his immoremur, quandoquidem reum habemus confitentem, iamq; ſupra, cùm de expeditione Conradi Imperatoris ageremus, ſatis ſuperque ex S. Bernardo, oſtenſum ſit, quàm inſipienter agant miſereque fallantur illi, qui ob improſperum ſucceſſum nil amplius tentandum, ſed clypeum abiiciendum arbitrantur, quaſi hoc certum ſit auerſi iratique numinis indicium. *Legi apud quendam ſapientem*, inquit S. Bernardus, *non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate. Ego autem dico, fideli homini magis & inter flagella fidendũ, &c. Loquetur & ipſe: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed nõ ego. Nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis reſarciendis operam dabit. Nunquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego verò pro tantis malis tanquam Chriſtianus & fidelis meliora ſperabo, & omne gaudium exiſtimabo, quod in varias tentationes incidimus.* Hæc & ſimilia S. Bernardus, quæ iam alibi recitauimus; neque opus hoc loco iterare. *S. Bernardus epiſt. 256.*

Illud potius videamus, quę cauſſę fuerint infauſti aliquando ſucceſſus, ſanctiq; regni penitus tandem perditi, & in impiorum manus deuoluti. varias huius rei cauſſas reddi poſſe exiſtimo: & inprimis hanc,

hanc, quòd non rarò Cruce signatus exercitus Duce caruit; vel plures Duces habuit; vel si vnum habuit; is ea auctoritate, qua pollere debebat, non fuit. Quod anima corpori, hoc exercitui dux est; sed dux animatus, qui totum exercitum vegetet, viuumque ac vitalem efficiat. Diuinus est ille Homeri versus, omnium sermone celebratus.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.
Non est bona multitudo ducum. Dux vnicus esto.
Rexq́; vnicus, cui Saturni filius Iuppiter
Sceptrum & iura regnandi concessit.

Quid Dux, à cuius nutu & imperio cæteri dependeant, exercitui præstet, manifestè apparuit in expeditione, cuius Dux fuit Godefridus Bullionius. Idem perspicuè intueri licebat illis in bellis, quę constituto iam regno Hierosolymitano tam ipse, quàm Balduinus frater eius, & alij quidam Reges, inclyti & vnici duces, aduersus Sarracenos gesserunt.

Idem apparuisset in exercitu Friderici Barbarossæ Imperatoris, nisi aliunde leuis casus interuenisset; & apparuit, quoad Fridericus vixit. Quàm feliciter enim prudenter & fortiter solertia & diligentia sua omnes difficultates vel à viarum angustiis & diuerticulis, vel ab hostibus obiectas, perrupit & superauit? Non est necesse; vt copiosius hac de re disseram; quia liquidò liquet salutem exercitus, victoriamque à Duce potissimùm pendere. nam quid copias, quas Petrus Eremita ductabat, & reliquas, quæ Godefridum antecesserant, pessundedit; nisi quia vel carebant duce; vel ducem habebant, sed solo nomine. Præclarè Lyricus. *Vis consili expers mole ruit sua.* Quid, obsecro, copiæ sine duce aliud, quàm *vis consilij expers?* Vnde enim consilium turbæ, si non à capite? Vnde obsequium & disciplina, si non ex reuerentiâ, metu & intuitu capitis? Quare non mirum, si ruat, & quidem hoc citius; quo maior: nam quo maior est moles, eò citius ruit, si fundamento destituta sit.

Quod non ignorauit Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, qui antequam Hierosolyma à Saladino caperetur ad Henricum Angliæ Regem profectus eidem obtulit *claues vrbis sacræ,* inquit Giraldus Cambrensis, *sacriq́; sepulchri Dominici, cùm regio vexillo Martioq́; signo ex parte primorum terræ Palestinæ tam fratrum scilicet Militiæ Templi, quàm Hospitalis, nec non & totius tam Cleri, quàm Populi vnanimi voto & acclamatione; supplicans in lacrymis, & ad regia genua prouolutus, humiliter deplorans, quatenus ad terræ sanctæ ab hostibus fidei iam desperanter afflictæ, specialemq́; patrimonij Christi*

Girald. lib. de Hibern. expugnata.

Christi Iesu subuentionem misericorditer moueretur: cui cùm Rex pecuniam copiosam promitteret, seipsum autem in Palæstinam procisci posse negaret; Respondit Patriarcha: *Nil agis, ô Rex, huic stare consilio si perstiteris: quoniam in hunc modum nec te saluabis; nec Christi Patrimonium conseruabis.* PRINCIPEM *enim quærere venimus, non pecuniam. Qualibet ferè mundi pars nobis pecuniam mittit: nulla* PRINCIPEM. VIRVM *igitur appetimus, qui pecunia indigeat, non pecuniam, quæ* VIRO. Cumque Rex non flecteretur, *ad aliud se conuertit, rogans, vt vel vnum filiorum suorum, & si non alium, saltem natu minorem Ioannem, eis in subsidium* PRINCIPEM *daret: ipse verò Ioannes (quanquam in Hiberniam ei à patre datam iam tunc cum grandi expeditione mittendus foret) patrios ad pedes se prouoluens, & vt Hierosolymam potius mitteretur, laudabiliter, vt fertur, efflagitans, non impetrauit.*

Hæc Giraldus Cambrensis de Patriarcha Heraclio qui sapienter prævidebat Regnum defectu sapientis, strenui, & vigilantis Principis, paulò post ruiturum cōseruari posse; si ei sapiens, strenuus & vigilans Princeps obtigisset. *O quanta & quàm incomparabilis in terris Regis gloria, nec terrena solùm, sed perpetua;* inquit de Henrico Rege Giraldus, qui eo tempore viuebat, *si statim omissis negotiis, cunctis regnisq; relictis, & rebus vniuersis, ad tantam Christi vocationē, Christi discipulus tollens Crucem suam, Christum fuisset, omni posthabita dilatione, secutus, à quo tam regni sceptrum, & quod maius est regno tam gloriosam regni regendi gratiam suscepit in terris; illi regni sui terreni in hac necessitatis vmbra iura conseruans, regnum ob hoc cæleste susceptu- rus. O si tanti Regis patrimonium in hac necessitatis vmbra, in hac deuotionis experientia tueri pro posse curaret in terris: de suo quàm tutus vrgente necessitatis articulo fieri posset, tanto patrono tantoq; tutore dignè munitus.*

Cæterum videns Patriarcha quia apud Henricum Regem *nihil proficeret, hæc in Regem, multis audientibus, comminatorio pariter & prophetico spiritu verba deprompsit. Hactenus inter mundi Principes incomparabili gratia, Rex gloriosè regnasti: & cuius vsq; nunc honor, ad regiæ celsitudinis apicem, magis ac magis accreuit: sed tibi proculdubio ad hanc experientiam, in qua deficis, reseruato, & ob hoc à Domino, quem deseris, derelicto, gratiaq; penitus destituto: de cætero gloria in ærumnam, & vsque ad finalem halitum honor in ignominiam conuertetur. Hanc itaq; propheticam comminationem, quam vtinam exemplo Regis Niniue per pœnitentiam euacuasset, sententiamq; mutari fecisset, vir sanctus Regi nihil ex contingentibus omittendo, ter emisit: primò Londini: deinde, Boueriæ, tertiò, apud Chinomense castrum.* Ostendit postea Giraldus, quomodo ab illo tempore res Henrici collabi retroq; referri cœperint vsque ad supremum vitæ diem.

Quantum itidem profecturi exercitus obsit multitudo & diuersitas Ducum, quorum quiuis supremus esse velit; vni supremo subdi,

eiusq; iussa capessere detrectans; id satis in obsidione & expugnatione Acconis seu Ptolemaidis declaratum est. Obsidebant vrbem illam cùm alij, tum duo potentissimi Francorum & Anglorum Reges Philippus & Richardus: sed quia neuter alterius vel tertij alicuius imperio subiici volebat; non semel natis dissensionibus, res in apertum discrimen deuenit: Et capta ciuitate; vix amplius operæ precium aliquod factum: alienatis à se mutuò Regum animis; & quod hinc est consequens; etiam militibus, qui Reges illos sequebantur, inter se dissentientibus.

Idcirco pro tertia caussa rei interdum malè gestę statuere optimo iure possumus intestina nostrorum dissidia; quę profectò Saladino & reliquis Sarracenis ad internecionem nostrorum viam munierunt atque adeo aperuerunt. Non lubet commemorare, quàm fœda sub occasum regni iurgia & dissidia nata sint in terra sancta, inter Principes terræ sanctę dum alius alium à coronę Regiæ adeptione impedit, aut sibi hunc illumue prælatum dolet, dolendoq; rationem vlciscēdi exquirit. Quod regnū tam munitum, quod dissensionibus non dissipetur? Etiamsi ferreum, plus dico, licet adamantinum foret, dissoluetur tamen; si animorum coniunctione & concordia non stabiliatur. Sarraceni centesimam partem ex illis ditionibus, quas obtinent, nōn obtinerent; nisi eas occasione discordiarum & contentionum nostrarum obtinuissent, quibus profectò longè maiores debēt gratias, quā armis suis. sed abeo ab hac dissensionis pestifera terra: qui plura cupit; is historicos consulat; Ego threnos hoc loco scribere non ꝓposui.

Dolendum summoperè hos, quorum disciplina est disciplina pacis; & quorum Deus est Deus pacis; adeò inter se studia in contraria, re in tanti momenti; tantis hostibus vndiq; circum frementibus scissos fuisse; illos autem, quorum disciplina est disciplina Diaboli tam concorditer in exitium Christianorum conspirasse, & etiamnū conspirare. Vtinam vel hodiernis & propriis malis tandem saperemus, quando adduci nequimus, vt sapiamus malis antiquis & alienis: *si* tamē aliena censeri debent; quę nostros maiores Germanos & Francos, & in communi Christianos, cuiuscunq; nationis non modò attigêre, sed & attriuêre.

Quarta caussa rei infeliciter aliquando gestæ referri potest in proditores, pręsertim Græcos, eorumq; Imperatores Alexium Comnenum, Manuelem, & alios: qui in nostros trans Bosporum iam progressos, sępius Turcas & litteris & promissis & præmiis inflammarunt & exstimularūt; & de itinere & aduentu nostrorum sollicitè præmonuerunt, nostrisq; eos viæ duces attribuerunt; qui non tam *ducerent*; quàm

quàm *seducerent*, & copias, crucesignatas, per inuia, arida & æstuosa loca consultò deducerent,& in extrema pericula coniicerent; coniectasq; sub cultro relinquerent; à fame, siti, Turcarumq; acinacibus consumendos,nisi si quos fuga seruasset. Id perspicuè cernere licet in expeditione illa numerosissima Longobardorum & aliorum Italorum:Et in ea;quæ hanc insecuta est Guelfi Ducis Bauariæ,& Thiemonis Archiepiscopi Salisburgensis,& in alia,eaq; celeberrina Conradi Imperatoris, & Ludouici Regis Francorum Filij Ludouici Crassi. Certum est enim hac proditione Græcorum disiectas, & dissipatas fuisse:nec dissimulat Nicetas;cui gratias debemus, quod tam candidè suorum nequitiam posteritati reuelarit.

Timebant Græci Francos & Alemannos,eorumq; vires longè magis suspectas habebant, quam Sarracenorum in Aegypto aut Asia: quocirca in lucro deputabant, si quid cladis Francis aut Germanis inferre poterant. De Manuele hæc Nicetas. *Gentes finum Ionij bello petere non poterat, imò potius incursiones earum in Romanas prouincias perpetuò timebat, haud ignarus copias occidentales Romanis longè esse superiores, præsertim verò formidabiles eas fore, si in vnum conspirarent, multò ante se quouis modo contra illas muniebat. Nam orientales quidem barbaros licere sibi & pecunia conciliare, & armis intra fines suos continere: sed occidentalium gentium multitudinem timere se, quod viri superbi sint, indomiti, sanguinarij, nec tantum opibus & armis abundent, sed irreconciliabili etiam odio Romanos prosequantur.* *Nicet lib. 7. de rebus Manuel Imperat.*

Narrat deinde, quomodo semper rebelles & factiosos aduersus Imperatorem occidentis fouerit; & si nulli essent,excitarit,vt essent; omniq; arte vires Regum & Principum nostrorum imminuere & distrahere studuerit. Quin & antequam Cruce signati nostri brachium S. Georgij transmitterent, variis insidiis à Græci Imperatoribus appetebantur in Bulgaria concitatis aduersus eos Bulgaris; in Thracia autem immissis Turcopolis seu Turcopulis & Pincinatis, vt Abbas Vrspergensis nominat; seu, Pincenariis, siue Pincennatibus, vt Robert.& Anonymus appellant. Robertus vbi de copiis Godefridi Ducis Constantinopolin iam delatis. *Dolosus Imperator præcepit Turcopolis suis & Pincennatibus, vt in insidiis positi eos inuaderent & occiderent.* *Robert. lib. 2.*

Iidem exercitum Boamundi Constantinopoli propinquantem iussu Imperatoris aggressi;à Boamundo & Tancredo capti,& in vincula coniecti sunt, *Quos vt vidit* Baomūdus, *Deo gratias egit, & hilari vultu subridens, eis per interpretem dixit; Gens malè sana; quare quæris occidere gentem nostram & Dei? Nos sumus Christianæ fidei consortes, & domestici, & peregrini milites sancti sepulchri. Nos neminem vestrum quærimus lædere, nec Imperatori vestro molimur aliquid auferre. Ad hæc illi respondentes dixerunt. Domine, con-*

ductitij milites sumus imperatoris, & donatiua nostra promereri ab eo desideramus. Quò ei libet, vadimus, quod præcipit facimus, & magis illis quàm Deo obedimus. Nos tamen bene recognoscimus, quòd magis oportet obedire Deo, quàm hominibus. Imperator magis perhorrescit agmina vestra, quàm cæli fulmina, quia magis sibi persuadet, vos velle eum regno suo priuare, quàm velle peregrinari: & ideo non cessat malum erga vos machinari. Sed propter Deum, cuius peregrini & milites estis dignemini nostri misereri. Ad hæc verba vir egregius commotus spiritu misericordia, condonauit eis vitam, & illæsos abire permisit.

Cæterum qui nam essent *Turcopoli*, seu *Turcopuli*, seu *Turcopolæ* (omnes enim istas nomenclaturas in Annalibus reperias) clarius nobis exponit Anonymus. *Turcopoli gens impia, & dicta Christiana nomine non opere; qui ex Turco patre & Græca matre procreati, &c.* De Pincinatis hæc ad me scripsit amplissimus Dominus Marcus Velserus, IIVir Augustanus. *Pincinati Vrspergensis ij videntur, quos Tyrius lib. 2. cap. 21. Picenantes appellat, cum Bulgaris & Comanis coniungens. Neq;, opinor, obstat, quod Imperator apud Tyrium, illos hostium loco numerat, scimus enim Constantinopolitanos hostilium etiam populorum præsidiis in militia vsos. Pincenarij nominantur lib. 1. cap. 9. Chronici Hierosolymitani, quod Reineccius edidit, &c. An non iidem Pincenses Ammiani Marcellini lib. 17. in Mœsia; Pincensij Ptolemæo, aut Picnesij, vt in Græcis codicibus haberi Ortelius obseruauit?* Hęc Velserus. Quæ adscripta volui, vt qui nam fuerint isti *Turcopoli* & *Pincinati*, quorum opera nostris Cruce signatis Constantinopolitani tam multas insidias struxerunt, & damna intulerunt, planius lector intelligeret. Luitprandus Ticinensis vocat Pizenacos. Zonaras in Constantino Leonis filio, Pazinacas. Et in Isaaco Comneno. *Contra Scythas, qui Pazinacæ dicuntur.* Apud Ioan. Curopalatam passim reperias Pazzinacas.

Anon lib. 5. cap. 3.

Luitpr. lib. 1. cap. 3.

Sed vt ad institutum redeamus, Expeditionibus Cruciatis plurimum obfuerunt Gręcorum Imperatorum proditiones, quorum nefarij conatus, & tanti sanguinis innocui effusio deinde in caput illorum reciderunt, capta à Cruce signatis Constantinpoli; postea etiam à Mahometanis, quos ipsi contra Cruce signatos fouebant & excitabant, stipendiisq; liberalibus adiuuabant, ignari, se serpentem in sinu alere; & proprio lacte, lupum educare, qui robur adeptus, nutricem suam deuoraret.

Quàm verò humaniter cum inhumanissimo Alexio egerunt primæ illius expeditionis Principes, cum beneuolentissimis & amicissimis verbis eum ad eandem expeditionem suscipiendam inuitarunt: nec inuitarunt tantum? sed & Principatum, & vt sic loquar, *ducatum* totius Cruce signati exercitus obtulerunt. Rem his verbis narrat Tyrius. *Comes* (Tholosanus) *gratia rei familiaris in vrbe moram faciens per*

Tyr. lib. 2. cap. 21.

dies

dies aliquot simul & domestica tractabat negotia, & pro publicis non desinebat esse sollicitus. Nam sicut ab aliis rogatus erat Principibus, Imperatorem frequenter honestis persuasionibus inuitabat (sicut & alij ante eum sigillatim fecerant) vt proficiscentes comitaretur, & exercitus Dominici esse vellet dux & moderator. Commonitus autem sæpe & sæpius prædictus Imperator à singulis nostrorum Principum, & maximè à Domino Comite Tholosano, vt Dominici exercitus Dux & Comes esse dignaretur, & populorum qui se diuinis obsequiis mancipauerant, vellet obtinere primatum: excusabat se dicens, quod hostes circa se haberet fortissimos Bulgaros, Comanos & Picenantes, qui fines imperij sine intermissione circuirent, quærentes opportunitatem, vt subitò possent irruere, & eius turbare tranquillitatem. Ideoq; (licet votis plurimùm conueniret tanta peregrinationis habere consortium, & futuræ retributionis exspectare participium) non posse regni curam deserere, & hostibus circumpositis malignandi præstare occasionem. Quidquid autem loquebatur dolus erat & circumuentio: nec ob aliud hoc pro se allegabat, nisi quòd nostrorum profectibus inuidens, sub aliquo quæsito colore, nostris suam subtraheret operam, & processum, quantum ei liceret, modis omnibus impediret. Hæc Tyius.

Ex quibus etiam redarguas figmentum Reineccij suprà refutatum, nempe Ducem Godefridum fuisse in hac expeditione τοποτηρητὴν & vicarium Henrici IV. Imperatoris, quasi eius nomine hæc expeditio instituta sit; ifque suo loco Godefridum miserit, quandoquidem sibi ire per alia negotia non licebat. Sed hæc vera sunt cōmenta, ex odio in Pontificem prognata, vt iam fusè ostendimus: & hîc nouo argumento ostendi potest; nam si Godefridus erat Vicarius Henrici IV. qua ratione potuit vel ipse, vel alij Principes Principatum & Ducatum Dominici exercitus offerre Alexio; ita vt ipse Imperatori Henrico præponeretur? Quis putet hoc passurum fuisse Henricum; aut admissuros Principes, Henrico valdè addictos; inter quos vel præcipuus Godefridus, qui sub Henrico multa stipendia difficillimis in bellis fecerat? An iure arbitrari possumus, Godefridum aliosque Principes, tam fuisse maiestatis Alemannicæ, & Francicæ immemores, vt si in hoc exercitu primas obtinuisset Imperator occidentis, licet per vicarium ipsi decus hoc offerrent Imperatori Græco: & reipsa in illum transferrent; si quidem acceptaret? Satis de his.

De Græcorum in Cruce signatos improbitate, hęc etiam luculenter, (& ferè præter hæreticum morem, qui Græcis æquior, quā peregrinis Latinis) Lutheranus Carion. *Imperatores Orientis pro innata genti malitia penè plus nocuerunt rebus Christianis in Asia occultâ perfidiâ, quàm hostes vi manifesta: nam ne progredi possent, seq; confirmare, impediuerunt, vbicunq;*

 fuit

fuit occasio, commeatu aut denegato, aut interuerso, aut infecto & adulterato, auxiliis interceptis, clam instigatis, si quiescerent, atq; adiutis hostibus, vel Christianis spe amicitiæ, aut fictis occasionibus rei contra barbaros gerẽdæ in discrimen adductis, deniq; depopulatione occupatarum prouinciarum amicitias, & fœdera dubiè coluerunt, extimescentes suspicaci metu efflorescentem potentiam nouorum hospitum, & inuidentes gloriæ ac successibus eorundem, &c.

Idẽ sectarius nõ malè vniuersim de euerso regno Hierosolymitano hæc scribit: *Creuerunt dissensiones; belli duces defecerunt & præsidia; mulieres administrationem rerum, & imperia hæreditarij iuris prætextu traxerũt ad sese, & in quos deperierunt insana libidine, eos ad regnum per cõnubia sustulerunt. Ex his creuit animus hostibus acerrimis, & in omnes occasiones rei gerendæ intentissimis: qui sibi non defuerunt, & suis rebus.*

Præter Proditores Græcos, non defuerunt Cruce signatis proditores domestici. Notũ est, à plerisq; scribi, cladem illam fatalem, qua Crux Christi à Saladino cum Guidone Rege capta, in acceptis ferendam esse proditioni Comitis Tripolitani. Sunt etiã, qui publicis litterarum monumentis affirment S. Ludouicum Francorum Regem, in Aegypto proditione Templariorum à Sarracenis fuisse captum? Multa huius domesticæ proditionis exẽpla suppeditat historia Hierosolymitana; à qua culpa nonnulli vix maximos Principes liberare volunt; insimulantes illos, quasi cum Saladino colluserint. Vtcunq; sit; quisquis huic sceleri affinis fuit; is vtique iam pridem dignã mercedẽ accepit. Proditiones profectò quauis peste, & contagione perniciosiores sunt in exercitu. Quia vix vlla pestis tam est sæua, quæ non aliquos saltem, reliquos faciat. At proditio neminem prorsus immunem securumúe reddit. Integros exercitus, quantumuis florentes, delere & penitus profligare solet.

Dices. *Cur Deus hæc & similia detrimenta non clementer auertit à suis?* Huius quæstionis solutionem pete non à me, sed ab illo, qui consiliarius Dei fuit, si quis fuit. Ego enim nihil aliud respondere habeo, nisi

1. Reg. 3. illud Heli. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*; Dominus est; quidquid aut facit, aut permittit; id iustissimè facit, aut permittit. Si occultè nobisque ignotè; num ideo iniquè? Sanctissimi Regis Ludouici altera expeditio lue pestifera dissipata est; exstinctus ipse Rex, tantus Dei amicus; cum multis regni proceribus: An quis tam insipiens, & delirus est; qui contagionem hanc exercitui sibi consecrato; & Regi fidelissimo suo famulo à Deo immissam existimet sine caussa, quantumuis mortalibus incognita, *donec intrent in sanctuaria Dei, & intelligant in nouissimis eorum?* Vetus hic est scopulus, ad quem multi impegerunt: sed multi illi, qui altiora se vestigare conati acquiescere nolue-

noluerunt in eius iudiciis, qui non modò iustißimus est; sed & ipsa iustitia, non participatione; sed natura & essentia.

Quinta caussa improsperi successus, & eiectionis nostrorum ex terra sancta, non iniuria adscribitur flagitiis & sceleribus, quæ cõmittebantur ab incolis terræ sanctæ. Negari non potest; quod inter alios Vitriacus in historia sua Orientali, tanquam testis oculatus sępius testificatur & deplorat, apud Christianos transmarinos supra modum inualuisse peccata & publicè & priuatim; quorum fœditate Deus irritatus deleuit indigenas illos à facie terræ, *ita vt impletum fuerit*, ait Neubrigensis, *illud Hieremiæ, imò Dominicũ, per os eius: eiice illos à facie mea, & egrediantur, qui ad mortem ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.* *Vide Vitriacũ cap. 69. 70. 71. & seq & c. 94.* *Neubrig lib. 3. cap. 14.*

Qui Neubrigensis optimè etiam notat, Deũ peccata populi cultui suo dedicati nusquam minus ferre, aut dissimulare; quàm in terra sancta; & hoc olim propter cœlestia mysteria in ea patranda; iam verò post Christum & Apostolos, patrata. A Deo enim populum à se electũ in terra illa collocatum fuisse, vt tot miraculis partim nobilitata & sanctificata, partim adhuc nobilitanda & sanctificanda sanctos itidẽ haberet habitatores, qui vita & moribus Deum perpetuò celebrarent, eiusque mysteria, & mirabilia aliis itidem nationibus prædicarent. *Nam si peculiari populo suo, id est, semini Abrahæ,* inquit Neubrigensis, *terrenam hæreditatem Deus propter excellentissimam fructuũ fertilitatem largiri voluisset, in India potius, quàm in Syria possessionem tribuisset. Hinc si ad opũ gloriam, vel ad fructuum referas vbertatem, occurrit tibi verissima ratio, quod in his plurimæ illi regiones æquentur, & quædam etiam præstent; nisi fortè in his, quæ de India memorantur, vana sit fides. Ergo hoc solo præ cunctis terris inclyta, vel olim fuisse, vel nunc esse dignoscitur, quod in ea & olim patranda erat, & nunc patratũ esse constat illud humanæ redemptionis tam magnum, & tam mirabile Sacramentum. Itaq; diuina sua promissione populo ad hoc electo, vt ex eo humanæ redemptionis hostia suo tempore sumeretur, terram illam in possessionem dedit, quam ab initio elegerat, vt in ea eadem recõciliatrix hostia litaretur. Huius rei gratia eandem terram specialiter suã vocat, terra inquiens non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei.*

Hinc factũ, vt Moyses grauissimis verbis cohortatus fuerit Israelitas paulò pòst in terram promissionis à Iosue inducendos, vt diuina mandata legisque cæremonias studiosissimè & religiosissimè obseruarent; & cum ab aliis criminibus, tum maximè ab Idololatria abstinerent; vitamque loco tam sacro, & peculiari ratione diuinitus delecto consentaneam degerent. Sin minus, palam prædixit, fore, vt inde quamprimum exturbarentur, inq; omnes nationes dispergerentur; *Vide cap. 27. 28. 29. Deuteg.*

vel

vel in illa ipsa terra durissimo seruitutis iugo opprimeretur. *Ducet te Dominus*, aiebat Moyses, *& Regem, quem constitues super te, ingentem, quam ignoras tu & patres tui, & seruies ibi diis alienis, ligno & lapidi. Et eris perditus in prouerbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.*

Hæc & plurima alia suppliciorum & maledictionis genera proposuit Moyses Israëlitis, vt vel metu intra officij limites sese cōtinerent. Quod secus euenit. In scelera enim grauissima, & maximè in idololatriæ crimen prolapsi vltionē diuinam è vestigio ceruicibus suis incumbentem senserunt: nunc in manus Madianitarum, nunc Moabitarum, nunc Philistinorum, nunc Syrorum, nunc Aegyptiorum, nunc Chaldæorum, nunc Græcorum, nunc Romanorum simul cum terra sancta traditi.

Verum an non & isti omnium scelerum, & flagitiorum maculis adspersi, & execrabili idololatriæ crimine obstricti vitam nefariam, & improbissimam in terra promissionis agebāt? Nemo abnuat. Sed tamen Deus in hac ipsa terra longè facilius fert, & dissimulat in alienigenis peccata; quam in suo populo fidei dono, & tot gratiæ muneribus exornato; & in filij, imò & in peculij locum adoptato. Chaldæi erant vtique idololatræ; hos tamen in Palæstinam induxit Dominus, eiectis Iudæis, & in Babylonem translatis; quia maluit, vt Idololatræ spurij terram illam contaminarent; quam vt Idololatræ filij; minusq; indecens visum est, si sceleribus offenderetur, ab illis à quibus nec agnoscebatur, nec colebatur, quam ab illis, quos sibi ex cunctis mundi nationibus in peculiarem populum selegerat, totque beneficiis, cumularat; & tam stupendis miraculis ex Aegypto in possessionem Palæstinæ immiserat.

Quare cum ex seruitute Babylonica domum regressi, eò etiam audaciæ prorupissent; vt vnico Patris filio ad redemptionem generis humani misso, violentas manus adferre non dubitarint; tum iterum in illos ob hoc tantum facinus ira diuina desæuiit; missis Romanis, quātumuis ethnicis, & à veri Dei cultu alienis, qui propè ad internecionem vsque perfidos illos terræ sanctæ incolas deleuerunt; & si quid superasset, id in omnes fermè totius orbis angulos disperserunt. An non Romani erant Ethnici? Vtique. At Deo magis placuit, vt Ethnici multis flagitiis inquinati terram illam ditione sua tenerent; quàm vt illi, qui se patrem habere gloriabantur Deum; & tamen peccatorum sordibus toti non erant obsiti, sed penitus obruti.

De quibus omnibus iam pridem à Moyse, & postea à subsequentibus prophetis Hebræi diligentissimè, & summa orationis vehemētia præmoniti fuerant. Sed surdis auribus cantatum plerunque. *In Leuitico,*

uitico, inquit Neubrigensis, *filiis Abrahæ diuina voce dicitur, ne polluamini in omnibus, quibus contaminatæ sunt gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum, à quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos. Cauete ergo, ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gẽtem, quæ fuit ante vos. Cæteræ verò regiones tale priuilegium non habentes, non ita deuorant, vel euomunt habitatores suos, cum effusius peccatis sorduerint: sicut illa quæ & ipsum semen Abrahæ, cui in hæreditatem data erat, eò quòd eam suorũ enormitate facinorum deformaret, postmodum iustè euomuit. Et maiorem quidem partem eius, id est, decem tribus, præter tribum Iuda, de qua ipse Dominus secundum carnem nasciturus, & tribum Beniamin, qua vas electionis editura erat, euomuit in Babylonem, suo tempore reuocandas. Quas tamen postmodum, eò quòd non cognouerint tempus visitationis suæ, sed detestabili vesania proprium peremerunt redemptorem, eadem terra, iam in ea patratũ diuinis mysteriis, inclyta, seueriori iudicio nunquam reuocandas euomuit, Romanis Imperatoribus Vespasiano & Tito, diuinæ animaduersionis ministris. Exterminato autem carnali semine Abrahæ, quod ita degenerabat, vt ei à Domino diceretur, Terra Sodomorum remissius erit in die iudicij quàm vobis, conculcatum est à gentibus sanctuarium Dei, vsque ad tempus religiosi Augusti Constantini Magni.* Leuit. 18.

Hæc omninò præclarè Neubrigensis; qui & sequentia adiungit: *Tunc enim terra sancta pro eiusdem Principis studio, à gentilium rituum sordibus emundata, data est in hæreditatem, & possessionẽ vero semini Abrahæ, id est, Christianis, à quibus & possessa est annis multis vsq; post tempora beati Gregorij,* (sub imperio enim Heraclij amissa est) *Tandem enim & hos habitatores suos, cũ diuinam contra se iracundiam peccatis excrescentibus accendissent, terra sancta, quæ ab eis maculabatur, deuorauit, siue euomuit, & contaminarunt eam Agareni habitatione sua spurcissima, vsq; ad annũ à plenitudine temporis, quo verbum caro factum est, M. XCIX. Tunc enim ciuitas sancta per militiam Christianam ab Europæ partibus venientem Agarenos habitatores euomuit, &c. Fuit autem habitatio filiorum Iaphet,* (hoc est, Christianorum) *in terra sancta annorum circiter LXXXVII. hoc est, ab anno à partu Virginis millesimo nonagesimo nono vsq; ad annum millesimum, centesimum, octuagesimum septimum: tunc enim & ipsos peccatis eorum inualescentibus, atq; ideo Agarenis præualentibus, quod sine gemitu non dicimus, terra sancta more suo euomuit. Erant enim iam in Hierusalẽ, & regno eius, non vt olim, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est, sed ex omni gente Christiana facinorosi, luxuriosi, ebriosi, mimi, histriones, hoc genus omne in terram sanctam, tanquam in sentinam quandam confluxerat, eamq; obscænis moribus, & actibus inquinabat. Ipsius quoq; terræ noua indigenæ, quos Pullanos vocabant, Sarracenorum infecti vicinia, non multum ab eis, vel fide vel moribus discrepabant, atq; inter Christianos & Sarracenos, tanquam quidam neutri esse videbantur. Sic ergo terra Domini nostris temporibus ab aduenis simul, & in-* De Pullanis seu Pollanis, lege Vitriacum cap. 68. & 73. Hist. Orient.


 digenis

genus inquinata, & vtrosq; tandem iudicio Dei euomuit: & nunc tolerat gentem immundissimam Agarenos vsq; ad tempus, proculdubio & hos deuoratura cùm Deus voluerit. Hæc egregiè Neubrigensis.

Si enim Deus olim, necdũ peracto in terra illa redemptionis nostræ mysterio, nec tot miraculis à Christo & Apostolis illius patratis, Iudæos diabolo potius, quàm creatori suo seruientes expulit; & admisso in Christum Saluatorem nostrum capitali illo piaculo, irreuocabiliter inde exturbauit; quantò minus toleraturus erat, vt Christiani consummatis iam omnibus in terra illa mysteriis; impunè tãta flagitia perpetrarent; & in terra, Christi & Apostolorum eius sanctissimis actionibus, consecrata, vitam omni flagitiorum genere infectam agerent.

Deut. 28. Planè ad Christianos etiam pertinuit comminatio illa: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremæ terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas; & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium, donec te disperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis. & destruantur muri tui firmi atq; sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.* Hæc diuina comminatio in capita Christianorum expetiit tunc, cum sub Heraclio in potestatem Sarracenorũ inciderunt, & tunc cum à Saladino Hierosolyma & ferè præcipua loca; & tãdem à Saladini successoribus omnia Christianorum propugnacula in Syria & Palæstina expugnata sunt.

At dices: *etiam Sarracenos sceleratos esse.* Fateor, quin & addo, longè sceleratissimos rectè haberi ac appellari. Interim dico Deũ, vt olim, sic & iam malle, vt terram illam filij sui natalem, & redemptionis nostræ spectatricem occupent flagitiosi spurij; qui Christiana sacra pro friuolis habent; quam vt eam teneant flagitiosi filij, qui professionẽ fidei morum fœditate conspurcant. Non oportet tamen ea de caussa Mahometanis victas manus dare; & positis armis, pati, vt vel nostra occupent, vel occupata pacificè possideant & retineant, sed placandum inprimis Numen, venia malè commissis oranda; scelerum maculæ, salutari pœnitentia eluendæ, denique redeundum ad auctorem omnis boni; vt erga populum, suo nomini consecratum, viscera misericordiæ induat; neque repellat in finem eos, quos ipse agnitione filij sui, & tantis gratiæ donis dignatus est.



CAPVT

CAPVT VI.

Expeditiones Cruciatas insignes vtilitates tam spirituales, quàm temporales Christianæ Reipublicæ attulisse.



Vo promittit capitis inscriptio, vtrumque demonstrabimus ducto exordio à commodis spiritualibus; quæ lectori commodius proponere possum verbis alienis, quàm meis, & inprimis Gulielmi Neubrigensis; qui de hoc toto negotio prudenter, piè, simul ac profundè mihi scripsisse videtur. Agens enim de expeditionibus Friderici Barbarossæ Imperatoris, Philippi Regis Francorum, & Richardi Regis Anglorum, sic scribit. *Cùm ex omni ferè orbe Christiano infinita hominum millia ad illam peregrinationem sanctæ deuotionis feruor accendisset, vel morbus, vel gladius, vel inedia, vel laboris intolerantia maiorem longè partem absumpserat. In qua re considerãda est altitudo sapientiæ Dei, de suorum, quos ad vitam praeordinauit æternam temporali vel salute, vel felicitate minus curantis, & eorum clades temporales ad supernæ ciuitatis completionem subtili prouisione deriuantis. Non enim est dubium, eos, qui relicta patria, atque omni necessitudine carnali, tantis se periculis, laboribus & cladibus propter Christum exponentes, in hac laudabili deuotione vitam temporalem finire meruerunt, illis annumerandos, de quibus dicitur; beati mortui, qui in Domino moriuntur, cùm non solum in Domino, sed & pro Domino mortui esse probentur. Proinde fidenter dixerim, quod multò, clementius superna cum illis pietas egerit, qui in illa peregrinatione vitam terminantes felici compendio ad æterna migrarunt, quàm qui repatriantes cum sospitate corporali ad sordes pristinas remearunt. Quippe eas, quos ex illa peregrinatione ad propria reuersos cognouimus, etiam ad mores pristinos post tanta propter Christum tolerata incommoda reuersos videmus.* Neubrig. lib. 4. cap. 26.

Mirum quidem videtur, quod Dominus suæ Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, sanctissima loca à gente spurcissima occupari & profanari permiserit. Verum diuinæ permissionis huius tunc quidem occulta erat, nunc autem manifesta est ratio. Quippe occasione eius tam dolendi, pudendiq; casus infinitis peccatoribus ad studium pietatis conuersis, tanta piarum millia animarum, in quinquennali iam spatio ad æternam requiem superni ordinatoris manus assumpsit, quanta per integritatem terrenæ Hierusalem, illa, quæ sursum est, quæ est mater nostra, ad suam completionem annis retro plurimis non suscepit. Ita ergo Rex noster attingens à fine vsq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, & malis quoque hominum vtens optimè, dum terrenam suam Hierusalem, & fines eius propter peccata habitantium in manus hostium tradidit, cœlestis suæ Hierusalem vberiora subtiliter lucra quæsiuit.

Idem alibi. *Tantis sumptibus, periculis, laboribus, pro recuperanda terrena* Lib. 4. cap. 28.

Hierusalem parum actum est: pro instaurãda verò superna Hierusalem, plurimùm. Deo enim melius, quàm humana erat intentio, disponente, tam multa Christianorum (suscepta pro Christo tam laboriosa peregrinatione) occumbentium millia, quæ quidem secundum intentionem pro recuperatione Hierusalem frustra sudasse videntur, cum fructu pij laboris, tanquam viui lapides, in illius, quæ sursum est Hierusalem, ædificium transierunt.

Otto lib. 1. de gest. Frid. I. Imper. cap. 60.

In eandem sententiam Otto Frisingensis loquens de expeditione Conradi Imperatoris, cui & ipse interfuerat. *Si non fuit bona* (expeditio nostra) *pro dilatatione terminorum, vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum salutem animarum.*

Innocentius III. Pontifex epistola ad Alexium Imper. Constantinopolitanum. *Inter cæteras arcanas & inscrutabiles caussas inuasionis & detentionis terræ orientalis, hanc etiam forsan Dominus sua miseratione præuidit, vt multi relictis parentibus & amicis, imò etiam omnibus, quæ habebant, Christum, assumpto salutiferæ Crucis signo sequentes, in defensione terræ ipsius Martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclesia lætetur, & augeatur in cælis, vnde militans dolere ac minorari videtur in terris.*

Arnol. lib. 3. cap. 34.

Arnoldus Lubecensis loquens de expeditione Friderici Barbarossæ. *Sic expeditio illa terminata est, vt quasi ferè adnihilata videretur. Vnde nonnulli scandalum contra eam habuerunt, dicentes, eam non rectè inchoatam, ideóque nec bene consummatam. Sed qui talia iudicas, vide ne lucis quod in te est, tenebræ sint, dicente Domino: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Profectò per oculum interiorem intentionem, per corpus verò exteriorem actionem volens interpretari. Sapientia verò dicit: Homo videt in facie, Deus autem in corde. Si ergo lucerna corporis tui in corde, quam Deus solus videt, & si in facie corpus exterius, quod videt homo; qua temeritate iudicium Dei tibi vsurpas, qui solus occulta nouit, cum magis ea, quæ nescis, quo animo fiant, in meliorem partem debeas interpretari? Manifesta tamen indicia hic inueniuntur, quæ magis attendenda fuerunt, quod Euangelici viri illi propter amorem Christi reliquerunt domos, fratres & sorores, patrem & matrem, & vxores, filios & agros, & quod maius est omnibus, tradentes corpora sua laboribus & suppliciis. Quia plurimi eorum tali deuotione sunt peregrinati, vt quantum in ipsis erat, magis eligerent in confessione Domini occumbere, quàm ad sua remeare. Et ideo quamuis expeditio illa siue peregrinatio ad finem desiderati certaminis non peruenerit, non tamen eo minus credendum est, quod coronam desideratam non perceperint, cùm preciosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum eius, quæ quali fine claudenda sit, vel quomodo vel quando adimplenda, sicuti Dei solius est nosse, ita eius de singulorum meritis iudicare. Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigero erit.* Magna hæc & inæstimabilis vtilitas est, quam tamen in postremis ducunt, qui terrena duntaxat sapiunt; gustumque cœlestium penitus amiserunt.

Altera

Altera vtilitas, eaque precij & momenti maximi, instauratio cultus diuini & Christiani in tot orientis regionibus; nec in sola Palæstina, sed & in Syria, minore Armenia, Mesopotamia; (addo & in Græcia, expulso schismate à Cruce signatis, post captam Constantinopolim) triumque Patriarchalium Ecclesiarum Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ cum sede Romana vnio & concordia. Sacrilegi Mahometismi omnimoda in occupatis prouinciis exstinctio; & tot insuper millium, quin alioquin Christiano nomine censebantur, verùm extra ouile Petri oberrabant; ad gregem Petri reductio. An hæc exigua commoda? An non vel maximè digna sunt, quorum gratia arma sumantur? Nemo, opinor, abnuet, nisi ille, cui religionis Christianæ amplificatio non est cordi.

Nam quod hæc commoda non fuêre perpetua; quid hoc ad rem? Optandum quidem esset; perennasse, & durasse, vsque ad finem mundi; sed quia Deo aliter visum; contenti simus illis, quæ ipse dedit cùm visum; rursusq; abstulit, cùm visum; flagitiis mortalium id exigentibus; & à clementissimo Deo quodammodo tam seuerum iudicium extorquentibus. Interim cultus verus & Christianus, expulsa sacrilega Sarracenorum secta, non paucis lustris Hierosolymis, inque prouinciis aliis liberè, nulla impietate Sarracenica interpellante, floruit. Quod qui in maximo, omnibusque armis quærendo lucro non deputat, is meritò annumerari potest illis, de quibus Apostolus: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* 1. Cor. 2.

Prætereo præclarissima heroicorum facinorum exempla, quæ posteritati ad exemplum reliquerunt. Vtinam esset, qui excellentissimos illos fortitudinis, patientiæ, magnanimitatis, & ante omnia, pietatis in Deum, cultusq; & reuerentiæ erga sacrosanctam Crucem, & reliqua Passionis Dominicæ instrumenta sibi imitanda existimaret. Nam Crucesignatis nostris eadem mens fuit, quæ olim seni illi Eleazaro, qui hæc de se. *Adolescentibus exemplum fortè relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.* Additur. *Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solùm iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.* Et certè publicè interest exstare ad imitationem insignia Christianæ virtutis paradigmata, quę cuiuis ex Crucesignatorum historia largiter sumere licebit. 2. Machab. 6.

Nam vt ex tam vbere campo aliquid duntaxat libem; obsidio illa Acconis seu Ptolemaidis post euersum à Saladino regnum Hierosolymitanum, quid aliud fuit, quàm schola seu gymnasium & palæstra

omnium virtutum heroicarum. Cœperant obſidere pauci multos; peregrini, domeſticos: Inopes, opulentos. Tolerabile fuiſſet pugnare cum hominibus; pugnandum vno eodemq́; tempore erat cum Turcis ſimul & fame, rerumque omnium penuria & ſæuiſsima hyeme; ita vt non tam ob Sarracenos, quàm ob alia incommoda totus exercitus, ſæpeque in præſentiſsimo internecionis periculo verſaretur.

Exſtat opuſculum rhythmis conſcriptum de obſidione & expugnatione Acconis à Monacho Florentino, qui præſens omnia ſpectauit; in quo videre eſt, quàm imperterrito & à cœptis deſiſtere neſcio animo, Chriſtiani illi rem Chriſti geſſerint. *Scias*, inquit ille, *in exercitu quod qui remanſerunt, omnes in periculo mortis exſtiterunt. Hyemem ſic aſperam nam paſsi fuerunt; Quòd vidiſſe ſimilem nec antiqui ferunt. Imbris torrens validus terram inundabat, Bacchanalis Africus mare perturbabat, euulſa tentoria cuncta laniabat.* Ad hoc malum accedebat grauiſsima fames. *Ad pœnarum cumulum*, inquit ille idem Rhythmographus, *& maius augmentum; Licet portes manibus aurum vel argentum, bordeum non inuenis, carnem nec frumentum. Nondum vixit aliquis, nec viuit mortalis, grauiora viderit his qui mala malis. Nam vini vel olei modicum vel ſalis vendebatur carius, quàm veſtis regalis, &c. Delicatè viuere, qui domi ſolebat, ibi fabas & ſiceram non faſtidiebat: ſed de pane bis cocto ſepius famebat, carnem quoque marcidam auidius edebat.* Idem alibi. *De Andegauenſibus libra data trinæ ſunt à me pro modio paruulo farinæ. Palatis nobilium carnes tunc equinæ reſpondebant melius, quàm quondam gallinæ.*

Nec tamen his incommodis animi conciderunt: vt nec præſtantium hominum morte; partim gladio vndequaque inſtantis Saladini; partim naturali fato abſumptorum; quorum nonnullos rhythmis ſuis decantat Florentinus, nominatim Archiepiſcopum Cantuarienſem Balduinum, & Biſuntinum; & Fridericum Sueuorum Ducem, Imperatoris Friderici filium, quibus hæc accinit. *Sanctus Archiepiſcopus Cantuarienſis populum conſilio fouens, & expenſis militonum catibus cateruatus denſis, recreabat pauperes ſumptibus immenſis. Quæ ſic poſtquam vineæ intentum vidit, tantis operarij fructibus inuidit, vitæ filum protinus illius ſuccidit, clerus pl.†s cum milite quare veſtes ſcidit. Hinc Archiepiſcopus gemma Clericorum Biſuntinus obiit, Duxq́; Sueuorum, qui niſi contraria foret ſors fatorum, ſtrauiſſet innumeras acies Turcorum.*

Lubet adſcribere ex Rogero catalogum nobiliſsimorum & clariſſimorum hominum, qui in obſidione Acconis ex hac vita emigrarunt. *Sibylla Regina vxor Guidonis regis Hieruſalem, & duæ filiæ eius, Heraclius Patriarcha Hieruſalem, Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Archiepiſcopus Nazaret, Archiepiſcopus de Bezenzum, Archiepiſcopus Arleleblanc, Archiepiſcopus de monte regali, Epiſcopus de Sidoni, id eſt, de Saeta, nouus Epiſcopus de Accon, Epi-*

ſcopus

ſcopus de Baruch, Epiſcopus de S. Georgio, Epiſcopus de S. Abraham, Epiſcopus de Tabaria, Abbas de templo Domini, Abbas de monte Sion, Abbas de monte Oliueti, Abbas de Forde, Prior S. Sepulchri, Radolphus de alta ripa; Archidiaconus Colaceſtriæ, Rogerus le abbe: Fredericus Romanorum Imperat. obiit in eundo verſus terram Hieruſalem, ſubmerſus in fluuio, qui dicitur Salef, & Conradus filius eius dux Sueuia obiit in obſidione Accon. Et Robertus Comes Leceſtriæ obiit in Romania in eundo verſus terram Hieruſalem, & Landegrauius de Alemannia obiit in Romania in redeundo verſus domum; & Ioannes Conſtabularius Ceſtriæ obiit in terra Hieruſalem apud Tyrum: Rotrodus Comes de Stertico obiit in obſidione Accon. Et Comes do Puntiſ, & Theobaldus Comes de Blais, & Stephanus de Sancerra frater eius; & VVillielmus Comes de Ferreres, & Dux Bertoldus de Alemania, & Rogerus Comes de Apulia, & Iocellinus Comes de Apulia, & Comes de Brenes, & Andreas frater eius occiſus, & Ingeram de Feues occiſus, & Lodouicus de Arſeles occiſus, & Hugo de Hoiry occiſus, & VValterus de Moy occiſus, & Suido de Danzey occiſus, & Ode de Guneſſe occiſus, & Pincerna de Sanſllir captus à Paganis: & Mareſcallus Comitis Henrici captus à Paganis, & Reginaldus de Magni occiſus. Præterea in eodem anno obierunt in obſidione Accon Vicecomes de Turomania, & dominus de VVanci, & Gilbertus de Tileres, & Florentinus de Angeſt, & Iocellinus de Mummorenci, Vicecomes de Caſtello Heraldi, & Anſelmus de monte regali, & tota familia eius, & Vicecomes de Caſtellum, & mater eius, & Ioannes Comes de Vendome, & Heſtellanus de Tre, & Sanfridus de la Briuere, & Robertus de Boiues, & Adam Cambelangus regis Franciæ, & Adam de Leum, & Boues de Iuuenni, & VVillielmus de Pinkim, & Rogerus de Polebaro, & Robertus Conſtabularius, Seneſcallus Comitis VVillielmi de Mandeuilla, Ranulphus de Glamuilla Iuſtitiarius Angliæ obiit in obſidione Accon, & Bernardus de S. Valerico iunior, & Richardus Clare, & Suido de Caſtellum, & VValterus de Kime, filius Philippi de Kime, & Ioannes de Lamburne, & VValterus de Ros, frater Petri de Ros. Hæc Rogerus.

Subdit Florentinus Rhythmologus. *Sic iſtis Baronibus in neceſſitatis deſtituti tempore ſumus & Prælatis aliiſq; pluribus non hic nominatis, nobis aduerſantibus cum fortuna fatis. Et in verbo veritatis tibi dicere poſſunt, qui tunc temporis remanſerunt ibi, quod ſunt indigẽtiam tantam paſſi cibi, quod neſcimus ſimilem ab antiquis ſcribi. Ploratu graui cibaria quærebãtur, nec quærentes quoniam non ſic conſolantur. Sed ſi quando forſitan inueniebantur, cum amaris poculis fletu miſcebantur. Idem cibus Dominum & equum alebat, nam cum equo Dominus panem diuidebat, herbas, quas periculo mortis colligebat, equus crudas, Dominus coctas comedebat.*

Perſtiterunt tamen Crucesignati in obſidione vrbis; ſuperatis amore Crucis & Crucifixi cunctis calamitatibus, donec, Deo ſuos adiuuante, ciuitatem in poteſtatem ſuam redegerunt, & de Crucis hoſtibus

ſtibus promeritum ſupplicium ſumpſerunt; *quos*, vt ait Florentinus, obſidionis tempore, *aſpiceres ſuper muros ſtantes, ſanctum manibus crucem eleuantes, cum flagellis aſperis eam verberãtes, & cum improperiis nobis minitantes*. Sed tandem hæc ſacrilega iniuria in capita nefariorum expetiit: inuictæq́; conſtantiæ & fortitudinis heroicæ meritiſsimum præmium Chriſtianus exercitus accepit, verè militaris patientiæ, perſeuerantiæ, zeli & ardoris commemorabile exemplum, ac lucidiſsimum ſpeculum.

Iam verò vt ad commoda temporalia veniamus, quanti pendendum eſt, tot prouincias ampliſsimas, ciuitateſque munitiſsimas ſub iugum miſiſſe, & imperata facere coëgiſſe; & longè plus terrarũ Chriſtiano imperio ſubieciſſe; quàm olim Deus filiis Iſraël dederit. Neq; enim Antiochia aut Edeſſa, aut Cilicia; aut Tyrus & Sidon, ad terram promiſsionis pertinebant; quæ omnia loca Cruceſignati noſtri inuicta manu obtinuerunt & poſſederunt; vt taceam Conſtantinopolim, & quidquid propemodum ad Conſtãtinopolitanum Imperium ſpectabat; quæ militibus ſepulchri Dominici conceſſa fuêre, non ſine præſenti numine, & præter omnem exſpectationem, propè dixeram, præter voluntatem.

Aiunt, *felicitatem hanc non fuiſſe perpetuam*. Quid tum? An ideo appellari non poteſt felicitas? Si perpetua fuiſſet, temporalis nòn fuiſſet. Diximus iam antea, nobis hic ſermonem eſſe de temporali felicitate & vtilitate, quæ ex his expeditionibus exſtitit. Quæſo, cuius tandem proſperitas non aliquando defiit? Vbi illa ab omnibus decantata Alexandri Magni? vbi illa Iulij Cæſaris? Vbi illa Caroli Magni, niſi adhuc in Francia, & quadantenus in Germania? Hic nimirum omnium ſub cœlo rerum caducarum genius eſt, vt naſcãtur & occidant; ſerius aut citius, id ratione finis perinde eſt, quandoquidem ad vnum occaſus finem tendunt.

Quanti porro faciendum illud, quod tot millia Sarracenorum variis in conflictibus trucidarunt, eorumque vim & potentiam vehementer imminuerunt, & ne latius ſeſe diffunderent, muros aheneos ſeſe oppoſuerunt. Nam ſi ducentis illis propemodum annis, quibus ſacra hæc militia durauit, Sarraceni tam valentes & robuſtos aduerſarios nacti non fuiſſent; quæſo, quid in Chriſtiano orbe reliquum feciſſent; cum iam totam Aſiam vſque ad Helleſpontum tenerent; inſuper & Africam, & totam fermè Hiſpaniam, inque ipſa Italia pedem fixiſſent: vt ſileam Inſulas *Maioricam, Minoricam, Sardiniam*, cæteras. Incomparabili igitur Chriſtianæ Reipublicæ emolumẽto Cruceſignati noſtri cum Sarracenis congreſsi ſunt; auſimque dicere; cauſſam liberatæ

ratæ à Mahometanis Hiſpaniæ, potiſsimùm ab his expeditionibus *Cruciatis* manaſſe. Tunc enim Chriſtiani in Hiſpania aduerſus incolas Sarracenos ſeſe potiſsimum extollere cœperunt, quando cruceſignati in Palæſtina illorum vires vel infringebant, vel diſtrahebant, vel detinebant; alioquin, ni talem hoſtem habuiſſent in Palæſtina, numero longè maiore accurriſſent ex Aegypto, Africa, & aliunde ad conſeruationem Hiſpaniæ occupatæ; non enim neſciebant, quàm opportuna hæc regio eſſet ad inuadendas cæteras Chriſtiani orbis prouincias, præſertim Galliam. Sed obſtiterunt Cruceſignati; quia cùm armis ſuis Mahometanos perpetuò laceſſerent, haud de ſuppetiis Hiſpaniæ ferendis cogitare poterant, ſolliciti, quomodo vicinas regiones tuerentur; & ipſam quoque Aegyptum, in quam ſacri milites non ſemel impreſsionem fecerant. Taceo in præſenti, quàm præclaram operam Hiſpanis & Luſitanis aduerſus ſceleratam gentem Cruceſignati nauarint, cum claſsibus illas in partes aliquando delati fuiſſent. Ego ſanè ita exiſtimo, primam vel præcipuam ſalutis viam Hiſpanis veniſſe ab his ſacris expeditionibus, quarum ope non modò fregerunt potentiam Sarracenorum in Hiſpania; ſed & in ipſam impiæ gentis ſedem Africam penetrarunt; & aliquot vrbes & portus, numine bene propitio, in ſuam poteſtatem redegerunt; & qui domi ſuæ antea à Sarracenis tuti non fuerant, ij iam ipſis Mahometanis domi ſuæ quietem nullam concedebant.

Addam & aliud, quod licet ſuſpicer multis viſum iri magis admirandum, quàm credendum, id tamen non moror. Incredibilem illam felicitatem, omnibusque ſæculis inauditam, qua Luſitani ad orientem & meridiem; Hiſpani autem ad occidentem tot noua regna, & propè dixeram, tot nouos orbes, repererunt; aliquo modo *cruciatis* expeditionibus adſcribendam exiſtimo; vel eo nomine quod Luſitanis & Hiſpanis tantum otij à Sarracenis fecerunt; vt non modò ſuis in regnis à Sarracenorũ incurſu ſecuri degerent; ſed & animo ea conciperent, quę vix in vllius hominis animum cadere poſſe videbantur; nimirum, vt claſsibus Oceanum per inſuetum, nulliq; tentatum iter obirent, ſemperque longius atque longius progredientes, inſulas & regna, ne fando quidem prius audita reperirent; & tandem in ipſam orientalem Indiam ad extimos Chinēſes & Iapponas viam aperirent ac ſternerent, multosq; reges ac populos ſibi vectigales efficerent, & omnia longè lateq; Chriſtiani nominis gloria colluſtrarent.

Quo in ſtudio mirificè excelluit Henricus Luſitaniæ Rex, Ioannis Primi filius; cuius cœpta alij deinceps fauſto conatu excipientes, ea præſtiterunt, quæ vix pro dignitate admirari, ne dum debitis lau-

bus extollere possumus. Multum igitur emolumenti, etiam temporalis, ex his Cruciatis expeditionibus ad Christianam Rempub. manauit, & adhuc manat, aucto Christianorum Imperio tot incognitis prouinciis; magnitudine tam immensis, vt Palæstina ad illas puncti instar habeat; & diuitiis tam affluentibus, vt sol nullas adspiciat, quæ præferri queant, paucas aut fortè nullas, quæ comparari: in quibus omnibus iam Crucis Christi trophæum fulget, & quidem multis locis vnicum: eiecta omni idololatria; In aliis autem eò clarius splendor Crucis Christi rutilat, quo quasi per antiperistastin, seu antiparastasin noctis & caliginis idololatricæ acrius sese ac vehementius intendit, vt proinde hac tanta ad Christianam Rempublicam Regnorum accessione, Christiani dolorem de amissa Palæstina & Syria vtcunq; solari possint; *nam*: vt rectè ait Guillelmus Neubrigensis, *propter nostrorum defectum & dedecus temporum, oportet ciuitatem sanctam conculcari & profanari à gentibus vsq; ad tempus, quod solus Deus nouit. Nam suo tempore proculdubio iuxta morē priscum terra sancta spurcissimos euomet incolas, & fortè per parciorem manum Christianam, vt virtus diuina in negotio clarius elucescat. Vnde veraciter à quodam fideli bellatore dictum est; facilè est concludi multos in manus paucorum, & non est differentia in conspectu Dei liberare in multis aut in paucis, quod vtique declaratum est, cum vnus persequeretur mille, & duo fugarent decem millia.*

Neubrig. lib. 4. cap. 28.

Ad temporalia commoda meritissimò reuocatur etiam pax illa, quę ad prędicationem & assumptionem Crucis in occidente extitit, nominatim tunc, quando Crux à S. Bernardo Germanis & Francis est annunciata. *Ea tempestate,* inquit Otto Frisingensis, *vbique terrarum bellorum turbine orbem replente, ferméque totum imperium seditionum motibus inuoluente (nam & in Alemannia inter prædictum adolescentem Fridericum, & prænominatum Ducē Conradum hoc dissensionis malum agitabatur: in Baioaria inter Henricum, Leopoldi Marchionis filium, eiusdem terræ Ducem, & item Henricum Ratisbonensem Episcopum, grauissimum bellum excitatum indies augmentabatur: in Belgica Gallia viris magnis & egregiis Alberone Treuerorum Archiepiscopo, & Henrico Namurcensi Comite debellantibus, omniáque præda & incendio commiscentibus, maximum Reipublicæ dispendium exspectabatur. Polonia quatuor fratribus, tribus cum quarto pro ducatu contēdentibus maximam effusionem sanguinis minabatur. cæteris quoq; imperij prouinciis huius mali non exortibus, repente per dextram excelsi, tanta facta est mutatio, vt sopitis omnibus his bellorum tempestatibus, in breui totam terram quiescere, & innumerabiles ex Gallia & Germania contra inimicos Crucis, crucibus acceptis, militiam profiteri cerneres.*

Otto lib. 1. de gest. Frid. Imp. cap. 29.

Repentè, inquit ille idem Otto, *sic totus penè occidens siluit, vt non solùm bella mouere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.*

Cap. 41.

CAPVT

CAPVT VII.

Vix quidquam ex omni Christianæ antiquitatis memoria esse, quod cum expeditionibus Cruciatis conferri possit; nec iniuria, Deo Auctore, susceptas credi.



PLvs dicit Robertus Monachus, qui Concilio Claromontano præsens adfuit; & Historiam belli sacri vsq; ad captam Hierosolymam, partamq; nobilem illam à Godefrido in campis Ascalonæ victoriam, octo libris pertexuit; quam inscriptio capitis huius affirmet. Ipse enim nil mirabilius à condito mundo accidisse pronunciat. *Quid post creationem mundi mirabilius factum est*, inquit Robertus, *quid post salutiferæ Crucis mysterium, quàm quod in his temporibus actum est, in hoc itinere nostrorum Hierosolymitarum? Quod quanto studiosius quisq; aduerterit, tanto vberius inter mentis suæ dilatatos recessus obstupescet.* Robert.lib.1.

Et apud Anonymum Episcopus Pisanus. *Non est auditum à Christi natiuitate, vt aliquis Christianorum exercitus, per tot regna & pericula transiens, Hierusalem (adde, vel alias vrbes) in potentia & virtute expugnatis & eiectis adulterinis filiis & incolis, obtineret, ac loca sancta mundaret*, &c. Henricus Huntindoniensis. *Hoc est miraculum Domini magnum temporibus nostris factum, seculis omnibus inauditum: vt tam diuersæ gentes, tot fortissimi proceres, relictis possessionibus splendidis, vxoribus & filiis, omnes vna mente loca ignotissima, morte spreta, petierint.* Et certè, si quis omnes circumstantias expeditionum Cruce signatorum expendere velit, nil simile in omni à Christo nato memoria reperiet. Ipsæ etiam nauigationes Indicæ, etsi prorsus admirandæ, his tamen expeditionibus cedant oportet; si multitudinē, qui eas secuti sunt; & modum, quo ad eas sequendas excitati sunt; & illos, qui eas secuti sunt; & pericula quę subierunt, & peruicerunt; & bella, quæ gesserunt; consideres. Omnia miraculis, vt ita dicam, plena sunt, omnia stupenda; & quæ fidem propemodum superarent, nisi à tot scriptoribus vnanimi consensu proderentur. Anon.lib 6. cap.56. Henr.li.7.Hist.

Nam quod ad multitudinem attinet; ea tanta fuit, vt totus occidens in orientem migrare videretur, vt ait Meierus in Annalibus Flandricis, quodq; obseruatione dignum; subsequentes clade antecedentium nequaquā absterritos, sed potius ad cœpta feliciter prosequenda incitatos videmus. Neq; enim Godefridi legiones pedem retulerūt ob exitium exercituum, quos Petrus Eremita, & alij ducabant. Nec Longobardorum, Guelfiq; & similium tristissimus casus auocauit Conradum Imp. & Ludouicum Francorum Reges, quo minus cum numerosissimis copiis in Asiam traiicerent. Nec horum

exitu destitit à proposito Fridericus I. Imperator, aut Philippus Rex Francorum, aut Richardus Rex Anglorum. Breuiter, per ipsa pericula videbatur Cruce signatis nostris animus crescere.

Iam si varietatem & diuersitatem nationum consideres, quis fermè angulus in toto Occidente, qui non ad has expeditiones aliquos incolas, quasi symbolæ loco miserit? si spectes modum, quo permoti nomina sacrę militię dederunt, is ille fuit; quem iam passim alibi descripsimus; talis nimirum, qui sine diuino afflatu esse non potuit: quod satis declaratum statim initio huius negotij in Concilio Claromontano; cùm ad cohortationem Vrbani Pontificis tota concio, consono clamore, acclamauit, DEVS VVLT, DEVS VVLT.

Quod præclarè intelligens Tarentinorum inclytus Princeps Boamundus, sic apud Robertum principes Cruce signatos Constantinopoli repertos salutat. *O bellatores Dei, & indeficientes peregrini sancti sepulchri, quis ad hac peregrina loca vos adduxit, nisi ille, qui filios Israel ex Aegypto per mare rubrum sicco vestigio transduxit? Quis alius inseruit vobis animum, vt relinqueretis possessiones vestras, & natale solum; Cognatos & affines, coniuges & liberos abdicastis, imò & omni corporea voluptati renunciastis. Nunc iterum secundò regenerati estis, per confessionē scilicet & poenitentiam, quam quotidie duris laboribus exhibetis, ô felices qui in tali opere deficient, qui ante visuri sunt paradisum, quàm patriam suam. O ordo militum, nunc terq; quaterq; beatus, qui huc vsq; fuisti homicidij sanguine deturpatus, nunc Sanctorū laboribus compar Martyrum cœlestis es diademate laureatus. Huc vsq; exstitisti incitamentum iræ Dei. Nunc verò reconciliatio gratiæ ipsius, & propugnaculum fidei eius. Quapropter inuicti milites, quia nunc primum incepimus Deo militare, non gloriemur in viribus, siue in armis nostris, sed in Deo potētissimo omnium, quoniam ipsius est bellum nostrum, & ipse dominabitur gentibus.*

Robert. lib. 2.

Idem abundè confirmatum est apparitione beati Ambrosij Episcopi Mediolanēsis, qui specie Cruce signati sacerdoti, sacri faciendi gratia, ad certum quendam locū eunti sese offerens, more familiariter colloquentium petiit, *quid super hac re audierit, aut quid primum sibi de hoc videatur, quod tot regna, tot principes, & vniuersum genus Christianorum, sub vna intentione & desiderio ad sepulchrum Domini nostri Iesu Christi, ad sanctam confluxerint ciuitatem Hierusalem. Qui respondit: diuersi diuersa sentiunt super hac via. Alij dicunt à Deo & Domino nostro Iesu Christo hanc in omnibus peregrinis suscitatam fuisse voluntatem. Alij pro leuitate animi hanc Francigenas primores plurimumq; vulgus insistere, & ab hoc in regno Vngariæ, & aliis regnis tot peregrinis occurisse impedimenta, &c. Cui protinus prædictus peregrinus ait. Non leuitate, aut gratis huius viæ credatis fuisse exordium, sed à Deo, cui nihil impossibile est, dispositum; & procul dubio inter Martyres Christi in aula cæli noueris esse computatos,*

Anon. lib. 4. cap. 38.

putatos, aſcriptos, & feliciter coronatos, quicunque in hac via morte præoccupati fuerint, qui in nomine Ieſu exules facti, puro & integro corde in dilectione Dei perſeuerauerint, & ſine auaritia, furto, adulterio, fornicatione ſe continuerint. Presbyter verò admirans in verbis & promiſsione peregrini, quis fuerit, aut de qua ortus regione perquirit, &c. cui ille. Ego ſum Ambroſius, Mediolanenſium Epiſcopus, ſeruus Chriſti. Et hoc tibi ſit ſignum, & vniuerſis populis Catholicis viam hanc inſiſtentibus, quia non fallo de omnibus, quæ de ore meo audiſti: ab hodierno tribus annis euolutis, ſcias Chriſtianos, qui ſuperfuerint, poſt multos labores ciuitatẽ ſanctam Hieruſalem, & victoriam de cunctis nationibus barbaris feliciter obtinere. His dictis ſine mora euanuit. Hæc Anonymus; qui dicit ſacerdotem, cui hæc viſio oblata, à puero ſibi fuiſſe notum: Et euentus prædictionem comprobauit.

Hæreticus editor Anonymi hæc margini appinxit. *Spectrum Ambroſij Epiſcopi.* Mirum, ni oræ libri Euangelici, vbi de Chriſti appartionibus poſt reſurrectionem ſermo, adſcribat. *Spectrum Chriſti redemptoris.* Aliud eſt ſpectrum, ſeu *phaſma*, ſeu *phantaſma*: aliud ſanctus quiſpiã mortali cuipiam conſpicuum ſeſe præbens, quem nullus, qui phantaſma vel potius *phantaſtes* non ſit, ſpectrum ſeu phantaſma vocet.

Fuêre igitur expeditiones iſtæ à Deo; quod & inde planum fit; Quis enim, niſi ſupremi numinis virtus, potuiſſet tot Imperatores, Reges, Principes, Comites eò adducere, vt integris prouinciis, quas pacificè poſsidebant, & adminiſtrabant, relictis; multaque ſalute charis omnibus dicta, hanc tam periculoſæ plenam aleæ militiam profiterentur? Nihil ſimile vnquam à parta per Chriſtum ſalute cõtigit. Nunquam tam ſelectus nobilitatis flos ex omnibus Chriſtiani orbis nationibus, tam longinquas regiones expugnatum iuit; ſola ſpe præmij cœleſtis; nullo temporali emolumento propoſito.

Vt autem lector vno aſpectu intueatur inſignes Heroas, Cruce ſignatos, quorum opera terra ſancta vel recuperata, vel defenſa, vel vis Sarracenica oppreſſa fuit; attexam hic catalogum eorum Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporũ; qui aſſumpta Cruce, Chriſto & ſepulchro eius militarunt. Non profiteor autem neminem à me præteritum iri; quia nec omniũ nomina litteris conſignata ſunt; & vt eſſent; quis tamen eſt, qui omnium monumenta euoluerit, aut cuius diligentiam, vel memoriam aliquid fugere non queat? Verùm duas duntaxat centurias enotabo; reliquas adiiciat, qui volet; & facilè erit ex centuriis Chiliadas nobiliſsimorum Heroum conficere. Sed en tibi ipſum ſyllabum.

Imperatores Occidentis.

Conradus III. Fridericus I. Barbaroſſa. Fridericus II.

Auent.lib.5. Henricus IV. Hieroſolymam ire ſæpius propoſuerat, teſte Auentino; ſed aliis atque aliis impedimentis interuenientibus, propoſitũ in nihilum recidit. Sunt qui ſcribant, Rudolphum quoque Imperatorem hoc nomine primũ Crucem accepiſſe in ſubſidium terræ ſanctæ. Ita Rodericus Sanctius. Certum tamen videtur, Hieroſolymam non iuiſſe, quacunque de cauſſa id acciderit. Roder.lib.4. Hiſt.Hiſpan. cap.5.

Henricus Imp. Filius Friderici I. Imper. crucem ſumpſit, teſte Crantzio in Metropoli; ſed votum non ſoluit. Arnoldus tamen Lubecenſis negat Henricum crucem accepiſſe.

Reges Occidentis.

Ludouicus Rex Franciæ, Filius Ludouici Craſsi.

Alienordis ſeu Eleenora vxor Ludouici.

Otto lib.1.de Geſt Frid.Imp. cap 34. Philippus frater huius Ludouici, teſte Ottone Friſingenſi; qui viuẽte adhuc patre Ludouico Craſſo coronatus, & Rex ſalutatus fuerat. Sed morte interceptus votum non expleuit.

Philippus Auguſtus, Rex Franciæ.

HENRICVS II. Rex Angliæ; ſed mortuus, priuſquam voto ſatiſfaceret.

Richardus I. Rex Angliæ.

S.Ludouicus Rex Franciæ. Bis.

Philippus Rex Franciæ, filius S.Ludouici, patrem ſecutus in ſecunda expeditione.

Regina Franciæ vxor Prædicti Philippi.

Theobaldus Rex Nauarræ. Bis. Monachus Paduanus in Chronicis vocat Carolum. Sed confundit cum Carolo Rege Siciliæ, qui & ipſe Tunetanæ expeditioni interfuit cum Francis, ſed in Palæſtinã non peruenit. Habuit tamen perueniendi animum, Cruce ſumpta. Quo circa ipſe etiam inter Reges cruce ſignatos locum obtineat.

CAROLVS Rex Siciliæ.

Eduardus Rex Angliæ, bis; ſemel ante regnum; rurſus poſt adeptum regnum. qui prima vice pro ſe, & patre ſuo Henrico III. Rege Angliæ crucem aſſumpſit.

Ioannes Rex Angliæ, accepta cruce voto ſacræ militiæ ſe adſtrinxit, ſed voto, neſcio qua de cauſſa, non ſatisfecit.

Bela III. hoc nomine Rex Vngariæ, ſed voto eius ſatisfecit, filius, nempe Andreas Rex Vngariæ.

Alfon-

Alfonsus Rex Hispaniæ.
Rex Cypri cum Andrea Rege Hungariæ.
Alius Rex Cypri cum S.Ludouico.
Iacobus Rex Arragoniæ.
Sivvardus Rex Noruegiorum.
Magnus frater Regis de Norvvegia.
Sueno Regis Danorum filius.
Regina Angliæ Richardi Regis vxor.
Regina Siciliæ.

Principes, Duces ac Comites.

Godefridus Dux Lotharingiæ.
Balduinus, Eustachius } frater eius.
Balduinus de Burgo.
Hugo magnus, Philippi Regis Francorum frater.
Robertus Comes Normannorum, filius Regis Anglorum VVilhelmi.
Stephanus Comes Carnotensium & Blesensium.
Raimundus Comes Tolosanus, & S. Aegidij.
Robertus Comes Flandriæ.
Hugo Comes fani Pauli, cum filio Engerrano.
Comes Gernerus de Grez.
Balduinus Comes Hamaucorum.
Isuardus Comes Diensis.
Romboldus Comes Auraficensis.
VVilhelmus Comes de Foreis.
Comes Stephanus de Alba malla.
Rotrodus Comes Partichensis.
Boamundus Princeps Tarentinorum.
Tancredus eius ex sorore nepos.
VVilhelmus Tancredi frater.
VVelfo IV. Dux Noricorum, seu Bauariæ, mortuus in Cypro.
VVilhelmus Comes Pictauiensis.
VVilhelmus Princeps de Nauers, seu Niuernensis.
Stephanus Dux Burgundiæ.
Ida Marchionissa Austriæ, mater S. Leopoldi Ducis Austriæ.
Conradus Conestabilis Henrici IV. (aliis III.) Imperatoris.
VVigbertus Comes Parmensis.
Albertus Comes de Blandruz.

Longissimum catalogũ Principum, Comitum, & Baronum primæ expeditionis contexit Meierus lib. 4. Annal. Flandricorum.

VVido

VVido frater eius.
Henricus Dux Noricorum,seu Bauariæ,frater Conradi Imp.
Guelfo V. in expeditione Conradi Imp.
Ladislaus Dux Boëmorum.
Odoacer Marchio Styrensis.
Bernardus Comes Carinthiæ.
Hugo Comes VVademontensis.
Guillelmus Marchio de Monte ferrato.
Amedeus Taurinensis frater VVilhelmi.
Fridericus Dux Sueuiæ,qui postea Imperator fuit.
Alphonsus Comes S.Aegidij.
Thiericus,seu Theodoricus Comes Flandriæ; quater.
Philippus Comes Flandriæ.
Henricus filius Theobaldi,Comitis Blesensis.
Guido Comes Niuernensis.
Regnaldus frater eius Comes Thenodori.
Comes Deocarus.
Robertus frater Ludouici Regis Franciæ,filij Ludouici Crassi.
Iuo Comes Suessionensis.
Guillermus Comes Pontiuiensis.
Comes Moriennæ auunculus Ludouici Regis Franciæ.
Philippus Comes Flandriæ.
Dux Burgundiæ.
Comes Pictauiæ.
Tibaldus Comes Blesensis.
Rotroutus Comes Perticensis.
Guillermus de Barris,Comes de Rupe forti.
Henricus Comes Campaniæ.
Robertus Comes Drocarum.
Comes Clarimontis.
Comes Suessionensis.
Comes Barensis.
Leopoldus Dux seu Marchio Austriæ.
Fridericus Dux Sueuiæ,filius Friderici Primi Imperatoris.
Robertus Comes Lecestriæ.
Vide Rogerum in Annalibus fol.390. Rogerus Comes de Apulia.
Iocelinus Comes de Apulia.
Comes de Brenes.
Andreas frater eius.
Landegrauius de Alemmannia.

Conra-

Conradus Marchio de Monte ferrato.
Rupertus Comes de Nassauue.
Henricus Iunior Comes de Diech.
Henricus Comes de Diech Senior.
Bertoldus Dux Meraniæ.
Hermannus Marchio Badensis.
Henricus Comes de Salme.
Bertoldus Comes de Nuenbruck in Brisgoia.
Quatuor Comites de Bauaria in expeditione Friderici I. Imper.
Popo Comes de Henniberg.
Comes de Hollandia cum germano suo.
Henricus de Calledin Imperialis Curiæ Mareschalcus.
Conradus Comes de Doremberg.
Marchio Misniæ.
Fridericus Dux Austriæ, filius Leopoldi.
Henricus Palatinus Rheni, filius Henrici Ducis Saxoniæ.
Dux Brabantiæ.
Balduinus Comes Flandriæ, postea Imp. Constantinop.
Henricus frater eius.
Bonifacius Marchio de Monte ferrato.
Henricus Dandulus Dux Venetiarum.
Ludouicus Landgrauius Hassiæ.
Comes S. Pauli.
Dux Merauiæ.
Dux Brabantiæ.
Dux Limburgi.
Dux de Ancei.
Palatinus Comes de Tubinga.
Marchio de Bada.
Comes de Los.
Comes de Iuliaco.
Comes de Seine.
Comes de Monte.
Oliuerius filius Regis Angliæ.
Leopoldus Dux Austriæ, cum Andrea Rege Hungariæ.
VVilhelmus Comes de Hollandia.
Georgius Comes de VVide.
Særus Comes VVintoniensis.
Ludouicus Dux Bauariæ.
Ranulphus Comes Cestriæ.

VVilhelmus Comes Arundellus.

Robertus Comes Atrebatensis frater S. Ludouici Regis Franciæ. bis.

Carolus Comes Andegauiæ frater Regis Ludouici.

Hugo de Castellione, Comes S. Pauli & Blesensis.

Galcherus nepos eius.

Petrus Comes Britanniæ.

Ioannes filius eius. bis.

Hugo Comes Marchiæ.

Alfonsus Comes Pictauensis, frater Regis Ludouici. bis.

Ioannes Comes Montis fortis.

Comes Vindocinensis.

Comes Drocensis.

Amalricus Comes Montis fortis.

Henricus Comes de Barro.

Comes Richardus, frater Henrici Regis Angliæ.

Guido Comes Flandriæ.

Ioannes Comes Niuernensis, filius S. Ludouici Regis.

Petrus Comes Alensoniæ, filius S. Ludouici.

Henricus filius Richardi Regis Alemanniæ, occisus in reditu Viterbij.

Philippus Dux Sueuiæ, Henrici Cæsaris frater.

Primæ expeditioni sub Godefrido Lotharingiæ Duce, interfuit quoque Ekhardus Comes Schirensis in Bauaria, de quo hæc Vitus Arenpeckius lib. 5. cap. 6. *Ekhardus Comes Schirensis, Aduocatus Ecclesiæ Frisingensis, vir potens, armis experientissimus, multa fortia, & laude digna in via, & in terra sancta gessit, dum expeditioni Hierosolymitanæ interest. hic à vulgo dictus est Pundscuoch, à quodam calceo nigro, cum tribus rubri coloris corrigijs, quem de nocte iuxta suum tentorium erexit sub Duce Godefrido de Lotharingia, tempore Regis Henrici Quarti.* Eadem ferè Andreas Ratisbonensis in Chronico suo.

Vide Syluest. Giraldum lib. 2. de Hibernia expugnata cap. 25. & seq.

Ex Archiepiscopis, qui Crucem susceperunt (quorum catalogum iam iam tibi exhibebimus) postremus non fuit Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis, qui Heraclio Patriarcha Hierosolymitano in Anglia Crucem prædicante, regnumq; Hierosolymitanum Henrico Secundo, Anglorum Regi offerenti, crucis signaculo insignitus fuerat, biennio antequã Hierosolyma amitteretur: qui, vt plurimos belli, & peregrinationis socios sibi adiungeret, totam Cambriam, seu VValliam, & inhospita regionis illius saxa, & tesqua magno labore peragrauit, Comite Giraldo Cambrensi, qui duobus libellis peregrinatio-

nationis Balduini per Cambriam complexus est, primusque à manu Archiepiscopi (*aliis exemplum præbens*) Crucis signaculum suscepit. *quem illicò Petrus Meneuensis Episcopus, & Cluniacensis Monachus, tam imitatus est, quàm secutus. Deinde Æneas Æneæ Claudij filius Elueniæ Princeps cum aliis multis.* Quin & Resus *Australis Cambriæ Princeps* Crucem suscepisset, *nisi vxor eius ipsum à tam nobili proposito muliebriter instãs penitus auertisset.* Rectius longè eiusdem gentis vir nobilis Arthenus; ex quo cum Archiepiscopus sciscitaretur, an non prius consilium suum de Cruce suscipienda cum vxore communicare vellet: respondit: *ad aggrediendu'u opus virile non est expetendum consilium muliebre: & statim ab Archiepiscopo Crucem suscepit.* Girald. lib. 1. Itinerarij c. 2. Girald. lib. 1. c. 4.

Alibi hæc Giraldus. *Ex latere Cemesensi non procul à Ponte, conuocato partium illarũ populo, &c. verbo Domini tam ab Archiepiscopo, quàm Meneuensi Archidiacono persuasoriè prolato ad Crucis obsequium multos alleximus: quorum vno Cruce signato, quanquã vnico filio, & vnico matris senio iam confectæ solatio: eundem statim mater intuita, & diuinitus, vt videbatur, inspirata subiecit: Gratias tibi, charissime Domine Christe Iesu, intimas ago, quod talẽ mihi filium, quem tuo dignareris obsequio, parere concessisti.* Lib. 2. cap. 2.

Fuit & alia ibidem mulier, animo à priore, multum dissimili, quæ virũ suum, ne ad Archiepiscopum iret, neue crucem susciperet, per pallium & zonam firmiter tenens; coram cunctis impudenter retrahebat. Sed eadem tertia pòst nocte terribilẽ hanc in somnis vocem audiuit: Seruientem meũ mihi abstulisti, quamobrem & à te quoq; , quod plurimùm diligis, auferetur. Qua visione viro cum vtriusq; tam admiratione, quàm terrore relata, cum iterum obdormisset, filium paruulum, quem secum in toro iacentem habebat, non minus infeliciter, quàm insuauiter oppressit. Et statim vir à Diœcesano Episcopo tam visionem referens, quàm vindictam, Crucem suscepit, vxore fauẽte, ipsa quoq; signum sponte propriis manibus armo virili inserente vel insuente. In loco verò prædicationis, iuxta caput pontis, tanquã tanti conuentus memoriale locum Capellæ in viridi planicie statim plebs deuota signauit: vbi vestigia loquendo ad populum Archiepiscopus fixerat, altare designantes: vbi & multa miracula languentium turbis hinc vndiq; confluentibus, quæ singula referre longum esset, certum est contigisse.

Addit sub finem libri Giraldus. *In huius legationis longo laudabiliq; labore, circiter tria virorum millia, Crucis signaculo sunt insignita, lanceis, & sagittis expeditissima, Martiiq; negotiis exercitatissima: solam cum hostibus fidei congrediendi moram communiter accusantia: fructuosè quidem Christi obsequiis ac feliciter obligata, si salutiferæ Crucis expeditio tam expeditè fuisset, tantaq; maturatione profecta, quanta fuerat tam diligentia, quàm deuotione collecta.*

Porrò occulto Dei iudicio, sed nunquam iniusto, Imperatori Romano (Friderico Primo) *via; regibusq; nostris* (Henrico, Richardo; Angliæ; & Phi-

lippo Franciæ) *discordia data sunt impedimenta: Regi Siculo, qui præ cunctis terræ Regibus, terram sacram annonis, & alimentis in tanta desolationis articulo sustentabat, mors inopinata & intempestiua: & mortis sequela Principum nostrorum grauis ob regni iura decertatio.* Sed satis de Balduino Archiepiscopo Cantuariensi.

Addamus & hoc. Ex Arnoldo & Ottone Frisingensi, meminimus suo loco cruciatæ expeditionis Saxonum, aduersus vicinos idololatras, Vandalos, seu Obotritos. De eadem Crantzius lib. 6. Saxoniæ cap. 11. qui & ista: *vestibus & armis sumpserunt tale signum* ♁ *: hoc insinuantes, quia crucifixus Dominus Rex est super omnem terram.* Quæ adscribere volui, vt eo melius capias Ottonis Frisingensis verba, cap. 1. lib. 2. suprà citata. Nunc catalogum Antistitum vide.

Archiepiscopi & Episcopi; qui diuersis expeditionibus in Palæstinam profecti sunt.

Ademarus Podiensis Episcopus.
Guillelmus Ausaricensis Episcopus.
Episcopus Mediolanensis.
Engelradus Episcopus Laudunensis.
Episcopus Suessionensis.
Thiemo Archiepiscopus Salisburgensis.
Stephanus Metensis.
Henricus Tullensis Episcopus.
Henricus Episcopus Ratisbonensis.
Otto Frisingensis Episcopus.
Reginbertus Passauiensis Episcopus.
Simon Episcopus Nouiomensis.
Aluisus Episcopus Atrebatensis.
Godefridus Episcopus Lingonensis.
Arnulphus Episcopus Lisienensis.
VValtherus Rhotomagensis Archiepiscopus.
Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis.
Hugo Dunelmensis Episcopus.
Episcopus Beluacensis.
Episcopus Carnotensis.
Hubertus Salesburiensis Episcopus.
Archiepiscopus Anxiensis.
Episcopus Baiocensis.
Godefridus Episcopus Herbipolensis.

Diet-

Dietpoldus Epiſcopus Paſſauienſis.

Epiſcopi { Lapdicenſis. Offeburgenſis. Miſnenſis. Monaſterienſis. Baſileenſis. }

Petrus Tullenſis Epiſcopus.
Archiepiſcopus Tharentaſianus.
Conradus Archiepiſcopus Moguntinus.
Conradus Epiſcopus Herbipolenſis.
Siffridus Archiepiſcopus Moguntinus.

Epiſcopi { Leodienſis. Bambergenſis. Paſſauienſis. Argentinenſis. Traiectenſis. }

Iubellus Rhemorum Archiepiſcopus.
Philippus Bituricenſis Archiepiſcopus.
Robertus Beluacenſis, Guillermus Aurelianenſis, Garnerus Laudunenſis } Epiſcopi.
Odo de Caſtro Radulphi, Epiſcopus Tuſculanus
Rogerius Epiſcopus Cameracenſis.
Haruicus Archiepiſcopus Bremenſis.
Rudolphus Epiſcopus Verdenſis.
Gurnerius Epiſcopus Tricaſsinus.
Milo Epiſcopus Sueſsionum.

Habet ergo lector duas centurias, non ſine auctario nobiliſsimorum & fortiſsimorum Principum tam eccleſiaſticorum, quàm politicorum; quos amor Chriſti propriis ex ſedibus abſtractos in Syriam proficiſci compulit; inaudito, ſed tamen omnibus ſeculis commemorando exemplo: qui omnes tam diuerſi ex locis tam diuerſis; ſine numine ad tam arduum opus tantiſq; periculis obnoxium non potuerunt accingi; quorum feruor & ardor plurimis miraculis confirmatus eſt & approbatus, vt videre eſt paſsim in Hiſtoria huius belli; & in his, quæ nos inde libauimus. Quot enim vel vnus Bernardus in confirmationem Cruciatæ prædicationis ſuæ miracula edidit? Quot alij? Quot ſigna & prodigia cœlitus oſtenſa? Quot prælia prorſus admiranda & præſentiſsimo Dei cœlitumque ſubſidio ſubnixa Cruceſignati præliati ſunt?

Non hîc certamen erat cum nudis vel seminudis *Aethiopibus*, aut *Peruanis*, aut *Mexicanis*, aut *Brasiliensibus*: Sed cum gente bellacissima, & in armis strenuissima & exercitatissima; & quæ seu dolos & artes, seu peritiam & ingenium, seu animum & audaciam; seu corporis robur neruosq; spectes; nostris vel nihil vel parum cedebat, certè multidine plurimùm præstabat. Scio in India non rarò à paucis splendidissimè triumphatum, victoria ab infinitis hostibus reportata. Nemo nescit *Pacieci, Albuquercij, Almeidæ*, & similium facta omnium literarum & monumentis decantanda: sed, nisi fallor, si quis non vnam vel alteram peristasin consideret, nostros Cruce signatos cæteris omnibus præferet; palmaq; laudis non inuitus donabit: Nam in Indiam, nullus adhuc Imperator Romanus, aut Rex occidentis traiecit, solo amore Christi impulsus, nulla spe propagandi sui imperij, prout non vnus, sed plures in Palæstinam sese contulerunt, comitati florentissimis exercitibus, non alienis stipendiis, sed fermè propriis vniuscuiusq;, cùm tamen illi in India abituri, non nisi ornatissimis classibus, potentissimorum Regum impensa instructis, viæ se commiserint; & sæpe non tam cum hominibus, quàm cum æquoreis procellis depugnarint.

Nolo plura de hac comparatione; quia nostros *Crucesignatos* absq; vlla dubitatione omnibus anteponendos esse, clarius arbitror, quàm vt multis demonstrandum sit; Vt aũt lectori constet, vnde tam paulò antè descriptus Catalogus; quã omnia alia, quę de Cruciatis expeditionibus, disseruimus, desumpta sint, placuit Indicem scriptorũ subiungere; vt si quis sacræ militię plenius & accuratius cognoscendę desiderio tenebatur, habeat, vnde suo desiderio satisfaciat, sunt autẽ isti.

VVilhelmus Tyrius Archiepiscopus.
Robertus Monachus.
Anonymus editus à quodam sectario.
VVilhelmus Malmesburiensis.
VVilhelmus Neubrigensis.
Henricus Huntindoniensis.
Rogerus de Houenden.
Iacobus Vitriacus.
Sigebertus.
Robertus continuator Sigeberti.
Vincentius in speculo Historiali.
Dodechinus continuator Mariani Scoti.
Otto Frisingensis.
Otto de S. Blasio.

Bertoldus Conſtantienſis.
Abbas Vrſpergenſis.
Matthæus VVeſtmonaſterienſis.
Glaber Rudolphus.
Fragmentum Hiſtoriæ Franciæ ſeu Aquitanicæ.
Rigardus.
Helgaldus.
Guillermus de Nangis.
Iacobus Meierus.
Godefridus Monachus.
Thegano Decanus Paſſauienſis.
Guntheri Hiſtoria Conſtantinopolitana.
Theodoricus de vita S. Elizabethæ.
Annales Thuringiæ.
Siffridus Presbyter Miſnenſis.
Compilatio Chronologica.
Chronicon Auguſtanum.
Chronicon Auſtrale.
Monachi Paduani Chronica.
Monachus Florentinus de recuperata Ptolemaide.
Innocentius III. Pontifex.
Platina.
Sigonius.
Peregrinatio Friderici I. Imperatoris in Palęſtinam, ab Anonymo.
Polydorus Virgilius.
Paulus AEmylius.
Aeneas Syluius.
Ioannes Cochlæus.
Ioannes Mariana.
Rodericus Toletanus.
Rodericus Santius.
Martinus Cromerus.
Petrus Bleſenſis.
S. Bernardus.
Nicetas Choniates.
Eberhardus Altahenſis.
Chronicon de Guelfis.
Ioannes Turozius.
Andreas Ratisbonenſis.
Epitome Bellorum ſacrorum.

S. Anto-

S. Antoninus.
Albertus Crantzius.
Angelius Bargæus.
Helmoldus Presbyter.
Arnoldus Abbas Lubecensis.
Godefridus Viterbiensis.
Ioannes Trithemius.
Nauclerus.
Chronicon Salisburgense.
Cæsarius.
Thomas Cantipratensis.
Onuphrius.
Thomas VValsinghamus.
Syluester Giraldus Cambrensis.
Iouius.

Restat, vt præcipuis Crucesignatæ militiæ ducibus encomia quædam ab amicis oblata hîc pangamus, & tantæ virtuti trophæa, quæ possumus, erigamus.

Godefridus I. Rex electus.

Hic est ille SYRI domitor TVLLINGVS ORONTIS,
Ille PALAESTINAS qui reparauit opes:
Primus SESTIACAE peruasit BOSPORON vnde,
Primus in ABDARIDAS intulit arma Duces.
Non illum PHARIAE stimulârunt iugera glebæ,
Non illum TYRII barbara præda freti;
Sed SOLYMAE turbata quies, auumq́ SEPVLCRI
Lugubre, & amissa trabs inhonora CRVCIS.
Qui sacra cùm rigido reserasset limina ferro,
Ah quoties riguis limina lauit aquis?
Ah quoties inopem ditauit prodigus aram?
Ah quoties DOMINAM pectore pressit humum?
Quod meruit primus, primus diadema refugit,
Nec tetigit iussâ sceptra recepta manu.
Affectent alij regum diademata reges;
Regnum erat in REGNIS spernere REGNA suis.

Baldui-

Balduinus I. Rex Coronatus.

Hîc vbi IESSEOS *habuit diadema tyrannos,*
Hîc vbi sceptrigeros nutriit aula Duces,
Heu facinus, sentis hîc olim tempora dumis
Cinximus, heu nostris tempora flenda genis.
Hîc & arundineis illusa est dextera cannis,
Dextera, qua trepido concutit astra metu.
O quàm dissimili BALDVINE *decore nitescis?*
Nec manibus CANNAS, *nec* PALIVRON *habes:*
Gemmea sed textum mutarunt serta vepretum,
Et CANNAS *Libycum cedere iussit ebur.*
Spinea das Christo, reddit tibi gemmea Christus;
Quid tibi, si dederis gemmea serta, dabit?

Balduinus II.

Cvm mea LVNATIS *peterentur mœnia signis,*
Horruit aspectam barbara LVNA CRVCEM.
Cur eadem vestras non horret LVNA *phalangas,*
Effera PANNONIOS *cùm populatur agros?*
Hæretici tantas spargunt, BALDVINE *tenebras,*
Vt videat nullas THRACIA LVNA CRVCES.

Fulco.

Tertius Eoï FVLCO *diadematis hæres,*
Gestáque si numerem prælia, primus eram:
Qui nisi iam SOLYMOS *alieno marte subactos*
Cepissem, poteram marte domare meo.
Lapsus equo perij. Reges quid tela cauetis?
Non venit telo mors mea, venit equo.

Balduinus III.

Impia quem timidum gens expectabat ephæbum,
Egregium belli comperit esse caput.

Arma rotare viros docuit puer, agmina magnos
Centuriare duces, imperitare senes.
Defuit ætati vigor, & virtutibus ætas,
Sed nunquam regno defuit ille suo.

Amalricus & Balduinus IV.

Vidit AMALRICVM moriturus frater, &, ibo
Lætus, ait, sceptrum iam tibi frater habes.
Vidit AMALRICVS BALDVINVM, & lætior, inquit
Ibo, meus regnum iam sibi natus habet.
Nescio BALDVINVS quem demum viderit; eheu
Cedo, ait, & regno fata relinquo meo.

Guido Rex Vltimus.

Ille ego funereas spectaui GVIDO ruinas,
Fatalis regni GVIDO, ruina mei.
Ne lugete meum de regno in vincula casum,
Flebilis amissam lugeat vnda CRVCEM.
Parcite GODFRIDI, BALDVINI parcite manes,
Debueram hac vestrâ damna cauere manu.
At vos OCCIDVI ne reges parcite; vobis
Restat de culpis pœna petenda meis.

CONRADVS Imperator.

CONRADVS dominos vacare fasces,
Et sceptrum iubet ire feriatum,
Plenos dum pietatis inter æstus,
Per terras ruit inuias, ferumq;
Magnis NEREA classibus fatigat.
Dixisses LIBYCAS peti rapinas,
Aut de MEMNONIIS superba prædis
In nostros redigi metalla census,
Aut dites ASIAE erui fodinas;
CRVX TANTIS PETITVR SED VNA CVRIS;
Vt quam PVRPVRA, CAESARVMQVE fastus

Condem-

Condemnauerat antè, nunc ADORET.
Sêcli incommoda, COMMODI, NERONES,
Et FLAVI furor vltimi, & flagella
Periuri rediuiua IVLIANI,
Insanite; suos poteſt TYRANNIS
CRVX opponere CAESARES; redite.

Fridericus Barbaroſſa Imp.

COEperat infirmis ORIENS diffidere dextris,
Nulláque ſat tuto valla parare iugo.
Cœperat & trepidos tibi iam ſubmittere faſces,
Audierat vires cùm FRIDERICE tuas.
Ecce autem, ſubitò cœpit FORTVNA iocari,
FORTVNA in mediis ſeria facta iocis.
Vnda fuit, gelido quam CYDNVS duxerat aluêo,
Vnda, ſed in ſummos non ſatis æqua Duces.
Obſuit hâc olim PELLEO CYDNVS alumno,
Illita cùm nocuo membra ſtetêre gelu,
Nunc iterum fido cupidum tranare caballo
Obruit infidis te violentus aquis.
Parcere debebat FRIDERICO CYDNVS eunti;
Sat citò merſiſſet, cùm rediturus erat.

Richardus Rex Angliæ.

ARma PALAESTINOS infert RICHARDVS in hoſtes,
Dum cupit aſſertam turba BRITANNA CRVCEM.
O ſecla, ô mores, ſoboleſq́. parentibus impar,
Iam rapit aſſertas turba BRITANNA CRVCES.
Mitius hæc SYRIOS irritant ſigna tyrannos,
Et minor HAEBREOS aſperat ira manus.
Ne RICHARDE CRVCEM SYRIAE ſubducito; ſalua
Hic erat; in regno iam perit illa tuo.

S. LVDOVICVS Rex Galliæ.

FLeuit IDVMEAE LVDOVICVS damna ruinæ,
Venit in hoſtiles CRVX vbi capta manus:

Et mox LILIGERAE detraxit serta Coronæ,
Et TRABEAM & TYRIO vellera pota eado.
Quid mihi PAESTANI, dixit, Violaria campi?
Quid mihi gemmato nobilis aula tholo?
Squallet IDVMEO CRVX abdita carcere, dum nos
Inter HYDASPEAS luxuriamur opes.
I nitor, ite mei laquearia gemmea tecti,
Tecta decent captam sardonychata CRVCEM.
Permutabo: meas tibi, CRVX, ego destino gemmas,
Sed tua tu membris inijce vincla meis.

In Dresserum & Reineccium calumniatores Cruciatarum expeditionum.

Sidera vel dudum nullis habitata colonis,
Et dudum nullas scribitis esse Styges:
Vel vitiis cœlum datis, & virtutibus Orcum.
O furor, vt cupias altiùs ire, nequis.
Tu Dressere tamen, quiq; illo peior es, aut par,
Ire licet nequeas altius, ire cupis.
Non satis est sacros calamis proscindere mores,
Et laudatorum carpere sæcla Patrum:
CRVX etiam, assertorq; CRVCIS culpatur; vt vnum
Atque ingens hodie sit scelus, ESSE PIVM.
Aut nihil, aut restat, calamis vt dextera vestris
Audeat & magno bella mouere Deo.

Aliud, ad Reineccium.

Si toties calamos, quoties mendacia, sumis:
Te, puto, iam citius scribere nemo solet.



CAPVT VIII.

Balæi & aliorum Hæreticorum incredibilis impudentia & vanitas, quod ad Cruciatas expeditiones attinet.



ETSI omnes Hæretici cùm de Roma & Pontifice Romano scribunt, habenas impudentiæ laxant, & quiduis effutire non erubescunt, primas tamen, meo iudicio, post primos illos Hæresiarchas, Lutherum, Caluinum, Zuinglium, tenet Balæus in Centuriis scriptorum Britanniæ, quæ mendaciis & criminationibus in Pontifices Romanos adeò sunt oppletæ & obsitæ; vt vix sit pagella, quæ huiusmodi calumniis vacet.

Hoc vt planum fiat, pauculas tantummodo excerpam, quæ *Cruciatas* expeditiones attingunt. Centuria secundâ agit de expeditione Friderici Barbarossæ in Palæstinam. Vbi primùm vitio vertit Hartmanno Episcopo Brixiensi, quod Imperatori suaserit, vt in Turcas potius, quàm in Pontificem & Pontificios arma verteret: caussam addit: quia *ipsi sunt omni Turca deteriores.* Vbi genium Lutheri agnoscas licet, cui Papa & Papistæ nihil aliud sunt, quàm *Turcissimi Turcæ.* Non inquiram hoc loco, num præsul ille Friderico expeditionis huius auctor fuerit; condonetur hoc seu inscitiæ, seu malitię Balæi, tantùm notetur, quàm inuisi sint istis omnes illi, qui Principes à bello Christianis inferendo auertunt, & ad Turcas hortando conuertunt. Vocat Balæus ob hoc factum, Hartmannum *insignem Hypocritam*, vocat *proditorem*, vocat *fraudatorem*. Nil à sua secta alienũ facit; cui *Turcismus*, quàm *Christianismus* longè charior; cui gratum Turcas florere, dummodo Papa pesſùm eat.

Quare eò amẽtię Caluini & Lutheri discipuli iam progrediuntur, vt nobis persuadere conentur, nefas esse, Turcam, suis in prouinciis pacificè degentem, armis petere. *Nam Turcis bellum indicendum esset*, inquit Danæus Caluinista, vel *quia sunt vicini*; & hoc non: *aliàs omnibus vicinis nobis populis arma inferenda essent. Vel quia infideles*: & hoc non: *nam alioquin omnibus infidelibus populis, quia nõ sunt Christiani, bella moueri à principibus Christianis, bonâ conscientiâ possent.* Hactenus nihil à Danæo assertum est, quod non approbemus. Neque enim sola vicinia, aut sola infidelitas idoneus belli inferendi titulus est. *Danæus cõtra quintam Controuers. Bellar.*

Sed audiamus Danæum maius opus mouentem; & longè maiora canentem. *Nec item Turcis bella inferre licet, quia regna Christianorum occupant: nam longi temporis præscriptione tuti sunt, & eorum locorum Domini iam effecti sunt isti infideles.* Noua & inaudita Iurisprudentia & Theologia. Num fures, latrones, & prædones, qui iniustissimè aliena rapiunt,

præſcriptionis iure gaudent? Quæſo, quid aliud Turcæ, quàm fures, latrones & prædones? qui ſi tuti ſunt longi temporis præſcriptione, nullus omninò tam ſceleratus prædo erit, qui eundem titulum rapacitati ſuæ obtendere non queat.

At probat Hæreticus ſententiam ſuam ex capite XI. Iudicum: vbi Iephte pro ſe & Iſraëlitis allegat diuturni temporis præſcriptionem aduerſus filios Ammon, quorum terram, vel terræ portionem occupauerant Hebręi aſcendentes ex Aegypto in Palęſtinam, additq́;, Dominum Deum Iſraëli terram illam dediſſe; ac proinde iniquum eſſe; quòd filij Ammon eam bello repetere tentent. *Tradidit eum* (Sehon Regem Amorrhæorum) *Dominus in manus Iſraël cum omni exercitu ſuo, & percuſſit eum, & poſſedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius & vniuerſos fines eius, &c. Dominus ergo Deus Iſraël ſubuertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo ſuo Iſraël. Et tu nunc vis poſſidere terram eius? Nonne ea, quæ poſſedit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem, &c. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſti?*

Hæc & alia huius generis Iephte ad filios Ammon; Ex quibus colligit Caluiniſta, eandem eſſe rationem Turcarum, reſpectu Chriſtianorum, quæ erat Iſraëlitarum reſpectu filiorum Ammon. Sed probare debebat prædicans, dominium regionum olim Chriſtianarum traditum eſſe Turcis à ſupremo Domino, ſicut olim dominium terræ Amorrhęorum traditum erat à Deo Iſraëlitis: hoc dum ex ſacris literis non demonſtrat, ſemper negabimus huius argumẽtationis conſequentiam. *Iſraëlitis dedit Deus olim dominium terræ Amorrhæorum; ergo & Turcis dedit Deus dominium illorum regnorũ, quæ Chriſtianis per ſummum nefas eripuerunt.* Conſequentia hæc Caluiniana eſt, ne dicam *Turcica.* Probet ex ſcriptura Turcam à Deo prouinciarum occupatarum dominio donatum eſſe. At vnde hoc nobis oſtendet? Non certè ex ſacris literis; non ex ratione. Non enim valet hæc conſecutio. *Turca occupauit Thraciam, aut Hungariam: ergo ipſe eſt legitimus Dominus Thraciæ aut Hungariæ.* Nihil minus ſequitur. Nam ſola rei occupatio non eſt ſufficiens titulus acquirendi dominij; Alioquin omnis fur aut raptor, legitimus Dominus eſſet, quandoquidem rem furto aut rapina ſublatam occupat & retinet, & de facto in ſua poteſtate habet: de facto, inquam, at non de iure.

At occupauit? Quis negat? An ideo iuſtè occupauit? An ideo iuſtè retinet? An ideo cogi nequit ad reſtitutionem? At permiſſu Dei Turca prouincias illas obtinet, ergo Dominus eſt. Reſpondeo, etiam furem aut prædonem, Deo permittente, rem, quam furatus eſt, habere.

An

An ea de caussa Dominus est? Permittit Deus, vt Turca Christianorũ prouincias sibi subiuget: sed non ideo transfert dominium: quia sola hæc permissio nõ est indicium dominium à Christianis in Turcas translatum esse; vt proinde Christiani iniquè agere censeri debeant, si regna illa vi & armis repetant; etiam posito (quod tamen nunquam fit) Turcas pactis cõtentos, cæteris Christianorum prouinciis nullas insidias struere: nam à fure & prædone rem repetere ius fasq; semper est, licet nihil rerum nostrarum amplius attingere velit.

Vt ergo rem in pauca conferam, nisi Danæus vel ex scriptura, vel ex ratione planum faciat, Turcas occupatarum ditionum à Deo dominium adeptos esse; nunquam nobis Paradoxum suum reipublicæ perniciosissimum persuadebit. Nec Turca vnquã Christianis obiicere poterit id, quod Iephte obiecit filiis Ammon: *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* Quando enim vnquam destiterunt Christiani, & verbis & opere ipso palam testari, Turcas prorsus tyrãnicè, & iniustissimè Christianis tot regna eripuisse: Quoties repetitiones tentarunt?

Probat præterea Danęus insipientissimum suum commentum. ex Can. *Nemo*. 16. q. 3. Qui tamen nihil ad rem. nam in eo Canone hoc tãtum asseritur, nullam præscriptionem, nisi centum annorum aduersus Ecclesiam Romanam valere. Quid inde pro suis Turcis extundit Danæus? An hoc? Turcam saltem ex illis ditionibus eiici non posse, quas iam centum annis possidet, quippe iam præscriptas? Licitè igitur contra illum adhuc pugnabimus in Hungaria; quã necdum centum annis tenet. Licitè Rhodum, Cyprum, & alias quasdam insulas repetemus. Illicitè Constantinopolim: immò & Hierosolymam; quandoquidem necdum centuria annorum effluxit, cùm Aegyptio Sultano exstincto, Turca Iudæam tyrannidi suæ adiecit. Nugæ, vt Danæus alicubi loquitur, *nugerrimæ*, & nugacissimæ. Vbi bona fides apud Turcam ad præscriptionem legitimam adeò necessaria? Vbi fides non interrupta?

Non obstat, inquit Prædicans, *decretum Concilij, quod exstat in cap. Quoniam, extra de præscriptionibus; vbi bona fides requiri dicitur in præscriptione rei alienæ, qua bona fide infideles* (Turcæ) *caruisse videntur*. Omninò bonæ fidei defectus obstat, quo minus præscribant, quantumuis diuturni temporis possessione sese tueri velint.

Sed probat prædicans defectum bonæ fidei non obstare Turcis, qui huic suo tam strenuo patrono non exiguas gratias, immò & salarium non contemnendum debent. *Domini est terra & plenitudo eius Psal. 24. ergo apud Turcas non requiritur bona fides ad præscriptionem.*

Quid

Quid si dicam ego: *Domini est terra & plenitudo eius: ergo vt fur aut prædo præscribat, non opus habet bona fide.* Vt placet tibi hæc consecutio? Necesse profectò est, vt placeat, si tibi tua illa prior placet. Dices. *Deum, vt supremum Dominum, posse Turcis donare prouincias occupatas.* Potest. Quis abnuat? Num ideo donat? Etiam furi rem furto ablatam donare potest. An ideo donat? An ideo fur non cogitur ad restitutionem?

Sed en nouum argumentum. *Propter peccata Christianorum vult Deus Christianos, & his vel illis prouinciis à Turcis eiici: ergo dat Turcis dominium.* At negatur consequentia: nam & propter peccata accidere potest, vt quis rem suam amittat, ergo fur, qui furatur, aut raptor, qui rapit, acquirit dominium. Nemo sani capitis hanc *consequentiam* admittit. Non negamus propter scelera Christianorum, fieri, vt infideles, tanquam flagella quædam, quibus vtitur Deus ad culpas plebis suæ castigandas inualescant; sed negamus ideo prouinciarum ius, & dominium in infideles illos à Deo conferri; aut si transfertur, ostendant hoc nobis ex scriptura, quandoquidem nihil credendum est, nisi quod ex scriptura demonstratur, iuxta solenne axioma, quo omnes suas chartas opplent.

Etiam propter peccata populi Hebræi sæpè tradidit Deus terram promissionis in manus Madianitarum, Moabitarum, Philistinorum, Chaldæorum, & Syrorum: An propterea interdixit, ne arma caperent, inuasoresq; ex finibus suis expellerent, vitæ rationibus in melius commutatis?

Necdum deficiunt Danæum argumenta, quibus tanquam fidelis aduocatus, patrocinetur Turcis. Ait enim: *Migrationes gentium & noua terrarum occupationes fiunt ex voluntate Dei; ergo Turcæ, quando Christianorum regna occupant, acquirunt dominium illorum regnorum, neque inde expelli possunt, si quietè intra limites occupatos se contineant: quia Deus vult Turcas in illis regionibus degere.* Et quis Turcarum caussam melius agere potuisset, quàm iste Caluinianus, tametsi magno ad hoc patrocinium conductus stipendio? cuius tamen probationibus hoc vnum deest, quod non ostendit, Deum permittendo, vt infideles Christianorum ditiones occupent, simul etiam dominium transferre: non enim magis transfert in illos dominium, quàm transferat in furem aut prædonem, quando Dei permissu furantur aut prædantur.

Sed regrediamur iam ad Balæum, cuius amor in Turcas effecit, vt nonnihil ad Danæum deflecteremus. Balæus ergo inter caussas ab Hatmanno Brixiensi, Imperatori Friderico propositas, vt eum ad expeditionem *Cruciatam* impelleret, hanc itidem recenset, quod Hierosolymam sanctam cum tota promissionis terra, *quam Conradum*

dus eius patruus armis ac sumptibus maximis olim subegisset, nunc rursus Ægyptius Soldanus sibi subiecisset. Quis verò pestilentis hæretici commentum non rideat? Nemo enim præter sycophantas, historiæ tam ignarus est, quin sciat Hierosolymam à Conrado Imperatore non fuisse occupatam; & Conrado in Palæstinam veniēte, iam dudum Hierosolymam in Christianorum potestatem venisse; ac proinde nil nisi vanum hæretici figmentum esse, cum ab Hermanno hanc suscipiendæ expeditionis caussam Friderico propositam esse comminiscitur.

Hac oratione Fridericus motus, inquit Hæreticus, *aduersus Turcas exercitum illum duxit, quem contra Pontificem, & alios conspirationis illius socios conscripserat.* Dolet nimirum Hæreticus, Fridericum potius Turcas quàm Pontificem, & Pontificios aggressum. Etsi tota insulsi sectarij narratio ex mendaciis constat; quando enim in Palæstinam Fridericus exercitum duxit; iam cum Pontifice, & Ecclesia in gratiam redierat. & ex Chronographis notū est, Fridericum non in Italia in procinctu aduersus Pontificem; sed in Germania ad Crucis prædicationem Crucem cum pręcipuis Germaniæ principibus suscepisse, vt suo loco satis ostensum.

Sed Balæo perinde est, quidquid dicat, aut scribat, dummodo calumnietur. Quid enim aliud sunt, quàm calumniæ & atrocissimæ simul, & imperitissimæ criminationes, quæcunq; præterea de Friderici expeditione insulsissimè garrit. Ait; *venisse Hierosolymam*; (quam nunquam vidit, testibus cunctis tam Latinis, quàm Græcis Historicis) *& data Paganis vita ex vrbe eos cedere coëgisse.* Metæ fabulæ, & quidem fabulosissimæ. periit enim in flumine Fridericus, antequam in Palæstinam perueniret; vt testantur, quotquot hoc argumentum attigerunt.

Pergit effrons Hæreticus, & mentitur adeò impudenter, vt mirer chartam, quæ tanta fert mendacia, non erubescere. Referam verba pestilentissimi, & virulentissimi sectarij, & retulisse erit confutasse. *Interea*, inquit, *dum Fridericus esset in oriente his laboribus occupatus, Alexander Pontifex, iniquissimus proditor*; (en flosculos Hæretici) *non cessabat sibi ab eo metuere, si victor in Italiam rediret. operam igitur dedit Alexander omnibus modis, vt illum perderet. Misit pictorem, qui nesciente Imperatore, coloribus illam eius exprimeret faciem: iussitq; simulacrum illud sic depictum Soldano per secretum nuncium dari.* (en Satanicam mentiendi, & calumniandi impudentiam;) *litterisq; ipsum admonuit, vt si quietus viuere vellet, illum per insidias necaret.* (Cuius impudentiæ Balæum posthac pudeat, postquam non

puduit illum hæc tam crassa, & euidentia mendacia in litteras mittere. Pergit mendacissimus sycophanta.

Soldanus acceptis his litteris cum expressa boni Imperatoris imagine, studuit maligno huic monstro (verè monstrum es, quando tanta commenta palam venditare non vereris) *gratificari, & se vlcisci de aduersario. Sed occasio in castris aut conflictu nunquam obtulit sese, &c. Cùm verò potitus Hierosolyma exercitum reduceret Cæsar.* (Non peruenit Hierosolymam, multò minus occupauit, cùm in Armenia minore submersus fuerit; vt notum omnium Historicorum testimonio) *securus partiebatur copias in suos ordines, vt eo commodius emensum iter remetiri possent.* (Meræ fabulæ) *In Armenia autem cum semel ex calore solis, atq; itineris difficultate æstuaret, ac sudaret nimium* (mirum, ni æstues & sudes in tanto mentiendi, & conuiciandi ardore) *nihil esse periculi in ea nemorum solitudine ratus, cum paucis equitibus, & suo Sacellano ab exercitu discessit.* (Discedentem Balæus post carecta latens vidit) *Non admodum procul equo descendit; vestes parabat exuere, & vt ipse cum Sacellano in amne lauaret, ad restinguendum corporis æstum, equites iussit ab amne recedere. Ibiq; statim benignus Imperator, equitibus ignorantibus cum suo Sacellano ab insidiatoribus capiebatur, ac per nemora abducebatur, ad Soldanum* (per nemora, inquam, in mendacissimi Balæi malè sano cerebro sata & nata) *equites frustra exspectabant Imperatorem. quærebât diligenter in alterum vsq; diem. Rumor ad exercitum venit eum esse demersum: ingens omnibus erat tristitia, & ferè ad integrum mensem in eo flumine illum quærebant* (Balæani scilicet vrinatores) *Cùm autem non reperirent, electis nouis ducibus*, (electioni interfuit Balæus) *domum redirent.* (Kalendis scilicet Græcis in Decembri.)

Imperator ad Soldanum perductus simulauit se Imperatoris esse Ostiarium. (Quare non Notarium, aut Secretarium, aut Cancellarium; aut stabularium? Perinde enim erat, quidquid horum ab Imperatore simulatum esse Balæus affirmaret) *Soldanus de facie ex imagine à Pontifice accepta* (perdes Deus omnes. qui loquuntur mendacium) *cognoscens eundem illum esse, iussit simulacrum eius proferri, ac litteras à Pontifice missas coram eo legi.* (os quod mentitur, occidit animam. quantò magis hoc impurissimi Apostatæ, tam impurum & nefarium os.) *Imperator ad istam proditionem obstupefactus* (obstupesio certè ad immanissimam istam maledicendi & mentiendi impotentiam) *vidensq; negationi non esse locum* (nec tibi tam atrocia mendacia excusandi vllus locus relinquitur) *fatebatur verum, & supplex misericordiam petiit.* (supplicantem vidit, & audiuit Balæus, sed in somno.)

Soldanus autem postquam de rebus multis cum eo collocutus esset (& quidem Germanicè, tam enim gnarus erat hic Balæanus Soldanus linguæ Ger-

Germanicæ, quàm Turcicæ) *cogitauit se ex eius dimißione plurimum sibi gloriæ & honoris comparaturum. Eum igitur accersiuit* (vocante Balæo) *conditiones libertatis proposuit, atq; vt numerata mulcta obsides daret, humaniter obtulit.* (inductus nimirum ad hanc tantam humanitatem à Balæo) *illumq; tandem ea lege dimisit, vt secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, ac numeraret millies centum ducatos* (tot propemodum mendacia ex fœcundo pectore deprompta, numerat nobis Balæus in centuriis suis scriptorum Britanniæ) *relinqueretq; obsidis loco suum illuc sacellanum.* (Quare non Prædicantem?) *vsq; ad solutionem. Parabantur inde pacti diplomata,* (subscripsit & subsignauit Balæus, tanquam Notarius iuratus) *& itineri se accinxit Imperator.* (in Balæi phantasia) *Sacellanum itaque iussit bono esse animo* (quid ni bono animo esset apud Soldanum humanitate tam politum?) *pollicebaturq; se non quieturum, donec missa pecunia eum liberatum ac reducem videret in Germania. Soldanus ergo Imperatorem muneribus ornauit,* (ingentibus scilicet, inter quæ etiam erat *Impressus crater signis*, quem Thracius olim Anchisæ genitori in magno munere Cisseus ferre sui dederat monumentum & pignus amoris, & chlamys aurata, quàm plurima circum purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.) *viatico prospexit, triginta quatuor equis, & certis militibus* (à Balæo conscriptis) *Brixiam vsq; deduxit* (& quidem per aëra, more Dædali & Icari) *ibique substitit.* (posuitque immania templa testes accepti beneficij.)

Principes de Imperatoris reditu certiores facti, frequentes eum adibant. Cæsar Soldano suos variis donis onustos remisit, adiunctis illis, qui eos deducerent vsque ad Imperij fines. (nam vt longius comitarentur, haud bonum Balæo visum) *Deinde comitia indixit Norimbergæ:* (in Balæi capite) *& illuc vocabant omnes Imperij Principes.* (ne vno quidem excepto, tenuit mora nulla vocatos) *quibus Alexandri Pontificis proditionem aperuit, proditoriam epistolam ab eo ad Soldanum missam legit, & quibus modis liber esset dimissus exposuit; Principes pollicebantur illi auxilium, vt fidem suam apud Soldanum liberaret, indignantesq; suppetias spondebant aduersus Alexandrum Imperij proditorem. Conscribebatur exercitus: per Italiam nemine repugnante, Romam mouebat, &c.*

Piget tædetque plura vanissimi Balæi mendacia percensere. quæ adeò sunt enormia; vt posteros nostros vix putem credituros, fieri potuisse; vt hoc sæculum nostrum tam effrontes criminatores, & calumniatores protulerit. Quis enim nescit, Fridericum Barbarossam Hierosolymam non peruenisse; sed in itinere; in fluuio quodam aquis obrutum interiisse, neque vnquam in Italiam, aut Germaniam reuertisse. Quis Historicorum & Chronologorum monumentis suis

hoc non prodidit? Et tamen iste impudentissimè ex solo Pontificis odio, planè contrarium fingit, suisque lectoribus obtrudit. quasi omnes sint stipites, nulloque modo hæc tam crasso filo contexta commenta sentire queant. Sed satis superque iam suprà ex Latinis & Græcis Auctoribus de expeditione Friderici egimus.

Nec est, quod quis dicat, Balæum loqui de Friderico Secundo; nam huius expeditio non incidit in Pontificatum Alexandri III. sed Gregorij IX. nec terrestri itinere in Palæstinam profectus est per Hungariam, Bulgariam, & Græciam; sed ex Italia aut Sicilia in Cyprum, & inde in terram sanctam traiecit; vt suo loco vidimus: nec per Armeniam rediit; sed per mare.

Denique tota Balæanæ vanitatis structura æquè de Friderico Secundo, ac de primo commentitia est ac fabulosa; ex implacabili odio erga Romanum Pontificem prognata, & in litteras relata, qui etiam de Vrbano primæ expeditionis Auctore, hæc effutiuit. *Principes Christianos ad arma contra Sarracenos concitauit sub recuperandæ Hierosolymæ fuco:* (dolet nimirum Hæreticus, fratres suos Sarracenos, Vrbani impulsu, bello fuisse petitos) *trecentaq; hominum millia Cruce signauit, dum ille ipse res suas ad Diaboli patris sui voluptatem ageret domi.* Hanc in Vrbanum calumniam verè effudit Balæus *ad patris sui Diaboli voluntatem & voluptatem.* Nihil enim aliud domi egit Vrbanus, quàm vt, sublatis schismatibus, Ecclesiam tranquillaret; & dissipatis discordiarum nubilis, serenaret.

Ne porrò Balæus criminationum inops videatur, nonnullas mutuò sumit à Bibliandro: qui ista, *Hildebrandus* (sic enim vocat sectatius Gregorium VII.) *concitando Imperatorem Græcum contra Turcas semina iecit expeditionis Gog & Magog.* En quàm impatienter ferant hæretici, quoties summi Ecclesiæ Præsules aduersus truculētissimos Christiani nominis hostes classicum canunt; Regesque ac Principes hortantur, vt sceleratæ genti exscindendæ piam & vtilem operam nauēt. Et quanta istorum impudentia est; cum fortunatissimam illam, & omnibus sæculis decantandam expeditionem sub Godefrido Lotharingiæ Duce, (cuius semina iecerat Gregorius VII.) petulantissimo ore & calamo appellare audent expeditionem *Gog & Magog.* Si his hæreticorum nugamentis immorari liceret aut liberet, quàm promptum ac procliue esset ostendere, expeditiones *cruciatas* nihil penitus cum *Gog & Magog* habere commune: Et hoc conuicium aliunde non esse profectum, quàm ab illo qui Gog & Magog, eorumque asseclas seducet; cui Diabolo nomen. Sed contraho vela.

Ezech. 39. *Apoc. 20.*

Contundat Bibliandri & Balæi inuerecundam frontem Carion, tametsi

tametſi Hæreticus; qui in Chronico ſuo iſta. *Incidit in Henrici IV.* (Imperatoris) *imperium memorabilis illa noſtrorum Argonautarum* (ſic loquitur Nouator) *expeditio in Aſiam, ſuſcepta non cupiditate opum Orientis* (An hoc in Gog & Magog competit?) *vt olim Principum Graciæ ad rapiendum vellus aureum, ſed conſilio ſanctiſſimo ſtudióque acerrimo & ardentiſſimo*, (arrigite aures Balæe, Bibliander, Dreſſere, Reinecci; audite, quid veſter in ſchola Lutheri & Caluini condiſcipulus ſcribat) *ſcilicet, vt proferrent notitiam filij Dei Eccleſiæ ampliatione*; (num idem Gog & Magog, aut facient, aut iam fecêre?) *& Orientem ereptum Tyrannidi blaſphemi dogmatis & crudelis iugi Mahometici, vindicarent ac lucrarentur Chriſto.* (num eadem mens eſt Gog & Magog?) *Denique, vt pro conſeruata ac multis præclaris monumentis illuſtrata & communicata nobis doctrina primæ Eccleſiæ, viciſſim diſperſas tota Aſia reliquias Chriſtianorum, & ſine certa ſede, ſinéque publica doctrinæ voce errantes prædicatione verbi* (at non Lutherani vel Caluiniani) *& Sacramentorum* (at non Lutheranorum aut Caluinianorum) *libera ſolenníque adminiſtratione colligerent rurſus*, (num hæc facta conſentanea ſunt Gog & Magog?) *conditis templis vel repurgatis, inſtituto miniſterio* (ſed non Lutherano; non Caluiniano, rectius dixeris, *inſtituto clero*) *legibus & iudiciis deſcriptis. Hæc enim vera fuit cauſſa ſuſceptæ tam longæ, difficilis, & periculoſæ expeditionis* (non igitur illæ, quas impudenter Bibliander, & alij Sectarij confingunt) *ad quam acceſſerunt & aliæ, quod huius ſacræ militiæ duces dilacerationis, & ruinæ patriæ ex conflictu inter ſeſe mutuo ciuium collabentis, ſpectatores amplius & adiutores eſſe nollent, & quod ſe abrupturos inteſtina bella ſperarent, Germania milite exhauſta.* Hæc Lutheranus ille Chronographus.

Sed audiamus iam denuo Balæum cum Bibliandro ſuo mentientem. *Qua lingua, aut quis calamus poſſet exprimere ſatis, quantum ſanguinis Chriſtiani, & omnium prope nationum profundi curauerit Vrbanus ſecundus.* Ne guttam quidem aut ipſe profundit, aut profundendam curauit; licet enim in prima expeditione multi occubuerint; ſanguis tamen ille effuſus nō magis adſcribi poteſt Vrbano expeditionis illius auctori, & ſuaſori; quàm Imperatori legitimum bellum cum Turcis gerenti adſcribi poſſit ſanguis militum Chriſtianorum, qui à Turcis trucidantur: hæc enim Martis conditio eſt & natura: *Cadimus & cadimur.* Et vbi vnquam auditum eſt bellum geri abſq; ſanguinis, etiam innocentis, effuſione; ſed non ideo nocens eſt princeps, qui bellum gerit; ſed nocentes, imo nocentiſſimi illi, qui huiuſmodi Principem calumniis inſectantur: felicesq; ac perbeati illi; qui ſanguine ſuo Chriſtianę Reipublicæ commoda & vtilitates amplificatum eunt.

Et quid quiritatur Hæreticus de effusione sanguinis; Vbi plus sanguinis effusum: num in expeditione Godefridi, auctore & impulsore Vrbano suscepta; an in ciuilibus bellis, quibus ea ætate Germania & Italia conflagrabant?

Nam quod Hæreticus præterea addit, Vrbanum secundum id studuisse, *vt sub prætextu expeditionis pro Christiana religione propaganda, & recuperando sepulchro Domini in sedem Romanam, oppressa factione Guibertina, restitueretur*, id cęteris eius criminationibus adiiciatur. Vrbanus enim semper fuit legitimus Pontifex: & Guibertus cum suis semper schismaticus: Et si vrbis Romanæ recuperationem in hoc bello suscipiendo potissimum spectasset; longè commodius voti compos effectus fuisset, si tam florentes exercitus in Italia retinuisset; nec in Palæstinam ablegasset.

Mirum verò, Balæum ex oscitantia præteriisse illum Bibliandri flosculum, cùm ait, *Vrbanum, seu potius Turbinem sanctissimum à spiritu malo homicidiis gaudente impulsum, bellum pro recuperanda Iudæa commouisse*, de qua blasphemia iam alibi satis diximus. Hoc tantum adiungo, Bibliandrum â Lutherano Carione non immeritò mendacij redargui, vt ex verbis illius paulò antè adductis manifestum euadit: ait enim bellum hoc, cuius suasor Vrbanus fuit, *consilio sanctissimo studioq́ acerrimo & ardentissimo* susceptum fuisse. Num diabolus *sanctissimi consilij* auctor esse potest?

Deinde quod Carion affirmat de expeditione Friderici Barbarossæ, hoc itidem de expeditione sub Vrbano verè affirmare licebit. Quid illud? Accipe. *Hanc expeditionem non ambitione aliqua aut superstitione suscepit; sed intellexit sui officij esse tam crudele latrocinium, hostium tam immanium, vbicunq; posset à Christianis depellere, & turpe esse existimauit deserere & prodere hostibus pugnantes pro salute publica Christianos, quæque maiorum sanguine parta essent, per ignauiam sinere perire.* Hæc Lutherista Chronologus, quæ etiam in Bibliandrum valent; cuius impium dictum cum Cardinalis Bellarminus produxisset lib. 3. de *membris Ecclesiæ militantis* cap. 16. Danæus Caluinista scribens aduersus illum librum, id tacitus præterolauit, animaduertens, opinor, falsius, & impudentius esse, quàm vt vllo colore fucari posset.

Iun. contra 5. Controuers. Bellarm. Audacior Iunius; *Hæc verba Bibliander non pertulit de Thesi*, inquit, *quasi negaturus licere Christianis belligerare in Turcas: sed tantùm de hypothesi, quod homo turbulentus & praceps intempestiuè & impudenter, imò & consilio subdolo (nam aliud moliebatur) arma conclamauerit*. Nec Bellarminus dicit, Bibliandrum absolutè inficiari bellum cum Turcis esse licitum: sed verba

Bibli-

Bibliandri fide bona proponit. Ex quibus tamen non obscurè colligitur, eum in hoc errore simpliciter versatum esse. Nam si non ita sentit; cur Pontifices semper carpit, quoties signū arma aduersus Turcas corripiendi sustulerunt; cur illos perpetuo fusi innocentis cruoris accusat? Si Bibliander censebat absolutè licitum pugnare in Turcas, explicet nobis, quonam tempore hoc sit licitum. Si licitum non erat sub Vrbano & consequentibus Pontificibus, ecquando tandem licitum fiet? nam quod turbulentus Caluinista cum Bibliandro Vrbanum vocat *Turbinem* ob illud bellum excitatum; quo Hierosolyma & tota propemodum Syria Sarracenis erepta fuit; id satis indicat, ægrè istis simpliciter esse; quoties Turcis aliquid nostrorum felicibus armis adimitur, & ex seruitute Mahometana in libertatem Christianam vindicatur.

Verùm his valere iussis ad Balæum reuertor, qui vt Alexandrum III. ita & Gregorium Nonum immanissimo mendacio onerat, cùm ait, *Soldanum à Pontifice per litteras rogatum, ne Friderico secundo Imperatori Hierosolymam, Nazarethum, & Ioppen redderet.* Quo mendacio quid impudentius? Etsi enim non nescimus inter Gregorium Nonum & Fridericum Imperatorem controuersias quasdam exstitisse, quis tamen credat Pontificem tantum scelus vel animo concepisse; nedum perpetrasse? Et Balæus manifestissimis in Pontifices mendaciis omnem iam dudum sibi fidem ademit. Quis enim iuratissimo huic Pontificij nominis hosti quidquam credendum censeat, postquam tot & tam atrocia mendacia de vnico Alexandro Tertio, & Friderico Primo eum euomuisse videt? Carion quoque agens in Chronico suo de Friderici Secundi peregrinatione & expeditione in terram sanctam, veritatis & verecundiæ limites multum transcendit. Sed quid facias? Mendaciis & criminationibus se suamque sectam fulcire coguntur; quando à veritate penitus destituti sunt: quæ vt miseros tandem propitio vultu respiciat, Deum suppliciter precemur oportet.

Finis APOLOGIAE *pro Cruciatis expeditionibus.*




Fol.

Fol. 157. v. 17. *Haythonus*. Adde.

De Clemente Quinto hæc Henricus Stero in Annalibus. *Anno Domini M.CCC.XI. Papa Vienna Concilium generale conuocauerat, cuius Concilij Quinta sessio inchoata fuit XVII. Kalend. Nouemb. vbi de Passagio vltramarino, & de recuperatione terræ sanctæ tractabatur, per fratres Hospitales S. Ioannis Hierosolymitani Crucem vltramarinam ferè per totam Christianitatē prædicari fecit. Et plura millia Christianorum Cruce signati, cùm ad Curiam Papæ venissent, Papa absoluit eos à voto, & mandauit eos ad partes redire, & sic quasi delusi illorum labores & sumptus maximi effectum nullum habuerunt.* Hæc Stero. Sed fuêre Clementi proculdubio grauissimæ caussę & remoræ; quibus impeditus bene & salubriter cœptum opus perficere nequiuit.





IACOBI





